PROTHEUS HISTORICUS:

SIVE

HISTORIÆ UNIVERSALIS

SACRÆ ET PROFANÆ,

Rerum tam bello quàm pace; terrâ maríque per Orbem, præcipuè Europam, Imperium Romanum, Germaniam, Galliam, Hispaniam, Italiam, Hungariam, Angliam, Poloniam, Sueciam, Daniam, Moscoviam, Belgium, Sabaudiam, Transylvaniam, Turciam &c.

Ab Anno 1660. *à sancita ad Pyrenæos pace ad hæc usque tempora* 1719. *Pacis Rastadii & Badæ pactæ, & ultra gestarum*,

DECAS TERTIA ET QUARTA.

Ex probatissimis Authoribus, Actis publicis & Comitialibus, intermixtis hinc inde antiquis historiis, & eruditioni accommodatis variorum Authorum sententiis, sincerâ fide & relatione, nec minore studio & diligentiâ accuratè ac nervosè, stylo hystorico, lectu & scitu dignæ, ac curiosæ;

Per varias Regionum, Urbium, præliorum, obsidionum, aliorumque Tractatuum & fœderum descriptiones cum suis circumstantiis composita & collecta, Jurisque publici studiosis apprimè utiles ac necessaria: ac singula quæq; suis Diei, Mensi, & Anno, quantum fieri potuit attributa.

Per JOANNEM JACOBUM KETTELER S. C. V.

PARS SECUNDA

Ab Anno 1680. usque 1700.

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Sumptibus SEBASTIANI KETTELER prope S. Paulum, sub signo Galli. MDCCXXIII.

DECADIS
TERTIÆ
Annus 1680.

161. SPetabat quidem Europa tam copioso hactenus humano inundata sanguine, ex duarum potentissimarum coronatum connubio pacem concordiamque firmius stabiliendam; jamque provinciæ, urbes & oppida utrimque concordata vicissim erant extradita; sed eorum omniū Gallus dependentias simul prætendebat, pacis Noviomagiensis temerator: nam Metis, Brisaci, Vesontii &c. Reunitionum cameram instituit, quâ omnia jura, dominia, feuda, dependentias &c. pluribus antehac, etiam Dagoberti Regis seculis Alsatiæ, episcopatibus Tullensi, Metensi quomodolibet competentia & annexa reunienda compulit: ideoque Spirensi episcopo urbem Lauterburgum, Palatino Germersheimium & Falckenburgum: Homburgum, Bitsch, Bipontum, Veldenz, Sarapontum, & totum Hunnorum tractum, seu dorsum caninum; Ducatum etiam Mompelgardensem, aliaque plurima deprædando sua esse voluit: universam Alsatiam ad præstandum sibi homagium, Hispanum ad cedendum sibi titulum Burgundiæ &c. magnâ

Gallus Camerā reunitionum instituit.

cogit violentia. Imo Rex Sueciæ Carolus citatur sententiâ, ut pro Bipontino Ducatu homagium Regi Ludovico præstet, si ditionem annis superioribus gallico præsidio occupatam vellet possidere. Cùm illud soli Cæsari debitum contenderet Carolus, ab eadem Camera omni in Ducatum jure privatus renuntiatur; promovente hac viâ Ludovico in ditiones alias benè multas prætensa jura, similibus sententiis sibi attributa; quod cùm hactenus orbi inauditum fuisset, stupore omnium populorum est exceptum, quæ utpote Monasteriensis & Neomagensis pacis tractatibus directè contraria, Cæsar Generalibus Ordinum Statibus, primis adeò turpis pacis Neomagensis auctoribus, & neglecti fœderis desertoribus exponens, frustra est conquestus. *Vid. num.* 166.

Delfino procatur coronam Imperii Rom.

Immo Ludovicus Rex publicato tum temporis scripto Imperii Romani coronam filio suo Delphino procando offerebat Cæsari Friburgum, & Imperio Rom. Burgundiæ, Lotharingiæ, totius Alsatiæ, episcopatuum Metensis, Tullensis & Verdunensis restitutionem & incorporationem, Imperiumque Rom. ad antiquos extendendum limites, Cæsareæ Spirensi Cameræ subjiciendos: sexaginta armatorum millia in Turcas educturum sine Imperii Rom. impendio vel stipendio; hoc verò, Imperium, sexdecim solummodo millia (eu vulpem!) suis aleret stipendiis: formidabilem præterea classem in famosas Turcarum Dardanellas, seu ut vocant Sestum & Abydum expediturum, omniaque jura & prætensiones regni Austrasiæ, omnium

pro-

provinciarum & ditionum, quas olim Rex Galliæ & Imperator Carolus Magnus possederat, renuntiando dimissurum appromittebat: binas denique in Germania instituturum academias, in quibus germana cujuslibet religionis nobilitas tam liberalium artium studiis, quàm equestribus instrueretur exercitiis. Sed surdis canebat auribus vanus promissionum, & perfidus pactorum prævaricator, armis licet ac viribus tunc temporis potentissimus, & universalis monarchiæ cupidissimus; numerabat enim centum millia peditum, 60. equitum, & decem dimacharum millia; utque hanc suam potentiam, & gallici regni amplitudinem suis recenter armis extensam Delphino, aliisque regni Principibus ostentaret, cum Regina conjuge sua, Delphino, Duce Aurelianensi &c. profectus mense Julio Caletum in Picardia, Audomarum & Arien seu Heram in Arthesia Gravelingam & Dunquerquam in Flandria, inde Ipram, Insulas, Tornacum, Valentianam, Condatum in Hannonia, Carolomontium ab Hispanis nuper loco Dinanti, Leodiensibus competentis, acquisitum &c. 30. demum Augusti Varsaliam est reversus. Harum omnium urbium, & aliorum locorum sibi Rex arrogabat Regalia, & omnes episcopales sede vacante reditus; quod absolutè illi Romanus pontifex denegabat, & acribus paternè literis illum dehortabatur, missusque Romam legatus Cardinalis Estreus, vix quicquam hac in rei impetrare potuit.

Potentiam regni ejus.

Et regalia quædam pontifex denegat.

Malignæ tunc temporis febres Galliam in-

testabant, & ipsum Delphinum, ejus conjugem, Condeum, aliosque Principes sub mortis periculo lecto affixerat: Condeum Britannici doctoris Talboth medicina sanitati restituerat, quam Rex etiam Delphino applicari volebat, modò Talboth medicinæ species pro majori valetudinis securitate Regi vellet aperire; quod doctor metu secretæ artis suæ divulgandæ, nisi prius soluto sibi 50000. coronatorum pretio, recusabat: tanti Rex emere nolens, Talbothique discipulum adhibens, febrem hic quidem curavit, sed recidivam. Talboth igitur medicinæ species aperiendo plenæ Delphinum restituit sanitati, liberalique abs Rege præter annuum 2000. coronatorum salarium est muneratus donario. Nec febribus tantùm, sed toxico etiam plurimi per sagas & veneficos infecti perierunt, unica obstetrix la Voisme 3100. pueros crudeliter necavit, viva propterea, extractâ prius ignita forcipe linguâ, 22. Februarii est combusta. Quo tempore Dux Luxemburgicus pacti cum dæmone, vel (ut alii scribunt) similis intoxicationis accusatus, sed ex sententia judicialis cameræ innoxius, omni tamen privatus officio in Campaniam à Rege ad bona sua prædialia dimissus, nusquam deinceps comparuit, ex opinionum varietate invisibilis.

Febres in Gallia malignæ, & intoxicationes

Calviniani Galliâ eliminati.

Ceterum Calviniani seu reformati in Gallia graviter persecuti sunt & oppressi, omnes enim bellici reformatæ religionis officiales sex mensium spatio militaria sua officia cogebantur demittere, aut Romano Catholicam fidem induere. Xantoigne igitur viginti eorum occludebantur,

eccle-

ecclesiæ, publico regis mandato prohibebatur reformatæ religionis nutrices admittere: infantes Romano-catholicis baptizabantur cæremoniis, Clerusque ad S. Germanum convocatus, de modo extirpandæ in Gallia hæresis sedulo & efficaciter consultabatur; ideoque illorum plurimi in Angliam, Hollandiam & aliorsum aufugerunt, Rege decreto suo inhærente, & rejectis cunctis moderaminis supplicationibus perseverante. Incredibili vicissim Angli fervore & æmulatione Romano-Catholicos persequentes odio religionis & metu proditionis Londino ultra decem milliaria proscribunt, & captivant plurimos, sed proditionis innocuos, unus Bedlous tam vatiniano Catholicos odio persequebatur, ut illis investigandis & opprimendis centum una die milliaria eques confecerit, nimiâque tandem fatigatione defunctus crepuerit. *Vid. num.* 159.

Uti Angliâ Catholici.

163. Peste per Bohemiam, Silesiam & Moraviam sævissimè adhuc grassante, Cæsar Lincium evadit, quo Montecuculus eum subsecutus, ligni fragmento non quidem lethaliter læsus, sed virium debilitate, & 70. annorum senectute altero pòst anno primùm obiit, militari arte & prudentiâ nemini cedens, præstantissimi Gallorum mareschalli Turennii æmulus. Cæsare adhuc in Bohemia præsente circuli Czaslaviensis 900. rustici nimiis Comitum Gallas & Bredau oppressi angariis conjurati factionibus, graves apud Cæsarem ea de re querelas deponunt; verùm rejecti sunt, missisque cum duabus illuc legionibus Piccolominus eosdem dissipavit & oppres-

Cæsar ob pestē Linciū abit. Montecuculi mors.

Rusticorum in Bohemia rebellio.

oppressit; sed mox quatuor Rebellium rusticorum millia sub exauctoratis officialibus comitis Thauni castrum spe armorum & tormentorum obtinendorum irritò aggressa, vix Piccolominus eosdem cohibere & repellere potuit; publicatâ demum, ne malum in pejus excresseret, amnestiâ, Cæsaris indultum clementiâ, ut remissi duabus dierum per hebdomadam angariis imposterum ternas solummodò Dominis suis præstarent; tum depositis armis, gratias Cæsari agentes modestè quieverunt.

Tôckelius furit in Ungaria

Tôckelius interea ingenti Turcarum Tartarorũ & Ungarorũ milite augmentatus, tripartito sub Petrozzio & Balassio-Imbre exercitu, in hæreditarias Cæsaris provincias & ditiones meditabatur irruptionẽ; quem vigilanter quidem observabant Dunwaldus, Caraffa, & Viennensis urbis præfectus Starrenbergus, ne Moraviam invaderet; incredibili tamen celeritate quatuor Caraffiicas adeo oppressit, ac internecivè prostravit vexillationes, ut vix 21. evaserint equites, & obvia quævis ferro & flammâ devastaverint. Dunwaldus vicissim emissitiam casu quingentorum Rebellium turmam offendens, 300. interficit, & 50. cum 4. signis captivat. Caraffa circa Erlaviam Tôckelio invigilat; Balasso-Imbri Moraviæ adhuc minitanti Starrenbergius, cujus etiam manus vix Petrozzius evadit. Cujusmodi iteratis velitationibus dum Cæsareus diminuitur passim exercitus, novis auctoratis legionibus P. Emmerich, Cæsaris confessarius, & intimus ejus Secretarius Abelus (quorum fidei & sinceritati Cæsar plurimum tribuebat) tribunos,

ce-

ceterosque officiales bellicos præficiebant, ſed ineptos & vix exercitatos: qui ſunt in prætoriis leones, in præliis lepores, & hoſtes ſuos inter pocula, non in campis exarmant: ex agris (inquit *Vegetius lib.* 1. *cap.* 3.) ſupplendum robur præcipuè videtur exercitûs; neſcio enim quomodo minùs mortem timeat mortis ſtipendiarius, qui minùs delitiarum novit in vita, & morte quærit, unde poſſit vivere? ait *Comicus*. Miles juxta *Livium lib.* 9. *dec.* 1. horridus eſſedebet, voraci ferro, non cælatus auro & argento; qualibus omnibus remotis Montecuculus rei incuriam, imprudentiam, & periculum Cæſari demonſtrans, veteranos generoſiores, & artis militaris peritos ſubſtituit. *Quiſque enim in arte ſua*, non aliena, *ſapiens eſt. Eccli* 38. 35. ſed *unicuique in arte ſua credendum eſt. L. ſeptimo.* 12. *ff. de ſtat. hom.* Unde Poëta:

Navita de ventis, de tauris narrat arator:
Enumerat miles vulnera, paſtor oves.

Tandem Cæſar extrema pacis tentans indictis Sempronii comitiis, has pacis offerebat propoſitiones: generalem, ipſi etiam Tôckelio, amneſtiam, bonorum confiſcatorum reſtitutionem, liberum religionis exercitium, Palatini novi electionem, & quod regni officia capacibus conferrentur indigenis. Hæc dum in comitiis generalibus per adhuc graſſantem ſæviſſimè peſtem impeditis exequi haud poſſent, nec Tôckelio, ejusque adhærentibus diſplicerent, Turcarum ſocietati renunciare, armaque deponere velle videbantur & dicebantur; quare initis per

Comitia ungarica.

hybernorum tempora utrimque armatorum induciis, Cæsar episcopum Sebestinum legatum cum Saponara tribuno ad Tôckelium dimittens, paternè illum ad pacem hortatur, ne in patriam suam tot sæviret bustis & funeribus, eamque funditùs destrueret; sed in humanâ tandem immanitate depositâ ad clementissimi patris & Regis rediret obedientiam. Tôckelius cum episcopo omni honore & observantiâ exceptо rem privatim conferens, post regales omninò epulas illum ad Cæsarem sub spe compositionis remittit, qui postmodùm convocato Tirnaviam consilio, omnes Cæsaris admisêre propositiones, postulantes solummodò germani militis ex Regno eliminationem, videbaturque pacis spes non exigua, cujus compositionem Comes Caprara Leutschii cum Rebellium deputatis tractaturus, sinistrâ olivam, gladium dexterâ offerebat, admonebatque eos seriò quietis & patriæ sub tot bustis & cineribus gementis, & pacem suspirantis. Sed ipse Caprara dum casu militem suum nescio qua ex causa Tockajum traduceret, diffidentibus utrimque sibi mutuò partibus, nec de præstanda cautione convenientibus, & tam arctè præterea Tôckelio cum Turcis fœderato, ut resilire non posset, irritum recidit compositionis remedium: sunt equidem qui dicant, Tôckelio in pacem ante hac impensè inclinante, ejusdem tunc æmulatorem Wesselinum Gallorum auro & machinationibus fascinatum cum pluribus sibi adhærentibus belli, rebellionisve ursisse continuationem, eamque in rem March. Bethunum trecenta florenorum millia Rebellibus nu-

Spes pacis ungar.

Gur evanescit

numeraſſe. Turcarum etiam Soldanus illam pacis compoſitionem omni fruſtrare ſtudio contendens, Tranſylvaniæ poſt mortem Abaffii ducatum, aliaque Tôckelio, & confœderatis ejus tam ſpecioſa offert promiſſa, ut mox 80. ex nobilitate conjurati, univerſi nomine regni Soldano ſe obſtrinxerint, annuum 80000. imperialium pendere tributum, modò ipſi viciſſim turcicæ ſecuri protectionis, eorum ſemper ſubſidiis fideliter adjuvarentur. Baroni igitur Kaunitio Cæſaris ad Portam Reſidenti armiſtitii prorogationem inſtantiùs poſtulanti denegabat omninò ſupremus Vezirius, niſi Ungaris ſuccurrendi permitteretur poteſtas. *vide num.* 165.

Nicolai interim Serini filius Cæſaris benignitate ad aulam nuper admiſſus, in gravem factionis & correſpondentiæ cum Rebellibus Ungaris & Pragenſibus adductus ſuſpicionem, arreſto innodatus Pragam deducitur; luſtratæ autem ejuſdem literæ inculpatam demonſtrabant innocentiam, quibus Tôckelium in ſua neutiquam confirmabat rebellione, ſed ad debitam Cæſari graviter hortabatur ſubmiſſionem; libertati itaque & honori reſtitutus eſt priſtino. Nicolai Serini filius ſuſpectus.

164. Viennæ Comes Sintzendorffius Cameræ præfectus peculatûs, falſi, concuſſionis, furti, perjurii, repetundarum, neglecti & malè adminiſtrati officii convictus, damno Cæſaris aliquot millionum, bonis omnibus, officiis & dignitatibus exutus, ad 1970000. florenorum reſtitutionem damnatus & proſcriptus fuit; conjugis tamen deprecatione ad ſuam, liberorumque honeſtam alimentationem bona quædam Sintzendorff peculatûs convictus.

Cæſaris reſtituit clementia, quæ eoſdem poſtmodum filios ob ſingularem tum togatam, tum militarem prudentiam inſignibus illuſtravit officiis & dignitatibus. Nulla profectò (inquit *Cicero orat. pro Ligar.*) de virtutibus plurimis admirabilior, nec gratior miſericordia; homines enim ad Deos nulla re propiùs accedunt, quàm ſalutem hominibus dando. Nihil habet fortuna majus, quàm ut poſſit, nec natura melius, quàm ut velit ſervare. Hinc optimè Marc. Aurelius Imp. ajebat apud *Guevarram*, Principis eſt haud avidum eſſe ad tributa, neque ſuperbum ad mandata, ingratum ad obſequia, neque impium ad divina, neque ſurdum tribulatis. quæ ſi ſervet, ipſe in manibus habebit Deos, & viciſſim homines in corde.

Cometes horribilis. Novum montis Veſuvii in Italia incendium, majori tamen tunc accolarum metu, quàm detrimento, & ad finem hujus anni formidabilis per Europam cometes novarum fuit calamitatum, bellorum, regnorum devolutionum, morborum &c. præcurſor; hic omnium fermè primò viſus 26. Novembris Argentorati, 4. gradibus à ſpica virginis; die 28. obſervatus obſcurè eſt Dreſdæ in Saxonia, 30. mane circa 5. in Hollandia; abhinc 16. & ultra diebus latuit; 26. autem Decembris poſt palpabilem aëris nebulam circa quintam veſpertinam Coloniæ & alibi apparuit prodigioſâ ſyrmaris [ultra 800. ſecundum mathematicos milliarium] longitudine, in figura acinacis vel iridis Galliam verſus & Hiſpaniam ad ſequentis anni Februarium & ultra omnibus valde terribilis. Videbatur com-

munitet

munitet circa 6. vespertinam usque ad 10. vel 11. noctis. Ortus in oriente Turcarum in Ungaria excidium, visus Argentorati, ejusdem sequenti anno in Gallorum manus proditionem, arctissimam Viennæ Austriæ ab immenso Turcarum exercitu obsidionem, Germaniæ, Belgii & Italiæ animalium pestem, fluminum, tempestatum, ignium, urbium, & humani sanguinis diluvium, Hispaniæ Regis Caroli II. mortem, & Regni devolutionem; Galliæ demum [ubi occidit] famem, & tot Principum Delphinorum mortem, vel an monarchicæ etiam potentiæ & arrogantiæ gallicanæ occasum prænuntiavit? sed vates non sum; neque meum *est nosse tempora, vel momenta, quæ Pater cælestis in sua posuit potestate. Actor. cap.* 1. 7.

Multarum calamitatum prodromus.

Intra hunc annum magnificum illud aulæ Versaviensis ædificium, 4. Parisiis distans milliaribus, anno 1661. inchoatum, quotidiano tredecim millium operariorum labore perficiebatur; quorum maxima interim pars ob infectum ibidem aërem morte consumpta est; nec quicquam elegantis ædificii ob paludosam montosamque loci situationem construi ibidem posse nemo, præter Regem credebat. Qui quemadmodum contra genus humanum tot millionum hominum necibus, ut quidam scribit, sic etiam contra cœli terræque pugnavit elementa: nam montes complanare, paludes exsiccare, aërem purificare, & oculorum prospectum oblectare immensis sumptibus, immensis laboribus, immensis regnicolarum angariis ad usque complementum non destitit. Totam hoc ædificium Eu-

ropam

ropam in admirationem rapit, in tres regias aulas ferreis cancellis circumdatas distinctum, & mirè exornatum: cujus hortus & silva ad omnigenas delicias & amœnitates artificiosissimis mirè salientibus fontibus, aquæductibus, & adeo vastis canalibus (quos militares etiam ad stuporem naves pernavigant) ad miraculum sunt exuberantes; His binæ posticæ adjunctæ arces, deliciarum & recreationum vicissitudini serviunt. Anne uni hæc omnia Sardanapalo fuêre sufficientia? Ibidem Parisiis seu Versaviæ pomposâ celebratæ sunt solemnitate Ludovici Galliarum Delphini cum Maria Anna Victoria, Electoris Bavariæ Ferdinandi Mariæ filia primogenita nuptiæ, quarum sponsalia Colbertus Monachii perfecit, reduxque in Galliam intimi secretariatûs adiit officium, unde Pomponus ob Regis offensionem dejectus recens fuerat; sponsa haud procul Vitrii ab ipso Rege Ludovico & Delphino perhumaniter excepta, ultra 20. imperialium millia præter gemmas & cimelia à Rege accepta, suo distribuit in dimissione gynecæo & comitatui, nihil sibi, præterquam vestes, quibus erat induta, reservans. Nupsit quoque Carolus XI. Suecorum Rex Ulricæ Eleonoræ, Friderici IV. Danorum Regis sorori; & Ludovicus secundo genitus Electoris Brandenburgici Lovisæ Charlottæ Ducissæ Radzivilæ. Mortua est Elisabetha, Friderici V. Palatini, ob affectatam Bohemiam proscripti filia, literis eximiè culta. Et Freyburgi in Misnia Joannes Georgius II. Elector Saxonicus, cui successit filius Joannes Georgius III. Obiit quoque Carolus Ludovicus

Nuptiæ Delfini cum Maria Bavara.

Et Caroli Reg. Sueciæ.

Mortes variorũ.

vicus Elector Palatinus, quem subsecutus filius hæreditarius Carolus ex Anglia redux, ex legitima conjuge Charlotta, filia Wilhelmi Landgravii Hassiæ progenitus, ultimus hujus stirpis Palatinæ Elector. Augustus etiam Administrator Hallensis & Magdeburgensis, Electoris Saxonici frater, ex cujus obitu dictus Archiepiscopatus Magdenburgensis cum omnibus territoriis & dependentiis rediit ad Electorem Brandenburgicum. Eandem demum mortem subiit Magnus Magister Melitensis Nicolaus Cotonerus ex Insula Majorca prope Hispaniam; cui sequenti sepulturæ die (ne Pontifex pro suo aliquem libitu surrogaret) per 24. diversarum nationum equitum electionem Gregorius Caraffa Neapolitanus, magnus in Calabria Prior, ætatis 65. in numero septuagesimus primus successit, qui anno 1656. in navali Venetorum contra Turcas prælio 16. turcicas bellicas naves devicit & gloriosè potitus est. Nationes verò eligentes sunt gallica, italica, arvenica, provincia, germanica, castiliana, arragonica, anglicana, è quarum singulis tres ibidem continuò residentes equites Magistrum eligunt: & quia Anglicana ob religionem heterodoxam vacat, tres alii ex prædictis nationibus seliguntur equites, ut electorum numerus vigesimus quartus compleatur. Nata hoc anno Cæsari 13. Decembris Archiducissa Elisabetha Lucia, & Rainutius II. Princeps Parmensis Belgii Gubernator renuntiatus, revocato in Hispaniam Duce Villa Hermosa.

Magistri Melitensis electio.

An-

Annus 1681.

Turcarum hostilitates

165. Anni 1681. principium dedit Turcarum cum Cæsare hostilitatum initium; præsidiarii namque Novarienses 7. Januarii noctu Donatum Hauslerum in pago Dinfele maturè, cautéque invigilantem oppressuri, re infectâ præter varias pagorum incinerationes Christianorum plurimos abducunt captivos; quare Cæsar pestis lue remittente Lincio Viennam redire cogitabat, ut impetrato per Episcopum Sebestinum, aliosque ungaricos deputatos Lincii armistitio, comitia etiam Semproniii instituerentur; in itinere autem suæ vacans Oettingenæ devotioni, Electorem ibidem Bavarum Emmanuelem, ejusdemque patruum Maximilianum convenit, & collatis invicem variis ibidem colloquiis pretiosissimum Electori donat gladium, quem referens gratias Elector in Cæsaris hostes ajebat se stricturum. Inde II. Aprilis Viennam redux præmissum ad indicta comitia Principem Schwartzenburgicum, ipse mense Majo Sempronium subsequitur, suâ Cæsareæ majestatis præsentiâ, Gallorum & Turcarum metu imminente, factiosos Ungarorum animos compositurus, justis clementer postulatis assensurus, gravaminaque, si forent iniqua, haud gravatè sublaturus. Magno regni ordines comitatu eò convenerant, erantque comitia in prima statim sessione turbulenta, urgebantque insolenti Magnates contentione novi electionem Palatini, & Religionis Evangelicæ in pristinum statum restitutionem. Omnium igitur primò Cæsar ex tribus sibi

Cæsar Oettingenæ Bavarū convenit.

Comitia Ungarica.

ſibi abs regni ordinibus præſentatis Comitibus, Eſterhaſio, Palffio, & Erdoedo admodùm ambiguus, tandem primum ex Patris Emmerichs [qui 14. Novembris anni præcedentis Vienenſis nominatus erat Epiſcopus] & Secretarii intimi Abeli conſilio Paulum Eſterhaſium Comitem 13. Jun. in Regni Palatinatum [cujus hucusque officium Archiepiſcopus Strigonienſis adminiſtraverat] eligit, confirmat, & Neopolim revertitur, uſque dum odioſæ religionis & bonorum confiſcatorum controverſiæ per Epiſcopum Viennenſem, cæterosque ordines tollerentur. Ab Eſterhaſio igitur nunc Palatino ad eadem per curſorem invitatus comitia Tôckelius, & in ſecuritatis obſidem Eſterhaſii filius eidem oblatus, ſibi diffidens renuit compatere; *ſibi enim conſcium licet virum audaciſſimum, timidiſſimum facit ipſa conſcientia*, ait Comicus: & Poëta: Eſterhaſius eligitur palatinus.

Invigilant animo, ſceleriſque patrati
Suppliciũ exercent curæ, tunc plurima verſat
Peſſimus in dubiis timor. Statius lib. 3. Thebaid.

Per eundem tamen curſorem reſcribit ſe, ſuosque ſocios paratos Cæſari ſubmittere, armaque deponere, ſi *primò* ungarica vi regiæ capitulationis reſtabiliatur libertas, *ſecundò*, ſi evangelicæ religionis libertas in omnibus ubique partibus & dependentiis ſecurè reſtituatur, *tertiò*, ut promiſſum Turcis tributum perſolvatur. Rebus utcunque compoſitis, comitiorum concluſa Tôckelio ſunt tranſmiſſa; Tôckelii petita regiam ſcilicet capitulationem non ex Cæſa-

ris, ſed Rebellium parte violatam; religionisque libertatem non ex pacto, ſed puro Cæſaris favore & indulto permiſſam: tributum verò perpetuum Turcis ſine læſæ majeſtatis crimine dari, concedive non poſſe; honeſta tamen Turcis pecuniæ ſumma non tributi nomine, ſed ſemel pro ſemper tradatur, ſi initum anno 1664. armiſtitium ad decem adhuc annos velint prorogare. Eccleſias etiam Proteſtantium ſumptibus erectas, reſtituendas, novaſque ubique locorum erigendi conceſſa poteſtas: varia demum ſolvendi media ſumptûs, hiſce turbarum motibus impenſos propoſita. Et quia plurimi magnatum in communi conſulti exiſtimabant illam pecuniæ ſummam Turcis numerandam ex turbatorum, ſeu Rebellium bonis meritò eſſe deſumendam, pertinaciſſimè omnes illud factioſi, & imprimis Tôckelius pernegabant, comitiorumque concluſa omnia ad nihilum ſunt redacta, inſtigante imprimis turcico apud Tôckelium legato, ne quid citra ejus præſcitum & contractum cum Turcis pactum iniret. Suecorum præterea Rex heterodoxorum ſæpius apud Cæſarem antehac cauſam, nunc miſſo Sempronium legato Gabriele Comite Oxenſtirnio admodùm promovebat; ideoque arctius jam Turcis confœderati, inſolentiora prætendebant. Quare Cæſar ad comitia Sempronium reverſus illa ad 16. Auguſti prorogavit, fidelibus hactenus Ungaris gratificaturus, particularibusque querelis per commisſionem ſatisfacturus. Archiepiſcopus quidem

Turcæ Rebelles ad factionem excitant

Rebellibus multa permittuntur.

Stri-

Strigoniensis proposita tunc religionis gravamina tacitè præteriri volebat; sed urgente heterodoxorum instantiâ sic demum resolutum est, & conventum: Centum scil. templa Protestantibus restituantur, promissâque certâ pecuniâ nova, ubivis placuerit in urbibus & pagis extruantur, & liberum omnibus permittatur religionis exercitium; possessæ è contra ab anno 1670. à Catholicis Ecclesiæ ipsis permaneant. Prohibentur interea omnes fidei & religionis disceptationes, controversiæ & rixæ, non vi & armis, sed à Rege dirimendæ, utque redeat animorum concordia, amor, quies, & fiducia, nemo ob religionis divortium odio habebitur. Regni præterea proceres graviter de regiæ cameræ directore, Episcopo Neopolitano, querentes, ejus depositionem re exactè examinatâ impetrarunt, Cæsarque in ejus locum suffecit Comitem Erdœdum populo gratissimum, simul & egregios fidei Romano-Catholicæ Zelatores, Archiepiscopum Strigoniensem, Episcopum Neopolitanum, & Comitem Capliers, acerrimos heterodoxorum impugnatores comitiis jussit excedere, ne irritatus Protestantium furor promptum flexilemque nunc comitiorum cardinem non sine ingenti totius regni detrimento everteretur; quâ re taliter Protestantium Cæsar rapuit animos, ut cùm difficillima restaret disceptatio, & modus germanum sine tumultu militem regno eliminandi, & confiscata perfidorum bona restituendi decidenda, hoc ultimum Protestantes ultroneè submisséque Cæsaris permiserint voluntati & arbitrio: hic autem

mox eadem Serini, Frangipani & Nadasti bona eorundem filiis & hæredibus clementissimè restituit: quam meritò gratiam proceres agnoscentes duo ducatorum millia in auro signato gratiosè Cæsari offerunt, quæ ille in Ecclesiarum Romano-Catholicarum restaurationem impendi voluit: atque ita amicè omnibus utrimque ratificatis, & 21. Decembris subscriptis pactum est cum Tôckelio sex mensibus armistitium, & Imperatrix Eleonora Magdalena 9. Decembris in Reginam Ungariæ ab Archiepiscopo Strigoniensi Sempronii est coronata.

Armistitium.

Coronatio Reginæ

At quia interea Turcæ Rebellium factionibus arctius immixti in turbida communiter aqua piscantur felicius, Transylvaniæ Principem Abaffium instigant & imperant, ut suis Tôckelio conjunctus copiis, Moldavis, & Walachis Ungariam invaderet; qui specie religionis Protestantium protegendæ & defendendæ 12. armatorum millibus oppidum Befferminum facili occupat negotio, quòd præsidiarii 1800. Ungari abjectis armis propugnare renuerint, 250. Germanis strenuè, sed frustra propugnantibus, quod deinde, quia Calum frustra impugnans erat turpiter rejectus, tyrannicè expilavit. Tum Venlum irruit, ultro ab invitis ob stipendii defectum præsidiariis traditum est. Zathmariam denique urbem cingit & occupat; ejus verò arcem à Serinio strenuè propugnatam obtinere non potuit. Turcæ interea evulgato per Ungariam mandato ungaricæ libertatis & protectionis titulo cum 15000. per Silistriæ Bassam comitis Zechi arcem, Varadinum minus, interne-

Abaffius Tôckelio conjungitur

cionis

cionis magis terrore præsidiariis incusso, quam vi, & armis intercipiunt. *Vid. num.* 170.

166. Ludovicus XIV. Rex Galliæ inchoatum priori anno reunitionis negotium in Alsatia &c. continuando, multas passim urbes & oppida occupat: qua de re graviter conquestus Cæsar, Lobkowicium Parisios mittit rei injustitiam demonstrantem, simulque significantem Francofurti ad Mœnum doctorum virorum institutum congressum (*Vid. infrà, & num.* 172.) qui prætensiones ejusmodi enodarent. Rex congressum approbat, legatosque illuc destinandos denominat, & dimittit; sed in itinere eo usque detinet, donec conceptam perfecisset expeditionem Argentinensem, jam propediem feliciter, ut sperabat, conficiendam: Argentinenses namque suo nimium urbis robore fisi, & pace compositâ securi, dum in periculoso reunitionis per Gallos negotio. Cæsareanum recusassent oblatum admittere præsidium, & potiorem suam, Helveticamque dimisissent militiam, gallicorum sine dubio fautorum, seu proditorum consilio, opportuno hoc Gallus tempore collecto clam in Lotharingia, Burgundia, Brisgovia, & Alsatia, sine mora exercitu, Monclarius, & Marchio de Louvis (cujus omnia directione fiebant) rhenanum & telonense præter omnium opinionem munimenta occupant, vallum Kehlerense destruunt, omnesque intercludunt urbis aditus; obstupescentibus Argentorati civibus, & quid hoc reipacs tempore vellet, Gallos sciscitantibus, responsum accipiunt, se Cæsareanos prævenisse, urbem sex millium præsidiariorum robore

Gallus reunitionem continuat.

Argentoratũ proditione capit.

bore, & rheni transitum sibi maximè necessarium præclusuros: fama hæc si foret falsa, se illico hinc discessuros.

Adsunt interea temporis 29. Septembris totus gallicus exercitus, commeatus, apparatusque bellicus, & Monclarius urbis postulat deditionem, peremptoriè 30. Septemb. tradendam: ultroneæ appromittit omnium privilegiorum confirmationem; refragantibus verò eorum privationem; & sufficientis imprimis præsidii robore nunc destituris comminatur. Civibus obstupescentibus, & stultam suam in tumultu securitatem detestantibus, defensionem nihilominus parantibus, spontaneam urbis proditores persuaserunt deditionem, tribunus plebis scilicet, seu consul Dominicus Dietrich, & secretarius Christophorus Guntzerus, perpetuus Gallorum fautor, & potissimum proditionis hujus instrumentum, ideoque regius postmodum urbis Syndicus, nobili Plöbelsheimio donatus est prædio. Tradita igitur est Gallis prædicto die Argentina, reservatis sibi omnibus juribus & privilegiis tam politicis quàm ecclesiasticis; econtra Ludovicum XIV. Regem Galliæ urbis dominum agnoscerent cives, cathedralem Catholicis Ecclesiam, Regi cederent armamentarium, suaque cives arma in curia deponerent. Urbem proditione sic traditam Rex ipse cum Regina, Delfino, Duce Aurelianensi &c. triumphaliter ingressus, ab Argentinensi Episcopo Francisco Egone Fürstenbergo exceptus ibidem est verbis evangelicis Simeonis: *Nunc dimittis servum tuum Domine in pace; quia viderunt oculi mei salu-*

salutare tuum. Luc. 2. Regem ad Missæ pergentem sacrificium cùm Dietrich tribunus plebis comitari jussus, quà Lutheranus recusaret, in Regis offensam lapsus, vix effugit pœnam triremium: Hem, nihil scelestius proditore, inquit *Petrartha* 1. *remed.* 80. nil turpius sol videt: cujus obscœnitas tanta est, ut & qui artificio ejus egent, execrentur artificem, & qui cæterorum scelerum famam quærunt, hujus infamiam reformident. *Tacitus lib.* 1. *Annal.* variorum Ordinum Religiosis Ecclesiarum suarum anno 1624. ablatarum à præsente Rege restitutionem poscentibus, pro tunc est denegata. Sic Argentinenses panico libertatis amittendæ metu territi, oblatum Cæsaris repudiantes imprudenter præsidium, gallicam nunc subeunt servitutem longè intolerabilem. Acerbissimum verò tam validæ urbis jactura Imperio Rom. intulit dolorem, quem Francofurtensis Legatorum remediare nequivit congressus, nisi quòd Gallus tam pingui acquiescens bolo, Friburgum robore exutum & destructum Imperio Rom. restituere paratus, si demoliretur Philippopolis, quod non erat de meliori bono reipublicæ. *Vid. num.* 172.

Casalium quoque totius Italiæ validissimum, Ducatûs Montisferrariensis metropolis, præcipuus in Italiam aditus, eodem 30. septembris die Ludovico XIV. Galliæ Regi auro venditum à Mantuano Duce Carolo his traditum est conditionibus, & retrovenditionis pacto, ut Rex urbem Duci & ejusdem liberis restituat, si tradita pro ea pecuniæ summa Regi refundatur: contra Casaliũ & comitatus Chyniensis Gallo traduntur.

tra hostium invasionem Rex Ducem proteget, laborabitque, ut iniquè Duci ablata non solùm restituantur, sed dissidium quoque Mantuanum inter & Sabaudum pacificè componatur, debitaque Duci ab Hispanis solvantur; permittitur etiam Regi 5000. præsidium urbi, arcique imponere. Rex denique Ducis Bosoli erit protector, cujus in Sabionettam jus & prætensionem Rex emit octo pistoletorum millibus &c. Innocentius XI. Pontifex hac Casalii venditione consternatus, Mantuano Romæ Residenti dicebat: Primus omnium hujus pœnitebit* dominus vester Carolus, totaque passim turbata Italia justè defensionis ubique media præparabat, Gallis per Montferratensem latè se extendentibus, & varios Mediolanum versus aditus & loca occupantibus. Hoc Casalium anno 1695, à Cæsare & ejus confœderatis recuperatum, & robore exutum, Mantuanoque restitutum, Gallus anno 1703, restauravit: Duce demum læsæ majestatis reo, ideoque feudo caduco, & sine hærede defuncto, cessit tandem Romano Cæsari, de quo infra num. 171. Idem Rex Ludovicus comitatum Chyniensem per vim occupat; Nam 8. Calendas Junii citatus inferioris fori apparatu Regis Ludovici nomine Rex Hispaniæ Carolus, quatenus Comes Chyniensis, ut pro dicto comitatu eidem Ludovico intra quadraginta dies fidem & homagium profiteretur; si secus faxit, Cameræ Metensis sententia comitatu foret privandus, quæ ditionem illam, velut Ducatus Barrensis feudum Regi Ludovico attribuisset. Neglectâ citatione eo immissus est sub initium Julii

Comes

Comes Bissius cum copiis militaribus, quæ præsidiarios Hispanos ex urbe Chyniensi extruderet: cui cùm pacis amore, & quòd geminam alteram irruptionem in Flandriam & Hannoniam Galli minarentur, cessisset urbis Gubernator, eâdem armorum vi occupata sunt ea omnia, seu arces, seu oppida, quæ feudi dixit appendices. Quum multiplici dein statione eædem Gallorum copiæ urbi Luxemburgensi incubarent, quòd Comitatus Chyniensis dependentias, ut ajunt, ad civitatis hujus mœnia se dicerent extendere, ideo è vicinis pagis commeatus & cibaria in urbem inferri vetarent, Hispanus armorum præfectus, factâ in stationarios irruptione vi propulit, & occidit: quod amplam querelarum segetem, pacique publicæ non leve creavit periculum. Instituto igitur Cortraci in Flandria congressu, ut novæ inibi Regis Ludovici prætensiones elucidarentur, pro Regis Catholici parte exhibita est series sexcentarum, & amplius urbium, arcium, & oppidorum, quæ ab ultima pace occupari vi & armis jusserat Rex Ludovicus, velut eorum, quæ ipsi Neomagensi conventione relaxata fuerant, appendices & dependentias, cujus postulationis restitutionisque in integrum repetitæ difficultas disceptationibus & congressui finem imposuit.

16. Romæ Calendis Septembris ab Innocentio XI. Pontifice 16. Cardinales sunt creati, inter quos insignis doctrinæ merito conspicui Raymundus Capisuccus, Ordinis Prædicatorum, sacri Palatii Magister, & Laurentius Brancata Franciscanus, Vaticanæ Bibliothecæ Cu- *Quot Cardinales esse soleant.*

ſtos, cucullum purpurâ commutarunt. Cardinalium autem numerus ordinarius eſt ſeptuaginta, quot videlicet fuêre Diſcipuli Chriſti, quos repræſentant, & quot linguæ nationum, *Can. Septuaginta. diſt.* 16. de facto tamen videmus numerum jam eſſe ex arbitrio Papæ; unde refert *Car. Zaab. in Clem.* 2. §. *Porro. in princ. de elect.* quòd tempore Pontiani Papæ fuerint Cardinales ducenti triginta ſex. Ab anno 1125. uſque 1276. fuit numerus incertus, ut ſcribit *Buſæus. lib. de ſtat. hom. cap.* 1. *hoc tit. in fine.* In Conſtantienſi verò Synodo decretum eſt, ut numerus viginti quatuor non extenderetur. At Xyſtus IV. triginta ſupergreſſus eſt. Alexander VI. ad quinquaginta perduxit. Leo X. ad ſexaginta quinque, cùm unâ vice ſimul 31. creaſſet. Paulus IV. adhuc quinque addidit. Pius IV. uſque ad 76. proceſſit. Poſtremò Xyſtus V. numerum 70. definivit, ut eſſent ad inſtar 70. Seniorum, quos Dominus Moyſi dedit adjutores. Fuerunt olim Cardinales inferiores dignitate Epiſcopis, uſque ad Clementem V. & Joannem XXII. graduque deprimi videbantur Epiſcopi, qui fiebant Cardinales, ut ait *Joannes Andr. in cap. cum Apoſtoli. X de cenſibus. Gomez. in procem. comment. ad Reg. Cancell.* quia dignitas Epiſcoporum major eſt Cardinalatu, ait *Gomez. de valore. q.* 1. & dicuntur habere culmen dignitatis; Cardinales autem non dicuntur habere dignitatem, ſed officium. Itaque olim Epiſcopus poſtulabatur ad Cardinalatum, & tunc dicebatur deſcendere; nunc etiam Archiepiſcopi Cardinalatum ambiunt præexcellentiorem. *Vid. n.* 219.

In

In Anglia sæviebat adhuc in Romano-Catholicos Protestantium multorum sanguine insanabilis furor; ideoque principis Eboracensis ab Anglicano sceptro & corona exclusionem omnibus quibus poterant modis & artibus urgebant, ne quid damni anglicanæ pateretur ecclesiæ primatus: quare plures sub specioso prætextu in regem conspirationis, revera autem odio solius fidei Romano-Catholicæ injustè accusati innocenter capiebantur, quidam crudeliter, non sine levi Regis displicentia & offensa necabantur: immo 19. Novemb. Londinenses cives in publica, infamique processione Romani pontificis effigiem summo cum despectu flammis injecerunt, & Catholici regno sunt expulsi. *Vid. num.* 36. In Anglia Catholici opprimuntur.

169. Coloniæ Agrippinæ hisce temporibus exortas cives inter & aliquot magistratûs patricios discordias ultra quinquennium ingenti civitatis damno, spoliis & cædibus continuatè recrudescentes, Cæsareus illuc ablegatus Comes Ottingensis, quantumvis multum desudasset, componere non potuit. Fama etenim passim magistratûs lacerabat insolentiam, & Nicolaus Gülich mercator, homo tumultuosus, plura de exactionibus, & accisis inde populi viribus, de centesimo nummo, de nepotismo, & consanguineorum in senatum & officia, neglectis dignioribus, promotione, famulosque consulum præ cive optimè merente officiis applicari: antiquas negligi leges; de expensis, de perfidiæ & peculatûs reis, omniaque nummis & corruptelis venditari &c. imperterritè sparge- Coloniensium turbarũ auctor Gülich.

bat;

bat; neque omnia falsa, quædam dicebantur verisimilia. Quibus ab Hasselio in senatu relatis, citatus idcirco Gülich dicta sua non solùm confirmat; sed ad calamum dictata demonstrare singula est paratus. Placuit hoc plebi, & suis imprimis coriphæis Sax, Mesthovio &c. Tribusque opificium omnes factum laudant, & factionem, aliorum fortè instinctu, clandestinis noctu conventionibus & consiliis urgent. Consul Wolffskelius peculatûs & repetundarum accusatus sibi metuens, de spolii vitæque periculo præmonitus, fugit Bonnam, domum suam in prædam & spolium derelinquens, condemnatur in quadruplum. Bini regentes consules à Cöllen & Krepsius rei discussionem civium Tribubus & Gülichio committentes, dolenter experti sunt, quod canit Poëta:

Consules aggreditur

Quæ mala nascuntur populo, cùm traditur ensis!
Plebs ubi fert ensem, consul ab ense cadit.

Krepsii namque ædibus miles impositus, & ille non ædibus tantù, sed urbe etiam metu expulsus, gravi mulctatus est ære; sed à Cæsare appellationis processum in Spirensi camera obtinuit. Ejusdem insimulatus vitii consul tertius Casparus Cronenberg, J. U. Doctor,

Ille pater patriæ, laus urbis, gloria juris,
In calamo & lingua par in utroque potens:
Qui per ter denos urbi servıverat annos,
Urbis ad obsequium nocte diuque vigil

Et fidelis, suam constanter protestatus innocentiam, quamvis duplici libello tam magistratûs abdicationem, quàm repetundarum, si quæ foret, restitutionem offerret, eâdem cujusdam

vird

viri livore damnatus sententiâ, apoplexiâ tactus moritur. Syndicus Judendunck primò Gülichii consors, pòst insectator, acris vir ingenii, consulatum ambiens, rem restiturus, Gülichium inscitiæ & stultitiæ tam in senatu, quàm in tribubus arguens, ab omni illum removet consilio, omnia solus, plebe ita volente, regit, omnibus in magistratu insultat, & collegas despicit, quasi solus & supremus urbis prætor (non tamen etiam sine plurium offensa & invidia) omnibus despoticè passione magis quam ratione (quæ causa lapsûs ejus) imperat, jubetque Gülichio temeraria revocare dicta. Hic irâ furens pro dictorum suorum defensione sponte se ipsum in sua Regni cœlestis Tribu velut carcere arrestans, plura & majora accumulabat, mortem, si non probaret, subiturus. Quare hinc noctu ad Bogardorum in foro novo monasterium ex senatûs decreto sede delatus, clandestinis illicò literis socios, aliasque Tribus urbis contestatus, querebatur fulminans sibi vim illatam, jus civis adeptum, Tribû suæ quamprimùm rogat restitui: Plebe mox jubente senatus illum restituere coactus (prima hæc magistratûs ruina fuit) mandat severè omnibus Gülichium turbulentum, omnis mali auctorem vitare, idque ex Judendunckii consilio de cathedris, & affixis ad portas edictis minacitèr fieri mandat. Quibus magis furibunda plebs à Gülichio & sociis incitata, sonantibus per urbem tympanis ruit in arma, repulsoque milite, & capto ejus duce Kirbrino, occlusam perfringit curiam, domum frumentariam & armamentarium occupat, Juden-

Eidem resistitur.

Et monasterio includitur.

dendanckium è domo sua in tribum vietorum abducit, qui se omnia jussu senatûs egisse protestatus, potissimam culpam in Beyweg, Honthum, Cuseman, Huigen, Sibertz &c. frustra conjiciens, turri bavaricæ est inclusus, uti Hesselman Cunibertinæ. Satius mollioribus tunc usus fuisset Syndicus remediis; nascentis quidem seditionis patientia & modestia magis est irritamentum quàm remedium; nova enim cupientibus auferatur dux & auctor, ait Tacitus *Annal. lib.* 16. Secus dum adoleverit, cauta & mollia remedii loco succedunt; aut prudentes imitari nautas præstabit, qui adversis ventis non directam opponunt proram, contra vim veluti relucturi; sed per latera inclinando navem hac illacve sinuando vela & cursum, eludunt tempestatem, & simul portum assequuntur; sic populi impetus non aliter eluditur & reducitur quam per molliora; nec tamen molliter agendum & affectatè, quod æque periculosum, sed graviter: nam qui directè multitudini se opponit, frangitur & vincitur potius, quàm vincit dicit Fredro *part.* 1. *num.* 50.

Inde liberatus.

Adducti deinde ad Gülichium in Tribu Regni cœlestis (Himmelreich vocant) residentem Dictatorem consules Wischius & Beyweg, jubentur ex data sibi Tribuum commissione, in fœdere Transfixo, ut nuncupant, fundata, consulares fasces deponere, & puncta quædam subscribere: ceteris terrore obmutescentibus, imperterritè Mylius recusans arrestatur, paulò tamen post relaxatus est. Tum Gulichii, & Commissariorum à tribubus deputatorum jussu novus, ejecto veteri,

Consulei deponit.

Novum intrudit senatum

teri, senatus de plebe eligitur,& post dies aliquot repentino tympanorum tumultu armatum vulgus ad forum currens fœnarium, Gulichii dictatoris sui è vicina Cœlestis regni tribu in seram usque noctem expectat edictum, quo è lectis vi abrepti Imsterad, Brassart, Broich, Côpgens, Cuseman, Mylius, Schriltz, Dresen, Wintzeler, Dämen, Pyrot, van Drünen aut Gulichio in tribu prædicta sistuntur, aut suis in domibus custodiuntur, aut turribus portisque, (pretis tot dehortatoriis Cæsariis mandatis, includuntur. Bini etiam regentes consules Wischius & Beyweg in præfata tribu arrestati turpissimis & obscœnis adeo scommatibus & insolentiis vexantur, ut hic à periculoso morbo in lectum dejectus, neutiquam domum erga cautionem deportari Gülichius permiserit, & presbyterum infirmum consolaturum grandi cum bile tyrannicè repulerit: imo Cæsaris subdelegatis insultarit, mandata Cæsarea tanquam subreptitia & falsa rejecerit, comminata Principum Trevirensis & Neoburgici à Cæsare specialiter delegatorum fulmina banni (improbante licet novo consule Meinertzhagen) despexerit. Et quia unum metuebat Secretarium Gereonem Heiselmannum, virum astutum & magni ingenii, cui forte Colonia tunc, & posthac paucos habitura pares, qui omnes ingenii vires & labores annis pluribus urbis impenderat saluti, ejus, inquam, mortem factiosi omnes Gülichio & Sax instigantibus moliebantur, mortisque sententiam temerariâ omnino importunitate ab Alti judicii Viceconiite & Scabinis (solis in urbe mortis judi-

Antiquum captivat

Mandata Cæsaria cōtemnit.

dicibus) ob ſuſpectam ſolummodò cum Batavis, in urbis commodum, ut ajebat, & ſalutem, correſpondentiam, adeo urgebant, ut 12. Julii 1683. in foro publicè fœnatio, in conſpectu Cœleſtis regni tribûs (ubi conſules Wiſchius & Beyweg non ſine tremore adhuc detinebantur) fuerit capite plexus, & more Chriſtiano honeſtè ſepultus. Quâ tyrannide admodùm exacerbati ſubdelegati,

Heſſelmannũ capite minuit.

Tandem evulgatis in primarios tres rebelles Gülich, Sax, & Mertens banni fulminibus, reſipiſcenteque potiori plebis parte, mandant Cæſarei ſubdelegati vinctos hucuſque dominos ſuæ reſtitui libertati: concurritur itaque primopilo Mürckeno ad Cœleſtis regni tribum, unde fugâ elapſis Sax & Gulichio, uterq; conſul Wiſchius & Beyweg, ceteriq; omnes libetati in domũ ſuam revertuntur; Kirbrinus autem & Judendunck ipſomet urbem die clam elapſi deſeruerunt. Gülich Mürckeni auſum vindicaturus cõvocatis ſubitò ſcurris ad ſpolia promptis, primopilo Sax jubet ſpoliari domos Mürckens, Judendunck Krey, Moers, Keuter, Dücker, Honthum, Pütz, & Schleumer ſimul occumbit; ipſi adeo ſubdelegati vix ſecuti urbem deſerunt, acta Principibus ſuis expoſituri, & tardantem nimium Cæſaris bello turcico implicati reſolutionem expectaturi. Plures alii Bohlen, vidua Hôvels, Backhauſen, Gudman, Beil, Müller, Freund, Schmitz, Hittorff &c. numerato auro domorum ſuarum ſpoliationem redemerunt: alii Mappius, Mylius, Schrilz, Wintzeler, Imſterad, Huigen, Cuſeman, &c. ab officiis & urbe ſunt ejecti; conſul

Plurium domos ſpoliat.

de

de Groot consulares sponte fasces deposuit; Verhorst, Côllen, Honthum consulatu exuti, quem ab Rebellibus oblatum D. Mulhem recusavit: acceptarunt autem ad tempus Meinertzhagen, Schnitzler, & Braun; sed cum honore postmodùm multis obnoxium periculis & revolutionibus abjecerunt: Bilsteinius verò alti judicii Scabinus, & Rodenkirchius, universitatis Coloniensis bedellus honoris splendore occæcati, non sine dedecore & dispendio Cæsaris mandato consulatu sunt privati, de quibus infra.

Gulichius interim rerum dominus, senatûs consul & imperio dictator ad Cæsaream sæpius citatus aulam, sibi metuens, sex egregios, scilicet, Viennam mittit legatos, urbis causam expedituros: Cavaniak profugum quondam Jesuitam, Kramer pauperem notarium, Abraham Sax chirothecarium natione Scotum, Westhovium pellificem, Hubertum Schurman fabrum ferrarium, Mesthovium denique panni detonsorem, indigam civitatis fæcem & peripsemata. Lincium Austriæ ipsi venientes, ubi tunc Cæsar degebat, Welzium ad aulicos consiliarios remittuntur, Themidem auro corrupturi; sed explosi, rejecti, & urbe expulsi sunt, ac frustrata suo mansere rebellibus fructu munera; pro læsa parte stetere poli; rarò mala causa triumphat. Hinc cum dedecore Coloniam reversi, falsa plebi buccinantes, antiquam tyrannidis suæ viam ingrediuntur &c. Et quia tandem graviores Cæsaris metuebant iras, Batavorum, aliorumque heterodoxorum fortassis Principum auxi- Viennã mittit legatos.

auxilia advocare, & Calvinianæ eorum hæresi exercitium, & templa S. Servatii, S. Cæciliæ, & Patrum Societatis Jesu cedere (ut publicè, verumne, an falsum, spargebatur) consultabant; domûs saltem, à defuncta virgine Nôthens Patribus Societatis testamento legatæ possessionem capturi & spoliaturi, nihil, nisi aliquot vini plaustra invenientes, egregiè potaverunt.

Sub hæc quinque Cæsaris subdelegati Electoris Trevirensis Baro Breidbach de Saffig, & Anethan juris doctor; Electoris verò Palatini Baro Hugepot, Eich, & Hetterman Juris doctores Coloniam reversi, peremptoria Cæsaris mandata, & banni fulmina in contumaces Rebelles intra octiduum certò pronûntianda infligendaque singulis omnino tribubus & magistratui insinuant: potiori parti resilire volenti obstitit cum sociis Gülich, foventibus eos consule Rodenkirchen & Schnitzler quæstore. Subdelegati igitur trajecto versus Mulhemium rheno, solemni ad molam ibidem pneumaticam pompâ, in loco quondam supplicii (& paulo post in ipsa urbe Colonia) ter personante tuba & præconis voce illam Rebellionis triadem Gülich, Sax, & Mesthovium perpetuo banno subjiciunt, moxque disposito hinc inde in insidiis milite in domibus suis omnes tres noctu capti bavaricæ turri sine tumultu simul includuntur: inde 4. Novembris 1685. inclinante in noctem vespere Dusseldorpium navigio per lictorem delati (totâ in reos Dusselâ infremente, & lapidationem minitante) carceris vinculis innodantur, examinantur &c. Subdelegati intereà cita-

Banno cum sociis proscribitur

et captivatur.

Senatus antiquus à subdelegatis restituitur.

citato 13. Decembris utroque ad curiam tum antiquo tum novo intruso Senatu, consulares imprimis fasces Wischio & Beyweg, ceterisq; senatoribus pristinas dignitates & officia ex mandato Cæsaris restituunt; novus verò & intrusus Senatus cum Halvio & Rodenkirchen non sine pudore se tacitè subducit.

Tandem 22. Februarii 1686. Rebellis illa trias Dusseldorpio Mulhemium deducta, indicata est illis mortis sententia, ut ad eam se debitè disponerent: Sax & Melthovius crimina deflentes, & animitus compuncti sacro viatico muniuntur; Gülich verò mortis sententiam iniquam repudians, confessionem, Sacramentique refectionem multis licet ab ipsomet Sax, & sacerdote precibus & rationibus rogatus, ne animæ suæ proditor duplici, temporali & æternâ morte moreretur, pertinaciter rejicit, die altera 23. Februarii in eadem obduratus pertinacia ad locum supplicii prope præfatam ventimolam deducendus, vi & verberibus in currum à lictoribus dejicitur, ubi dum constructum cernit supplicii pegma, & speratum Agrippinensium Tribuum emanere subsidium, dejectus animo ante sacerdotem prostratus noxas suas confessus; sed accedentem sine consuetis fortè debitæ reverentiæ cæremoniis cum sacra synaxi parochum, quasi se fallentem noluit admittere, dicens sub istis panis speciebus non latere verum Christi corpus: asserente autem parocho, & graviter stipulante sub verè consecrati istius panis speciebus verum & vivum latere Jesu Christi corpus

Gülich & Sax capite Mulhemii plectuntur.

illud tandem sumit, & ascenso demum pegmate carnifex Nicolao Gülich caput, tum priores dexteræ manûs digitos (quod ante necem fieri debuerat) resecat. Mox Abraham Sax præmissis verè contriti animi signis, & eximiâ in crucifixum devotione eâdem capitis sententiâ, sed bis fallente turpiter lictoris ictu plectitur. His peractis bina lictor capita, Gülichii bavaræ turri, Sax Cunibertinæ, ut bis Agrippinæ extremis, ad perpetuam seditionis memoriam publicè imponit, corpora infra patibulum, vel in loco erecti quondam patibuli sepulta. Antonius Mesthovius eandem quidem meritus pœnam, certis ex causis condonatus betulis tantùm per Mulhemicas cæsus plateas æternùm ex archidiœcesibus Coloniensi, Juliacensi & Montensi fuit proscriptus.

Illa trium Gulich, Sax, Mesthoviique fuerunt
Præmia, seditio talia dona parit.

Puniuntur etiã complices. Joannes Peterman vilis & perfrictæ frontis homo betulis similiter castigatus, Paulus Dierichs lanifex ad catastam pullato amictu publice sannis expositus: Martinus Gotschalcus Inden juris doctor, Rebellium Secretarius post tres virgis cæsos ponè secutus in perpetuum, Lutzenkirchen verò sctiniarius, & Hagen lanio ad annos decem, Hubertus Schurman, Servatius & Bernardus Königsfeld ambo clavifabri ad annos quinque, Joannes Bieren autem caupo in perpetuum urbe proscribuntur: Wilhelmus Pung faberferrarius, & Petrus Gilles pistor betulis sunt castigati. Ceteri interim rebellionis complices 22. mortis & pœnarum metu alio fugitivi

vi citantur, ut intra dies 30. in urbe se sistant; post tres verò menses non comparentes à subdelegatis proscribuntur, & bona eorum fisco addicuntur. Syndicus denique Judendunck non omnis expers nævi, exul urbis agrippinæ hinc inde divagatus, agnito tandem depositoque passionum suarum ardore, magnî nunc Principis agit ministrum honore spectabilem. Bilsteinius gratiâ Cæsaris in retinendo consulatu frustratus, Anselmi Electoris Moguntini favore & gratiâ urbi Erfurtensi magna cum auctoritate præsidet velut administrator. Jubet deinde Cæsar, ut nonnisi honesti probatique cives imposterum tribubus inserantur, præcipitque ut 25. spoliati intra octiduum omnia damna & mulctas, & quæcunque passi sub juramento specificent. Hæc est flagitiosissimæ & damnosissimæ Agrippinensis seditionis catastrophe, qua supprimenda unica quondam consulis Hardenrad generositas, vel Greinii consulum fortitudo in tam tumultuosa tunc deerat republica. Hinc Livius *lib.* 10. *dec.* 3. dicit: *Magna diu civitas quiescere non potest: si foris hostem non invenit, quærit domi*. Nihil enim audacius est, quàm imperitia vulgi. *Menand. apud Stob.* Sed Tu ne cede malis, sed contra audentior ito, ait *Virgilius* 6. *Æneid.* Audentes Deus ipse juvat. *Ovid.* 10. *metamorph* & Virgilius: Audentes fortuna juvat, timidosque repellit. Ambitio quoque, livor & avaritia pessimæ sunt urbis pestes, unde quidam:

Ambitio fasces peperit, sed livor ademit,
Ardor avarus opum, sed mala plura tulit;

A tribus his quantas est passa Colonia clades?
Quanta nepotismi damna paravit amor!

Turbæ Leodienses.

Leodii aliud civium cum episcopo suo Maximiliano Henrico Electore Coloniensi propter impositum mercibus nummum sexagesimum erat dissidium; civitas misso quidem suo ad episcopum cancellario, tentavit, sed frustra, compositionem: episcopus igitur omnia circum Leodium oppida, atque ipsum etiam Visetum occupat, imponitque 400. armatorum præsidium; quo per Leodienses ejecto, plures illuc copias offensus haud leviter episcopus destinat. Cæsar ne quid ulterioris mali & inquietudinis ex invocato Gallorum subsidio Imperio Rom. accideret, consiliarium suum aulicum Jodocum ad componendum utrimque dissidium ablegat, à quo Leodienses non alieni, quosdam cum Jodoco ad episcopum deputantes, antiquam consuetamque regiminis normam postulabant; sed mediatoribus licet episcopo Argentinensi Francisco, & fratre ejus Wilhelmo Fürstenbergo in alterum annum est dilata.

Concludo hanc catastrophen verissima, & sæpius probata *Titi Livii*, sententia *decad. 3. lib. 4.* Hæc est multitudinis natura, aut servit humiliter, aut superbè dominatur: libertatem, quæ media est, nec spernere modicè, nec habere sciunt. Et non desunt irarum indulgentes ministri, qui avidos atque intemperantes plebejorum animos ad sanguinem & cædes irritent.

Mors Montecuculi.

Lincii in superiori ad danubium Austria Princeps Raymundus Montecuculus, ut dixi, fato cessit, summo Cæsaris dolore & damno, in

cujus

cujus militaris officii locum successit Carolus Dux Lotharingus.

Annus 1682.

170. Rebelles interea Ungari, quia non omnia, uti Protestantes exigebant, templa, nec confiscata tam properè bona, quæ tum clericis & religiosis à Cæsare donata fuerant collegiis & conventibus, restitui poterant, hyemali vix evoluto armistitio, justum in campum educunt exercitum, & dominantur ubique ferociter; cumque Turcæ etiam copiosis latè per Ungariam se effunderent agminibus, pactum annum 1664. viginti annorum armistitium violaturi, & jam Cæsar certius inde sibi turcicum imminere bellum prævideret, ultima tentans Albertum Capraram, fratrem Generalis Capraræ, splendido 60. personatum comitatu, pretiosisque muneribus principio Julii legatum mittit Constantinopolim, induciarum prolongationem suâ qua valeret prudentiâ promoturum. At Turcæ bellum ut certò statutum dolosius occultarent, magnum regni Cancellarium, & Janizarorum Agam ad componendas speciosè cum Caprara inducias his deputant conditionibus: Ut Ungariæ regnum in eum, quo anno 1655. fuit, statum reponatur, pendeatque Soldano annuum 50000 imperialium tributum: dein Leopoldopolis, & Styriæ metropolis Græcium destruantur: Tockelii potestati tradantur Neutra, Schuttum, Eckhosium, Muranum, & insula Schut; factaque generali amnestiâ omnia Rebellibus bona, privilegia, jura & dignitates restituan-

Cæsar à Turcis frustra induciarum prolongationem petit.

Iniqua Turcarum petita. Arma in Ungariam parant.

tuantur. Quibus absurdis nimium & iniquissimis conditionibus cùm tolerabiliores Caprara reponeret, repudiaret autem illas Soldanus, Vezirius omnia undequaque agmina & legiones Belgradum migrare jubet, ut primo statim vere centum millium armatorum exercitus in quamlibet foret expeditionem paratus.

Tôckelius plura Ungariæ loca occupat.

Sub hæc Cæsar Tôckelium sibi demereri studens, in ejus cum Ragotziana vidua, Petri Serini filia consentit matrimonium, 14. Julii Moncatii contractum; quo ille ferocior Zathmarii arcem improviso occupat, & præsidiarios 80. internecivè mactat; dein Caschoviam capit deditione, in qua præfectus quia cuniculum insigni jacturâ evibratum, non tamen studio, subticuerat, majorem delet præsidii partem, reliquos turcicæ mancipat servituti, & à civibus pro condonato incendio octo millia imperialium extorquet: tum invadit Onathum, Patock, Eperiesum, fanum S. Andréæ, Tockajum, Vilecum, Levenzam, Neuttam (has binas Turcis extradit) & urbes montanas omnes, indeque Romano Catholicis & Religiosis ejectis, eorum templa & bona barbarè occupat; siquidem Soldani jussu associato Budensi Bassâ, omnibusque Transylvanicis auctus copiis, armatorum sexaginta millium exercitu vim ubique terroremque ingentem circumferens, omnia se ejus inclinabant imperio, Leutackum, & munimentum Rips cum omni circum regione se ejus, Turcarumque ultro protectioni submittebant: idem namque Tôckelius ter mille equitibus comitatus 8. Martii Budam profectus ad urbis portas à

Bu-

Budensis præfecti filio singulari exceptus benevolentiâ & honore, per armatos utrimque ductus Janizaros cum ipso Budensi præfecto, & misso Byzantio Soldani commissario Mustapha Bay, de Ungariæ & belli statu collaturus, sic utrimque pactum & conventum est: Turcarum Soldanus unicus & perpetuus Ungaricæ nationis protector sit, & jugi germanici assertor; omnes deinde Ungari retinebunt munitiones, reddant verò Soldano post ultimum armistitium occupatas: liberam habeant Regis electionem, omniaque officia & dignitates solis conferantur indigenis: Turcarum exercitus per regnum ab Ungaricis commissariis sine incolarum detrimento traducatur; & pro omni denique protectionis assistentia gratuitum annuè donum 40000. imperialium nunquam augendum sibi pendant. His peractis à Budensi Præfecto magni Soldani nomine in Ducem Ungariæ in omnium ad hunc actum convocatorum Bassarum, tribunorum ac militum præsentia est renuntiatus, proclamatus, & ducali chlamide, pileo, seu Turcis consueto turbano, acinaceque quasi sceptro donatus: imo Regis insignitus fuisset titulo, si ambivisset; unde etiam titulum sibi incussis monetis arrogavit: *Principis ac partium Hungariæ Domini*, & non sprevisset Tôckelius: ipse adeo Soldanus literas ad Pannonici Regni Ordines dedit, quibus suam ipsis offerens protectionem, Tôckelium & descendentes ejus hæredes Ungariæ Reges constituit; his verò deficientibus, alium libera ex se electione coronare posse concedit, promittitque anno se-

Tôckelii pactû cum Turcis.

Renuntiatur Ungariæ Dux à Turcis

quenti formidabili illis subsidio & expeditione certò succursurum.

Cæsar multis promissis frustrà à Tôckelio & Turcis armistitii prolongationem postulat.

His omnibus non obstantibus non intermittebat Cæsar armistitii prolongationem omni qua posset curâ & solicitudine tum per Capraram apud Soldanum, tum per Saponaram apud Tôckelium obtinere: huic novas permittit inducias, & omnium jure belli occupatorum possessionem præter civitates montanas, quas hâc Cæsar cedebat conditione, ut hebdomadatim inde Tôckelio sexcenti solverentur imperiales, ipsum denique Tôckelium armistitii cum Turcis continuandi admittit mediatorem. Sed quò majori pacem optabant desiderio Christiani, eò absurdioribus eam Turcæ postulatis rejiciebant; nam præter annuum tributum exigebant pro belli sumptibus futuræ expeditioni modò impensis 5. milliones; Deinde extradi sibi volebant Jaurinum, Comorram & Zathmarium, limitesque suos Trenschinum usque extendi; tamque fraudulenter eo usque pacis simulabant desiderium, donec miles, commeatus, apparatusque omnis bellicus collectus, cuncta in expeditionem paratissima subitò & inopinato Cæsarem impetu possent opprimere. Idipsum literis Cæsari significabat Caprara, nullam esse nec pacis, nec induciarum, nec ullius compositionis spem cum Tôckelio, & Porta Ottomannica; sed celeberrima militari pompâ caudas equinas octavo calend. Octobris singulari veneratione, & 2800. militum comitatu expositas, omniaque maturæ ac certæ in Ungariam præparari expeditioni: quamprimum enim Valida Sultani Ma-

Mahometis IV. mater, mulier fortis, & supra sexum sapiens, Adrianopoli defuncta, & in Moschea in sepulturam propriis sibi sumptibus ædificata modesto apparatu, comitantibus inprimis funeris exuvias centum mancipiis, quibus libertatem gratiosè donaverat, terræ mandata fuerat, Sultanus præsentes ad armilustrium militares copias extra urbem Byzantinam quarto nonas Octobris vocavit, easque urbem splendidâ & sumptuosissimâ militari pompâ egressus in patentissimo campo perlustravit, millenis magni pretii papilionibus, commodo urbis instar ordine arroganter instructo: solus Sultani papilio in diversa distinctus veluti conclavia regiè micantia, tantæ erat capacitatis, & ex auro, argento, gemmisque pretiositatis, ut 300. vix cameli oneri ejus circumferendo suffecerint: supremi autem Vezirii tentorium, etsi non æquè fastuosum, pretium tamen ejus 100000. realium excedebat. Sumptuosum autem hoc armilustrium primâ statim nocte tam horribilis fœdavit aëris tempestas & aquarum diluvium, ut aquæ in decursu rapidi instar fluminis plurima evulsa tentoria, currus, jumenta & homines non sine terrore ac omine ipsis adeo Turcis fatali in mare devolverint effuderintque. Absoluto armilustrio, & appropinquante hyeme miles in propinqua distributus est hybernia. *Vid. num.* 173.

Validæ Sultanæ exequiæ.

Ominosa tempestas in Turcarum armilustrio.

171. Quarto Calend. Maji obiit Moscuæ Theodorus Alexovicius, summus Moscorum Dux, anno ætatis 25. ideoque creditus veneno sublatus. Prætoriani suspicioni faventes, aliique

Variorum occasus. Theodori Mosci

ad

ad numerum triginta millium seditione factâ palatium, seu aulam regiam armis invadunt, suspectos de Principis nece crudeliter trucidant, domos eorum diripiunt, immo & aliorum, qui in publicis officiis positi favere sunt crediti. Successerat Theodoro aulæ suffragiis Petrus Alexovicius decennis, mortui frater; sed quod occisorum aliquos protegere, & subducere morti voluisset, solio exturbatus illud alteri fratri Friderico, sibi annis majori, sed oculis capto, cedere coactus est. Hinc novarum rixarum seges, tuentibus aliquibus hujus majoris natu, cæci licet, jura, aliis potiorem istius, etsi natu minorem idoneitatem. Confirmatus demum Petrus feliciter & prudenter gubernavit. Fatis etiam resoluto in mortem corpore concessit Eruditorum ævi sui phœnix Joannes Caramuel, vir portentosi ingenii, & per omnes scientias exerciti, cujus omnimoda experimenta dedit innumeris prope libris, in quibus encyclopœdiam absolvisse visus est. In metaphysicis abstractisque studiis apprimè versatus, subtilissima quæque rimatus est, nec minus philologicis, politicis & historicis deditus; quorum luculenta specimina scriptis itidem evulgavit: ob hoc unum forsan laude minori prosequendus, quod ad sæculi geniū in moralibus sibi liberius sentire permiserit, multis editis & approbatis opinionibus, quæ pronæ ad vitia hominum voluntati visa sunt viam sternere. In Belgio parentibus tamen Hispanis ortus, monachus vixit, ex Ordine Benedictino ad Cisterciensis congregationis regulas & constitutiones traductus, ut Abbas esset: inde ad Episco-

Moscorum turbæ ob successionem Petri Caramuelis mors.

Jus Regaliæ à Maimburgo defensū.

piſcopatum Nolanum in Campania, & ex hoc ob aëris inclementiam ad Vigevanenſem in Inſubria à Philippo IV. Hiſpaniarum Rege eſt evectus, ubi inter indefeſſi ſtudii labores conſeneſcens, octuagenario major obiit: majoribus dignitatibus aliquando à Pontifice Alexandro VII. deſtinatus, niſi illi maxima omnia merenti minimum quid, memorari indignum, obſtitiſſet. In Gallia agitata cleri comitia ſuper jus Regaliæ à Rege prætenſum, & per Ludovicum Maimburgum 55. fermè annis Societatis Jeſu alumnum ſcriptis ac libris defenſum, ideoque à Pontifice Innocentio XI. Societate ejectum; qui pauculos poſt annos de ſchiſmate Anglicano actu ſcribens 13. Auguſti 1686. apoplexiâ tactus, momento abſolvit anno ætatis 72. Patres Carthuſianos 20000. Francorum, & Regem ſcriptorum ſuorum fecit hæredes. De quo *Sfondratus in præfat. Gall. vindic.* ideoque societate ejectus.

Cæterùm Clerus Gallicanus in præfatis comitiis non ſolùm prætenſum Regi jus Regaliæ in omnes regni ſui eccleſias ſuis ſuffragiis ad ampliſſimum permiſit arbitrium; ſed multa etiam ſuis Gentilibus propinavit velut de fide circa ſummi Pontificis auctoritatem dogmata, ſchiſma apud plures ſapientia: nimirum *primò* B. Petro, ejuſque ſucceſſoribus, Chriſti Vicariis, ipſi eccleſiæ rerum ſpiritualium, & ad ſalutem pertinentium; non autem civilium ac temporalium à Deo traditam poteſtatem, dicente Domino: *Regnum meum non eſt de hoc mundo.* Joan. 18. 36. Et iterum Marci 12. 17. *Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo.* Ac Rom. comitia Gallorũ & ſchiſmata.

13. 1. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit* &c. Reges ergo & Principes in temporalibus nulli ecclesiasticæ potestati Dei ordinatione subjici, neque auctoritate clavium ecclesiæ directè vel indirectè deponi, aut illorum subditos eximi à fide atque obedientia, ac præstito fidelitatis sacramento solvi posse: eamque sententiam publicæ tranquillitati necessariam, nec minùs ecclesiæ quàm imperio utilem &c. omninò retinendam. *Secundò*. Sic autem Petri successoribus rerum spiritualium plenam potestatem inesse, ut simul valeant, atque immota consistant S. Oecumenicæ Synodi Constantiensis à sede apostolica comprobata, ipsoque Rom. Pontificum, ac totius ecclesiæ usu confirmata, atque ab Ecclesia Gallicana perpetuâ religione custodita. Decreta de auctoritate conciliorum generalium, quæ sessione 4. & 5. continentur, (*quas Martinus V. ab eodem tunc Concilio rejectis tribus antipapis legitimè electus & præsidens Papa non confirmavit, sed reprobavit potestatem scil. Concilii supra Papam &c.*) nec probari à Gallicana ecclesia, qui eorum decretorum, quasi dubiæ sint auctoritatis, ac minus approbata, robur infringant &c. *Tertiò*: Hinc Apostolicæ Sedis usum moderandum per canones Spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentiâ consecratos; valere etiam regulas, mores, & instituta à regno & ecclesia gall. recepta, patrumque terminos manere inconcussos; atque id pertinere ad amplitudinem Sedis Apost. ut statuta & consuetudines tantæ sedis & ecclesiarum consensione confirmatæ propriam stabilitatem obtineant.

neant. *Quartò*: In fidei quæstionibus præcipuas summi Pontificis esse partes, ejusque decreta ad omnes & singulas ecclesias pertinere, nec tamen irreformabile esse judicium, nisi ecclesiæ consensus accesserit. Quæ accepta à Patribus ad omnes ecclesias gallicanas mittenda decrevimus &c. Parisiis 23. Mart. 1682. octo Archiepiscopi, 26. Episcopi, & alii viri ecclesiastici primarii 36. Et Rex Ludovicus XIV. per Galliam edito edicto præcepit observanda. Ob quæ Innocentius Pontifex summoperè indoluit, Ludovicus verò omnibus orbis potestatibus supereminere, gallicanaque ecclesia *plus sapere, quàm oportet sapere*, voluit. Rom. 12. 3.

Has quatuor propositiones Gall. præterquam plura concilia, Pontifices, & Alexander Papa VIII. literis in forma Brevis Anno 1690. die 4. Augusti signatis, improbavit, cassavit, viribusque & effectu penitùs & omninò vacuavit; sunt tamen, qui præfidenter ausi sunt asserere, certam & indubitatam esse ecclesiæ Gallicanæ doctrinam: Concilium esse supra Pontificem, eamque sententiam DD. Parisienses se propugnaturos juramento confirmare. Verùm hoc falsum asserit Andreas Duvallius Doctor in Sorbona celeberrimus *Tract. de Rom. Pont. potestate* p. 4. q. 1. & q. 7. hoc eodem comitiorum tempore scribens: *Totus*, inquit, *orbis, exceptis paucults Doctoribus, eam sententiam amplectitur, & rationibus validissimis, cùm ex Scriptura, Conciliis & Patribus, tum ex principiis Theologia petitis confirmatur*, Papam scil. esse supra Concilium; & contrariam esse erroneam quidam scribunt.

Quæ Alexander VIII. damnavit.

Et Duvalius refutavit.

Con-

Concilium autem Constantiense legitimum est, quoad posteriores sessiones, à Martino legitimo Papa præsidente habitas; illegitimum verò quoad priores 4. & 5. &c. sessiones, sub antipapis Petro de Luna, seu Benedicto XIII. Angelo Coriario, seu Gregorio XII. & præcipuè Joanne XXIII. rejectis, habitas, cujus Joannis adhærentes aliqui, non omnes, decreverunt concilium esse supra Papam; qui, quia ut antipapa rejectus, rejectum & nullum est ejus decretum, ut testantur Eugenius Papa IV. qui Constantiensi Concilio tunc Cardinalis interfuit; & *Turrecremata Sum. de Eccles. lib. 2. c. 99.* qui concilio quoque interfuit.

Gregorius VII. Henricũ III. Imperatorio nomine privavit.

Quoad alterum, Gregorius Papa VII. Henricum III. post anathema, imperatorio etiam privavit honore, quia ecclesiastica sacerdotia habebat venalia (num levius, ecclesiasticos mortuo Episcopo proventus sibi arrogare & tollere, Dei Ecclesiæ competentes?) nec antè reposuit, quàm per hyemem nudis in nive pedibus, collo indutus zonam, multis horis ad Canusiæ oppidi Rhegiensis portas (ubi tunc Pontifex agebat) erroris sui veniam peteret, & tandem ad osculum pedis admissus esset. *Fulgos. lib. 6. & ex eo Andr. Eboren.*

Ludovicus obsidere cessat Luxemburgum ob bellum turcicũ.

172. Hoc enim verò admirandum, quòd obsessum novis Ludovici Regis copiis Luxemburgum ab illis denuò liberatur, protestante Rege, se ab urbe obsidenda supersedere, ut Regi Catholico promptum esset auxilia Cæsari submittere, in quem Turcas bellum parare audiebat. O felicem Leopoldum, si ea pietas, quæ

longè

longè adhuc posito hoste parcebat, hæc illo imminente, & bellum internecinum inferente à promovendis prætensis juribus abstinuisset! Et eodem tunc flagrante turcico bello Germaniam & Belgium non invasisset! Sed hem! insolescentes quotidianis navium deprædationibus Algerienses tandem hoc anno Rex Ludovicus punire statuit, immissâ in eos classe, quæ urbem eorum ignivomis nucibus miserè fœdavit. Dum tamen omnes de Barbarorum prædonum asylo proximè extirpando sibi gratulantur, soli sibi cum eis pacem firmat Ludovicus, quæ in levibus infidelium promissis fundata, in novas brevi postea dissiliit offensiones.

Eluvies per Europam.

Annus hic variis Belgii, Galliæ & Germaniæ portibus maris procellis, & fluviorum eluvionibus fuit funestatus, & singulari tot ruinarum calculo signatus; præcipuè verò afflicti Amstelodamenses, cæterique Batavi, qui jacturam sese fecisse his aut procellarum tempestatibus, aut inundationibus viginti millionum sunt protestati.

Nascitur 9. Junii Cæsari secundo-genitus Leopoldus Josephus, à Card. Bonvisio Laxenburgi baptismo renatus; sed non diu superstes: Galliarum quoque Delphino 2. Augult. ex Maria Anna Bavara nascitur primogenitus, quem avus ejus Ludovicus XIV. suo nomine Ludovicum Ducem Burgundiæ appellari voluit, magnâ gloriatus lætitiâ, & quasi miraculi felicitate, quòd regiæ suæ familiæ videret nepotem unicè desideratum; id quod hucusque ab annis 350. nemini Galliarum Regi contigit: quanta igitur

Dauphino nascitur filius.

felicitas non unum hunc tantùm, imò duos alios ejusdem fratres nepotes; sed duos etiam pronepotes Duces Britanniæ vidisse? Cæterum Dauphinus XV. princeps bonus & uxorius, publicis regni abstinens negotiis, quorum utcunque incapax, solo Delphini nomine erat gloriosus, quo Regis Galliæ primogenitus hac de causa appellari solet, quòd Humbertus ultimus Delphinatûs Comes anno 1340. moriens hunc suum comitatum gallicæ coronæ perpetuò hac conditione incorporari voluerit, ut Regis primogenitus Dauphini vel Delphini titulo insigniretur.

Unde Dauphinus dicatur.

Conjuratio in Regem Angliæ.

Novo conjuravit facinore in Regem Angliæ Carolum nobilis Schaffburius, non regni tantùm gubernationem molitus evertere; sed Regem, ipsiusque fratrem Ducem Eboracensem elaturus, si res successisset. Complices habuit benè multos, quorum operâ utrumque Angliæ & Scotiæ regnum condictâ die 27. Novembr. insurgeret, in qua & vitam ille Regi arriperet & seditiosi magistratus civiles in provinciis tollerent. Re tamen ad multorum suspicionem adductâ, rogatus est Rex, ut necessariis sibi curis consuleret. Unde factum est, ut dum tardiori se apparatu complices ad rem opere perficiendam accingunt, perculsus metu Schaffburius [ne conjurationis antesignanus Regi innotesceret] in Hollandiam profugit, ubi sub initium sequentis anni decessit. Conjuratio hæc, quæ antesignani fugâ, patientiâque Regis Anglorum Caroli hoc anno evanuisse credebatur, in novas sequenti mox anno erupit molitiones. A substituto à conjuratis Schaffburiensi Comiti sex

viro-

virorum consilio delecti sunt alii, qui illa omnia, quæ ad meditata exequenda opus forent. Destinatur præcipuè, qui insurrectionem urgeret, Argilius Comes, alicujus inter Scotos nominis; collato ei ære numerato, quo arma insurrecturis Rebellibus ministranda emeret. Indictus est mensis Martius, in quo de more Rex ad ruris delitias urbe egressus, in itinere, dum rediret, à destinatis sicariis confoderetur, qui occulti secus viam in domo unius ex conjuratis illum cum fratre, & paucis familiaribus advenientem observarent. Descripti alii, qui eadem die Londini sub epuli prætextu congregati, dum primus occisi Regis rumor urbem pervasisset, in plebem exilientes famosos spargerent libellos, & seditiosâ præsentis libertatis conclamatione eam ad arma arripienda impellerent, occupaturi inde palatium & turrim, seu arcem, in quibus illi omnes seu magistratus, seu præsidiarii necarentur, qui rerum innovationem improbarent. Ast quæ omnia tot curis & expensis procurarat conjuratorum furor, levissimo sunt casu dissipata: indignatus enim Rex Carolus ignem in palatio, ad quod ruris potiundi cupidus se contulerat, fortuitò accensum conceptam lætitiam prævertisse, inopino regressu se in urbem contulit. Unde & factum est, ut conjuratis tempus deesset, quo meditata disponerent, iisque providerent omnibus, quæ ad omnia simul exequenda parabantur. Cum obstinatos nihilominus conspiratores adhuc tectos captata defecisset opportunitas, novis intenti occasionibus gemino se fœdare parricidio constanter decernunt, seu Rex cum

fratre ad rusticanū iter se denuò accinxisset, seu alterius relaxationis gratiâ in solitaria navicula Tamesim, ut solebat, obambularet; seu denique ad aliquod publicum spectaculum convenientes communem sui copiam fecissent. Parabatur aulæ & urbis geniali oblectamento annua taurorum pugna X. Calend. Jul. habenda, & à Rege spectanda; sed quo minus vicino periculo incauti succumberent, conspiratorum unus effecit, qui concepti sceleris pœnitentiâ tactus rem totam Regi aperuit, cujus jussu complices partim intercepti & mulctati sunt, partim fugâ supplicium declinaverunt. Fatales has insidias struxisse videtur assumptæ à Carolo, & fratre suo Romano-Catholicæ fidei suspicio, & sectæ Anglicanæ desertio, de qua doctissimus pariter & piissimus Angliæ Cancellarius Thomas Morus [quantus vir!] judicibus suis, non suis, ut refert *Stapletonus*, dicebat: Ego toto septennio animum, studiumque meum in hanc causam intendi, nec in ullo hactenus doctorum, quos ecclesia probat, scriptum reperire potui, hominem laicum statûs ecclesiastici caput, aut fuisse aliquando, aut esse ullo modo posse. Adeoque anne etiam culpæ infamiæque Primatus Angliæ obnoxius ob hoc, quod primus ejus Pontifex mœchus, secundus puer, tertius mulier? scabiosa nempe capita. *Vid. num.* 36.

Congressus Francofurtensis propter gallicam reunitionem institutus, ob continuas cum legatis gallicis rixas & curialia dissolutus, meliorem Ratisponæ successum habiturus à Rege appromittebatur, per Marchionem Creejum pacifi-

cificè & ſtudioſè inſtaurandus. Rex interim reunitionem latiùs promovens Huningam haud procul Baſilea oppidum opportuno ſitum loco, validiſſimo munivit robore, Baſileenſibus id non ſine totius Europæ admiratione permittentibus, uti & munitionem Kehleranam, & novo Argentoratum munimento fortificat, everſis econtra Arenbergi, Falckenburgi & Lichtenbergi vallis & robore, non ſine ſummo Imperii Romani præjudicio & detrimento: hinc in comitiis quidem Ratisponenſibus pro ſecuritate publica & perpetuo milite, modus auctorandi alendique 80000. exercitum ſub ſupremo militum præfecto Georgio Friderico Comite Waldeccio, in Principum ordinem ob præclara ejus merita & militarem ſcientiam 27. Junii elevato, propoſitus & approbatus, ſed effectui nequaquam eſt traditus.

Annus 1683.

173. Vernalis quamprimum menſis Aprilis anni 1683. advenit, dum magnus Turcarum Soldanus in iisdem, quibus antehac campis recenſet exercitum, horriſonus eidem Soldano ventus turbanum, ſeu vittam imperialem capite dejicit, non ſine vano rurſus fœdifragi ſolio deturbandi prognoſtico. quod minimè obſervantes Soldanus & Vezirius, quatto nonas Aprilis Conſtantinopoli exercitum per continuatas Philippopolim uſque pluviarum tempeſtates cum incredibili viarum impedimento, & innumerabili equorum, camelorum, curruum, hominumque interitu Belgradum traducunt, & conducunt

ducunt civili quadam captivitate Cæsareos Internuntios Comitem Capraram, & Cæs. Residentem Baronem Caunitzium, ubi inter tormentorum tonitrua quarto nonas Maji festivè sunt excepti. Hic Turcarum motus nullum amplius de invadendo Cæsarem dubitandi locum relinquebat; significatum igitur Capraræ, ut abruptis pacificationis tractatibus, &, ut quidam scribunt, indicto Turcis bello Viennam illico ambo reverterentur. Jamque arctum modò Cæsar fœdus cum Electore Bavaro Maximiliano singulari bavarici internuntii Baronis Leidel studio inierat, & 17. Januarii confirmarat (recusante illud hucusque ejus patre Ferdinando Mariâ, qui amore pacis, & quietis securitate nullum cum Austriacis contra Gallum fœdus sancire voluit; sed non attento etiam imperiali concluso, illud imperante, neutralitatem sanctè semper servavit) & quia suæ metuebat Viennæ, occidentis Imperii Sedi, totiusque Germaniæ antemurali, exiguis tunc exterioribus vallis, loricis & munimentis, imò nullis vallaribus sudibus roboratæ, in subsidium fœdusque Pontificem Innocentium, & Italicos Principes per Martinizium sollicitare, Polonorum Regem Joannem Sobieskium per Carolum Wallensteinium, & Electores Principes, Saxonem, cæterosque viciniores (quia proximus ardebat Ucalion) & viribus potentiores, Luneburgenses, Suecum, & (instigante ob Gallorum metum Principe Wilhelmo Auriaco) Batavos in subsidium advocare, exercitum cogere, ut non sustinere bellum, sed inferre videretur. Innocentius XI. Pontifex ad exoranda cœli auxilia Jubilæum indicit universer-

versale, liberali æris numerati profusione causæ catholicæ patrocinatur, & sanctum inter Cæsarem & Polonum off-& defensivum urget fœdus, quod utriusque nomine bini Romæ Cardinales Pio & Barberinus regnorum illorum protectores juramento in Pontificis confirmarunt præsentia, utriusque nonnisi consensu dissolubile, vi cujus 60000. Cæsar, & Polonus 40. armatorum millia, tum campestria, tum præsidiaria hostibus opponerent, sublatisque cunctis utrimque prætensionibus Cæsar pro hac expeditione numerabit Polono 300. millia imperialium ex decimis à Roman. Pontifice concedendis decurtanda. Fœdus autem contra Turcas defensivum, etiam inter utriusque partis successores hac privatim conditione pactum perpetuum, ut Cæsar duorum millionum prætensionem in Salinas Vilissenses remittat, renuntietque simul juri Regem Poloniæ in electione nominandi, aut præsentandi ex Austriæ Archiducibus, aut huic Domui affinem & conducibilem. Quod jus Poloniæ Rex & Respublica à Suecis tunc in Polonia invalescentibus oppressa, legitimo confirmavit instrumento. Fuit quidem initio fœderis aut subsidii ex generalibus Poloniæ comitiis spes nulla, aut exigua; sed multum eam promovit Reginæ Poloniæ Mariæ Aloysiæ, Marhionissæ de Prequin in Regem Galliæ offensa, seu, ut auctor scribit, vindicta, à quo illa singularem in Gallia pro sua ibidem familia gratiam petierat, quam Rex Ludovicus non modò absolutè denegaverat; sed nec pro regiæ dignitatis respectu & excellentia illam honoraverat; Hinc Regem conjugem suum

Innocentii PP. Jubilæum & subsidiũ contra Turcas.

Sanctũ fœdus Cæsareo Polonicum

assiduis fatigans precibus, subsidium tandem & fœdus cum Cæsare, obstante & ringente licet Gallo (O rem Christianissimo Rege indignam!) feliciter, & cum summo Christianitatis, Imperiique Romani emolumento, & æviterna sua gloria impetravit.

Cæsaris armilustrium. Adulto igitur vere pridie nonas Maji solemne copiarum omnium armilustrium haud procul Posonio in Kitseensibus pratis cis Danubii ripam Cæsar instituit, ubi ipse cum Augusta & Electore Bavaro, multisque aliis Imperii Principibus summus lustrator interfuit, numeravitque quadraginta tria, qua peditum, quà equitum millia, præter Lubomirskii ære auctorata 6. Polonorum millia, & 8. circiter Ungarorum millia sub Palatino Esterhasio; quorum tamen magna pars post armilustrium, uti & sub Viennensi obsidione Budianus cum suis ad Tôckelium deficiebat. Erat tunc inter Germanos Bohemus Christophorus III, centum & novem annorum emeritus eques, omnino canus, sed animo supra juvenilem vegetus, qui ultra 80. annos Cæsarea secutus castra, maluit reliquas corporis sui vires, vitam & sanguinem pro fide & Cæsare gloriosè impendere, quàm rude donatus in Xenodochio privatim menstruo muneratus stipendio, quod cæsar ipsi offerebat, vivere.

Carolus Lothar. Vyvarinum cingit. 174. Post armilustrium Cæsar sumpto apud Carolum Lotharingiæ Ducem sub papilionibus prandio Viennam, Carolus movet Jaurinum, inde Vyvarinum, necessario Turcarum præsidio, uti videbatur, viduatum, quod cùm jam ex bi-

nis

nis suggestibus flagellaret tormentis, certis undequaque affertur nuntiis Mustapham supremum Vezirium cum ingenti 200. millium exercitu magnis Budâ passibus properare Jaurinum & Viennam, militari adhuc præsidio apparatuque bellico destitutam; quare Carolus relicto Vyvarino ad conservandas hæreditarias Cæsaris provincias omnium consilio Comorronium versus ducit exercitum, cujus præsidium quod minus sub loci præfecto Carolo Lud. Comite Hoffkirchio videretur, quàm ut tanto hostium par esset periculo & potestati, pedestri Diependalii legione sub ejusdem protribuno Joan. Andr. Com. Jörgero adauxit: tum per Schuttam insulam sex mille passuum itinere movet Jaurinum, ubi ponte traducens exercitum, altero ab urbe lapide duo inter cognata nominibus flumina Arabonem majorem & minorem (Raab und Raabnitz) consedit, donec pauculis pòst diebus ingentem Turcarum exercitum in altera Arabonis parte conspicit, quem dum Carolus armatâ transiturum manu forti magnoque repulsurum animo frustra expectasset, videt oppidorum busta circumquaque lucentia, auditque Tartarorum Hanum seu principem, triginta circiter millibus tentato sæpius irritò Arabonis vado, monstrantibus tandem Ungaris prope Kemenium ad D. Gothardi fanum pontes necdum Comitis Bathiani negligentiâ, ut ajunt, dejectos transivisse, tranatoque Rabnicio vicos, arces & oppida muris viduata per octo circum milliaria ferro flammâque latè omnia vastantem, multa Christianorum millia in miseram duxisse

Tartarorum vastationes.

duxisse captivitatem. Dici, vix capi potest, quantum feralis hæc Tartarorum ad Leitham usque amnem, Ungariam ab Austria discriminantem, excursio incusserit incolis pavorem, qui apud plurimos Carolum cum exercitu immensâ hostium multitudine jam interceptum, aut indubitatè cingendum internecionis periculum haud posse effugere fingebat. Et verò ut præsentissimum etiam Carolus declinaret, peditatum cum re tormentaria in insulam Schuttam transportat, ut tutioribus inde transdanubianis itineribus Posonium & Thœbas, superatoque istic Moravo amne per cognomines amni campos (Marckfeld) securè Viennam posset traducere. Tum Leopoldopolim sub Henr. Godefr. Kielmanseggii præfectura 4. tormentis & annonâ militari instruit, cui dein General. Schultzius ex agris Nitriensibus, ubi hactenus rem contra Tockelios curaverat, istac transiens aliquot peditum cohortes, unamque dimachorum, ex montanis contractam civitatibus adjicit: Jaurinense præterea ordinarium quinque vexillationum præsidium aliis quatuor legionibus sub Herman. Badensi præfecto confirmat. His ita dispositis, superatisque viarum circa Altenburgum angustiis, justis Viennam itineribus contendit.

Carolus Viennâ properat. Vezirius prudentem hunc Caroli cum exercitu discessum meticulosam interpretatus fugam, circa Jaurinum aliquot diebus consistens (magno Viennensium, urbem interea munientium emolumento) convocato militari consilio, num persequendus Christianorum exercitus,

tus, an obsidendum Jaurinum deliberat? una omnium sententia persequendum voluit exercitum, urgentibus id maximè perfidis Ungaris, & præcipuè Petri Serinii filio, ingentem Cæsareanorum, & imprimis Viennensium in urbe terrorem & consternationem significantibus. Præmittens igitur Vezirius emissarios Tartaros, primas illi Christianas legiones & impedimenta juxta subsequentes Petronellã inter & Elend pagos horribili è silvula ululatu prosilientes invadunt: terrore perculsæ turmæ totum adesse hostilem metuentes exercitum, fugiunt, desertusque ab equitatu peditatus vix in insulam Schut est elapsus: sic hostis invadens impedimenta, argenteam Ducis Saxo - Lawenburgici, Badensis, Croji, Capraræ &c. suppellectilem diripit, totumq; Christianorum dissipasset exercitum, nisi Lud. Badensis, Caroli legatus, reductis subito in ordinem legionibus hostem fortiter non sine utriusque partis sanguine rejecisset: Julius Lud. Sabaudiæ Princeps laxatos recolligens ordines dum fortiter pugnat, ex equi vulnerati casu in pectore ephipii nodo contritus, Viennæ malo medicorum artem superante, tertio idus Julii est extinctus; alter Areschottanus princeps frameâ in capite discuneatus mox interiit. Hæc inopinata hostium invasio, & infausta impedimentorum direptio (quam decuplo ubique timor augebat) tanto rursus Viennam exanimabat tremore, ut omnino crederet Caroli exercitum internecione contritum, stare ante portam Hannibalem, & omnem fugæ locum interclusum.

Turcæ Christianos invadunt, & Viennæ approximant.

175. Perculso etiam Cæsari consulti Consiliarii,

liarii, suadebant discessum; sed qua securiori viâ, fuit hæsitatum: ex hac urbis parte hostilis ubique furor pervagabatur, Danubium quia necdum transierat, nonis Julii Cæsar cum Augusta gravida vespere horam inter octavam convasatis rebus pretiosioribus trans Danubium comitatu ducentorum equitum Croneoburgum tribus circiter milliaribus ab urbe distans, deductus, ibidem in substratis famulorum palliis pernoctat, die alterâ Lincium iter feliciter prosecutus. Cæsare abituriente nemo videbatur velle remanere Viennæ, sequunturque per Danubii pontem ultra sex continuo ordine horas ingens rhedarum carpentorumque numerus, ut illâ nocte ultra LX. hominum millia urbe discessisse dicantur, eaque fugientium prurigo in dies aliquot est continuata, ut plurimos Tartarorum prædæ cessisse dubium non sit, qui in urbis conspectu Eremum Camaldulensem, & D. Leopoldi fanum in vertice montis Cæsii barbarè flammis subjecerunt, & ipsum adeo Cæsarem ex altera Danubii parte incredibili persequentes celeritate intercepissent, si ductorem Serinium rapidum equo Danubium tranantem ausi fuissent subsequi. Quem igitur Cæsar, paterni immemor delicti, paulò antè in suum delegerat Camerarium, nefarii hujus reum sceleris (quod Lincii aulam Cæsaris quasi innocuus subiens malitiosè tegebat) ad perpetuos ideo Tyrolenses damnavit carceres, in quibus multis ab hinc annis an simulatione, an naturæ defectu, aut alio quovis vitio mutus & elinguis ad annum usque 1703. detentus, Bavaro tunc Gallorum auxiliis

Serinus Cæsari abeunti insidiatur.

Tyro-

Tyrolim hostiliter invadente, Græcium Styriæ metropolim translatus, vitâ ibidem eodem excessit anno.

Antequam tamen Cæsar urbe discederet, Görtzium in Franconiam, Kunitzium ad Bavarum, alios ad alios Imperii Rom. Principes pro maturandis periclitanti Viennæ subsidiis destinavit: in casu deinde oppugnationis de politico simul & militari eidem providens regimini, directorem illius constituit Casp. Comitem Capplirs Commissarium general. plenipotentiarium, Franc. Comit. Mollart. colonellum provincialem, Rutger. Comit. Starrenbergum urbis præfectum & gubernatorem, Joan. Oswald Hartman. ab Huttendorff Regiminis cancellarium, & Carol. ab Aichpühl Camerarium. Militaria præter urbis Gubernatorem curabant Wilh. Joan. Com. Daunius, Ferd. March. Obizzius, Joannes Com. Serenus, Carl. Lud. Com. de Souches, Frid. Sigism. & Guido Comites de Starrenberg, Frid. Carol. Dux Wurtenbergens. Frid. Sigism. Com. à Scherffenberg, Melch. Leopold. Baro de Beck, Sigebert. Baro de Heister, Baro Dasige, Schenckius (quos honoris & generositatis causa nomino) & plures alios, omnes manu fortes, consilio prompti, animo generosi urbis defensores. Ecclesiastica verò & spiritualia indefesso labore, sed & æviternâ nominis sui gloriâ administrabat episcopus Neopolitanus Cardinal. Leopoldus Colonitschius, qui paternâ plane sollicitudine pauperes & indigentes, vulneratos & mortuos curabat, & incredibili zelo, prævioque ad pietatem, vota, & pœnitentias ex-

Viennæ in oppugnatione dispositio.

exemplo hortabatur cives, animabat milites piè, & constanter obsequentes.

Carolus cum exercitu venit Viennam.

Ingens interea complebat urbem tremor & pavor, murmurabant & detestabantur neglectum urbis in hoc præsentissimo periculo apparatum & constitutionem, præsidio destitutam, exteriori robore nudam &c. Et ecce octavo idus Julii adest ad urbis mœnia innumeris expetitus votis Carolus cum equitatu adhuc integro, tantâ urbem afficiens lætitiâ, quanta Cæsaris antè discessus tristitia, qui trajecto Danubii ramo in insula Leopoldina eo fine consedit, ut Danubianum oportunius pontem, quem interclusis aliis ubique itineribus pedites urbis propugnatores erant transituri, posset conservare. Vix illic Carolus consederat, die mox alterâ innumera circumquaque visa sunt per septiduum incendia, & omnia montium & vallium oppida, arces; monasteria ad usque Claustro-Neoburgum, & in Austria usque Neopolim (unde tormentorum fulmine rejecti) octo Viennâ milliaribus Tartari incinerant. Sempronio, Castroferreo & Guntzio se Tockelio submittentibus parcentes: cumque jam hostis urbi propinquior videbatur, omnis conditionis & sexûs incolæ, sacri profanis mixti, mulieres & famulæ sudes acuminatas circum exteriores fovearum margines inserendo gnaviter occupabantur, magno urbis emolumento, & hostium impedimento; longo enim labore & multâ suorum cæde quarta prius obsidionis hebdomada illas penetrarunt.

Turcis Viennâ

176. Tertio idus Julii sub horam octavam ma-

matutinam ingentes equitum hostilium turmæ D. Marci collem descendentes dum urbis situm & aditum explorant, Starrenbergius sub urbia tot ædificiis & palatiis sumptuosa, tot asceteriis & templis magnifica, tot frumentis, vinis, mercibus, diversisque bonis abundantia flammis subjici jubet, ingenti omnium dolore seris nepotum annis vix unquam restauranda. Eisdem tunc etiam destinata erat insula Leopoldopolitana; sed quia magna inibi adhuc annonæ apparatusque militaris copia ad urbis conservationem secundo recens defluxa Danubio recondebatur, dumque ea vix in urbem cum lignis tam focariis quàm fabrilibus ad Danubii ripam abundanter sepositis esset translata, paucis pòst diebus ab hoste in cineres etiam abiit succensa. Sub hæc ad Caroli castra per adversam Danubii continentem advenit Schultzius cum VII. bellatorum millibus potissimùm Polonis, & mox unà cum Turcarum cis Danubium agminibus intermedio flumine subsecutus est cum re tormentaria 72. machinarum bellicarum, & 15. mortariorum trans Danubium peditatus Cæsareus, quem sex dierum itinere ex insula Schut enervatum, & hostium insidiis feliciter eluctatum, Comes Serenus nocte concubiâ per pontes & insulam Leopoldopolitanam in urbis penetralia ingenti omnium solatio & applausu introductum, per exteriores fossarum margines & loricas disposuit; fuitque urbis universim præsidium 22000. tam militum, quam civium, studiosorum, &c. quibus paulò post Cæsaris abitum redux in urbem Princeps Ferd. Schwartzenburgicus

accedétibus suburbia.

Viennæ præsidium.

gicus in nervum bellicum ultrò manibus Collonitſchii conſignavit L. florenorum millia, & ter mille urnas vini; illis verò non ſufficientibus, addita ſucceſſivè ſunt cùm ſtudio, tùm munificentiâ Collonitſchii, Mollartii, Hartmanni & Bellicampi CC. florenorum millia, in occurrentes quaquaverſum caſus & ſtipendia militum eroganda. Multorum quidem tum fuit opinio, Viennam ab hoſtibus non circumvallandam, quòd relictis poſt tergum Jaurino & Comorronio validiſſimis præſidiis, eorum continuò caſtra infeſtari, commeatus apparatusque bellicus longis itinerum ambagibus advectus facilè poſſet intercipi, tantæ exercitus multitudinis longè in hoſtico funditus ab ipſiſmet everſo, alimentari nequeat, & urbem irritò ſæpius oppugnatam, jam autem probiùs munitam, & primum Imperii Rom. propugnaculum, à Principibus nunquam fore deſerendam affirmarent; temerario nihilominus auſu, malevolorumque inſtinctu urbem terrore exanimatam, (occinebant) vi [illegible]iatam præſidio, annonâ denudatam & apparatu, nervoque bellico deſtitutam, triduo facilè occupandam, arctius circumcingi jubet Kara Muſtapha, ſupremus Vezirius exercitu 273300. armatorum, 250. tormentis bellicis & mortariis: quare bis gemino Carolus ponte equitatum ex Leopoldina inſula Moraviam verſus præter expectationem traducit, Rebellium conſiliis & motibus opportunius occurſurus: poſtrema cujus agmina carpentes irruenteſque Turcas rejecit Schultzius cum Lubomirskio,ponteſque ſubmovit.

Nec

Nec mora Vezirius gemino Danubium ponte infra supraque urbem insterni Moldavis Walachisque imperat, & ad securiorem in insulam transitum sex millium præsidio communiri. Tum elegantissimum Cæsaris æstivarium (novam favoritam vocant) aliasque Magnatum splendidissimas hortorum delicias, & quidquid templorum & ædificiorum erat reliquum, flammis devastare, idibus Jul. circumvallationis lineas in horto Malaspino, seu Rotenhoff/ & altera ex parte in pomario Reichowitzii prope Flügelhoff ducere, ducentis ab urbe passibus suggestus octo erigere: nam undecim licet Vienna propugnaculis, & inter medio aggere portæ præstructo (revelinum vocant) sit probè communita; furiosiores tamen in propugnacula Palatinum, Lobelianum, atque his intermedium Revelinum, seu castellum defixum, vires Turcæ maximas exeruerunt: supremus enim Vezirius cum Janizarorum Aga, id est Generali, ejusque legato Kihaga Bego revelinum inter medium defixum, ad dexteram Huisseim Bassa Damascenus, socio Sagarzi Bassa, Janizarorum colonello propugnaculum Palatinum, ad sinistram Achmet Bassa Temeswariensis Lobelianū, & alia bassæ alii labore improbo & furore cuncti impetebant, & plurimos urbi pyrobolos immittebant, quibus, an occulta aliorum incendiariorum nequitia, incertum, magnificum illud Scotense asceterium & templum Ordinis S. Benedicti in cineres funditus redactum, flammaque ulterius serpens jam armamentarii valvas corripiens, omnem sine dubio militarem apparatum

Turcæ Viennā circumvallant.

ratum cum vicino granario, sumptuosisque Awerspergii, Traunii & Palffii ædificiis damno irreparabili consumpsisset, nisi singulari cura Sereni, Guid. Starrenbergi, tunc capitanei, & aliorum fuisset extincta, & ventum Dominus clementer aliò divertisset. Jam obsidionales hostis vias suas plurimis ad id Christianorum adhibitis captivis adeo promoverat, ut 30. vix passus ab exteriori fossarum muro abesset; Starrenbergius autem inter densissimos globos dum in Palatino propugnaculo [quod pertinacius impugnabatur, ideoque aditum Cæsaris palatium tormentorum globis perforatum destruebatur] pro more diligenter vigilanterque curaret, fragmento lapidis è domuncula stationariâ tormento discussi secundum caput adeo sauciatus esset, ut domum asportatus lecto per triduum affixus, moræ admodùm impatiens sede elatus gestatoria nullo voluit abesse periculo, omnibus adesse consilio, & suâ animare fortiter præsentiâ; uti supremus Turcarum Vezirius in argentea omni triduo lectica per sinuosas arroganter deferebatur vineas, ut ejus exemplo, spe, metuque milites ad fortia animaret tentanda.

Præfectus urbis Starrenbergus sauciatur.

Subterraneis interim cuniculis utrimque actum & excursionibus, visique sunt Turcæ in ipsa revelini & civitatis fossa, qua per subterraneas descendebant cavernas, agere cuniculos, neque ullis tormentorum explosionibus, aut pyrobolis poterant impediri, quòd superne trabibus se, terrenisque contegissent materiis, credebanturque Revelinum destructuri; unde retractis in urbem tormentis, duplicatis majoribus so-

ſolùm defendebatur ſclopetis (Duppelhacken) nocte verò concubiâ Daunius & Soucheſius trecentis in hoſtem armatis irruunt, incenſisque concameratis eorum teſtudinibus (Galarias vocant) feliciter expellunt; locum mox Turcæ repetentes, evibrato ad Revelini roſtrum cuniculo furibundo invadunt impetu; ſed ſtrage ſuorum bis mille fortiter rejiciuntur; tandem tamen 12. Auguſti incenſo tanto cum fragore cuniculo, ut media urbis pars concuſſa contremiſceret, Revelini roſtrum dejiciunt, ſcalisque conſcendunt; poſt acerrimam vero duarum horarum pugnam tormentis, & conſtanti præſidiariorum virtute repulſi pedem referre coguntur. Cùm igitur prima ſemper Vezirii fuerit ſpes & intentio ancillantibus urbem cuniculis expugnando, divite hâc ſolus prædâ per deditionem potiri ultroneam, ideoque continuatos hoſce labores ſibi maximè periculoſos nunquam intermittendos animadverterent præſidiarii, iteratis eosdem excurſionibus evertere moliti ſunt; ſed dum quinto decimo Kalendis Septemb. in deliteſcentes ad revelini quaſſati roſtrum Turcas tentaſſent eruptionem, ſed ſperato minimè effectu, quatuor ex adverſo Turcarum millia luxatâ prius per ſuccenſum cuniculum revelini mole, magno illud conſcendentes furore, duodecim iſthac lunas infigunt, quæ duarum tamen horarum ſpatio ſtrenuâ pertinacique pyrobolariorum fortitudine decreſcentes trecentorum ſuorum internecione tandem ſunt omnino remotæ, nec tamen deſiſtebant Tur-

Turcarum in revelinum impetus fruſtratus.

Turcæ; & cùm sub prædicto Revelino septem jam orgiis ultra receptacula nostra cuniculum promovissent, illo per Hafnerum detecto, Turcæ ablato raptim nitrato pulvere aufugiunt.

Plures se urbes Tôckelio submittunt: quem Carolus fugat.

177 Plures sub hæc Ungariæ Comitatus, ac imprimis urbs Presburgum, fanum S. Georgii, Modern, & Peling, metu sine dubio divastationis, Tockelio se submiserant, Budianusque etiam & alii magnates ejus castris accesserant, quare arcem Posoniensem sibi hactenus refragantem circumvallat Tôckelius, quem mox Carolus cum insigni repellit strage: Dunwaldus quoque obvios bis mille Tartaros aggressus, 1300. eorum prosternit; uti & Saravius prope Fürstenberg ex bis mille Budianis, 480. trucidat, captis eorum 300. & 5. vexillis. Heisterus quoque haud procul Altenburgo 180. apparatûs & commeatûs currus cæsis defensoribus diripit: nitratum vero pulverem & ignes missiles ipsi Turcæ flammis consumunt. Ottomannorum interea duodecim millia sub Bassis Varadinensi & Erlaviensi è castris Viennensibus in alterum Danubii latus transeunt, accitisque Töckelii octo millibus firmum ibidem occupaturi locum, ubi submittendum Viennensibus subsidium possent impedire. Vix litus fluminis attigerant, & Stammerstorffium, Eipeltaviam, Kagaram, omnemque ferme Marckfeldiam redigunt in cineres. Quæ barbara bustorum funalia Carolum Ducem illis in partibus subdiarias propediem copias impatienter expectantem, & hostem ab hæreditariis Cæsaris provinciis arcentem, in justam provocabant ultionem: præmissis itaque polo-

polonicis sub Lubomirskio legionibus, aggressionis sibi primas deposcentibus, Carolus mox subsecutus, post tumultuarium campestribus instructum tormentis aggerem disponens equitatum, dum audit Polonos à Turcis & Rebellibus ungaris divictos viam relegere, hostem jam tum ovantem, & fugitivos ad curules usque machinas persequentem expectat; tum explosis simul tormentis eorum ordines confundit, dissipat, & in turpem conjicit fugam: hic quòd Danubii pons interim esset submotus, & cataphractus continuò eques Turcarum tergori instaret, aut ferro, aut aquâ erat pereundum. Cæsa sunt cum Ægypti præfecto duo millia, capta omnia impedimenta, 27. vexilla pedestria, 22. equestria, 36. Cameli, 600. equi, & Tôckelius noctis beneficio vix est elapsus, prædam haud ignobilem raptu corrasam victoribus relinquens. Carolus Turcas cædit.

Supradictum interea revelinum tot laxatum hactenus cuniculis, toties econtra propilatis palis & loricis restitutum, tertio Kalend. Septembris horrendo rursus hostium insultu impetitum, & incredibili præsidiariorum fortitudine, manualibus imprimis pyrobolis, multoque utrimque sanguine defensum, tertio nonas Septemb. nostri recedendo Turcis locum cessêrunt, quia vix locus stationis & defensionis supererat, & quinquaginta duobus diebus graviter impugnatum, & multo Turcarum sanguine emptum. Viribus autem præsidiariorum & numero ob continuatos hactenus labores, insultus, & militares velitationes decrescentibus; nervo Revelinum Turcæ capiunt.

etiam bellico, pulvere nitrato, apparatu & annonâ deficientibus, ut feles etiam essent in deliciis, & plures fame interirent: nec non quòd malignâ plurimi dysenteria, fœtoreque intolerabili morerentur, fatalique demum hostis excidio indies urbi propius immineret, Starrenbergius cum cetero regimine periculosum Carolo urbis fermè agonizantis statum tum radiis nitratis, tum literis significandum duxerunt: cunctis hujus rei nuntium referre detrectantibus, quòd prior à Turcis esset interceptus, D. Georg. Francisc. Kolschinckius Polonus, orientalis olim Societatis interpres, uti morum, ità turcicæ linguæ peritissimus, hanc suscipiens provinciam, veste turcicâ, & assumpto ejusdem linguæ famulo ad medium noctis emissus intra Turcarum castra confidens, manè lætè carmen castra transeundo intonans, liberali à Bassa Cauve, usitato Turcis pro vino potu tractatus, feliciter ad Carolum Ducem cum exercitu Stilfridum inter & Anger considentem pervenit; qui certâ præmii spe mactatus, eodem regressus itinere faustum retulit responsum: quemadmodum paulò pòst famulus ejus Rascianus solus eadem innoxiè relegens vestigia has Caroli retulit literas: *Constantes patriæ, Cæsaris, Imperii Rom. & Christianitatis perseverate defensores: totus ego saluti vestræ intentus mox infallibiliter cum Polonorum Rege, Ducibus Saxoniæ & Bavariæ confluentibus undequaque eorum copiis, adero, vester justo cum exercitu propediem coadunando liberator: jam Crembsium pontibus struendis moveo, nihil Viennæ certò liberandæ omissurus.*

Starrenbergus Carolo periculū urbis denuntiat.

Caroli ad Starrenbergum literæ.

ſurus. Sciatis deinde Töckelium bis nuper à me juxta Poſonium, & Moravum profligatum, omnibus exutum impedimentis, & Poſonium recuperatum. State igitur generoſi Martes, paulò pòſt victores, glorioſæ nominis ſama æternum victuri.

Hunc ſuccurſum propediem adfuturum Turcæ ſibi facilè perſuadentes, obtento jam revelino validioribus viribus in Lobeliani & Palatini foveas irruentes ad muros uſque perveniunt, & pridie nonas Septembris ſuccenſo ad ſiniſtrum palatini propugnaculi latus cuniculo quinas ad minus orgyas magna vi, fragore & urbis tremore dejicientes, quatuor millium inſultu, horrendo cum halalatu luxatum invadunt locum, & victrices eidem lunas imponunt: adſunt illico Starrenbergus, Caplierus, Daunius, Serenus, aliique plures, objectisque ad lacunæ fauces ſubitò vaſis, trabibus, ferratis & ſtellatis ſudibus, ericiis, ſaccisque humo fartis poſt cruentam ſeſqui horariam pugnam generoſe feliciterque multorum utrimque ſanguine ſunt repulſi, noſtrorum CXIV. cæſi & læſi, Turcarum vero CCCCC. ſunt interfecti. Hiſce nihil territi eandem mox luxati propugnaculi lacunam furioſiores repetentes harpagonibus, falcibus, ſtellatisque cuſpidibus ad ſua remiſſi ſunt caſtra, in quibus hac nocte milleni aliquot videbantur ignes in omnem hoſtium adventum vigiles. Die alterâ ſuccenſus itidem ſub Lobeliano cuniculus ſex orgiis latam muri molem, & ultraviginti quatuor pedes craſſam ab imo ad verticem uſque adeo proſtravit, ut tuto propugna-

Turcæ urbi proximi

Iterati Turcarum inſultus.

gnatores munimine destituti nudis ferocem hostium insultum exciperent pectoribus; sed quia immensa muri cohærentia rudera & fragmina hinc inde inæqualiter sparsa opportunum impediebant insulum, ut vix paucos, eosque dispersos admitterent impugnatores, eosque copiosus ex tormentis nostris sclopetisque emissus globorum imber 1500. internecione oppressisset, inviti tunc quidem recedentes, nocte proximâ instaurato labore impedimenta removent, majora aliàs tentaturi: præsidiarii verò noctu muri lacunas sudibus & palis, loricis, repagulis novisque suggestibus restaurant; & quia Vezirius multi adhuc sanguinis, ac longi fore laboris opus hæc fragminum impedimenta removere, & ipsa occupare propugnacula prævidebat, horum intermediam propugnaculorum cortinam ad faciliorem urbis accessum, contra communem Martis regulam (quæ locum impeti vetat ex utroque latere adhuc defensibilem & propugnabilem) septem jubet cuniculis evertere; id quod proximus tamen prohibebat Caroli Ducis succursus, à præsidiariis jam sæpius nitratis radiis imploratus, & à Turcis probè exploratus; ideoque Vezirius septimâ mensis Septembris lustrato in castris exercitu summam 168000, invenit, præter rebellium Ungarorum 14000, non in castris, sed cum Tockelio ad Vagum amnem juxta Posonium & alibi pervagantium, eorumque solùm mille circiter cum Budiano, Draskowitschio, Nadasdis binis fratribus & aliis Turcarum castris inerant; summam defunctorum verò in hac Viennensi obsidione usque ad

Succursum urbis Turcæ explorant, numerus obsidentium &

ad præfatum 7. Septemb. adnectit idem authographus armilustrii turcici catalogus, Episcopo Collonitschio traditus 48544. Sexto igitur Idus Septemb. horis pomeridianis magnus & insolitus in hostium castris huc illucque commeantium & convasantium visus est motus, de viciniori fortè urbis succursu turbatus; de cunicularibus interim laboribus nihil remittentes, sed sub prædicta urbis cortina suos adhuc promovebant cuniculos, quos tamen præsidiarii ingentium ponderum pyrobolis (Mordschläger-ten) suffocabant, horum enim pondere [500. lib.] fatiscens infernè terra immani deinde hiatu reverberata magna demum excussâ terræ mole vicinos sparsim cuniculatores opprimebat: & quia palatini per iteratos cuniculos luxati timebatur ruina, curules inde machinæ in vallum retractæ; ad Lobelianam vero portam plures interni parabantur receptus præpilatis sudibus & trabibus communiti. Sequentis deinde diei meridie ingens turcici agmen exercitûs ad saltus Cæsiique montis radices visum est consistere, nova metari castra, saltum undequaque communire fossis, & campestribus machinis probè instruere, descensuro fortassis ibidem Carolo occursurum.

Cæsoris. Turcæ Cæsii montis radicem muniūt.

178. Tandem aliquando subsidiariæ Imperii Romani copiæ, millenis Starrenbergii in urbe, & Caroli Ducis in exercitu votis expetitæ adveniunt, Bavarus Elector ipse Maximilianus 8000. ipse etiam Elector Saxonicus Joan. Georgius 10000. totidem Franconicus circulus 10000. ad gloriosam urbis Viennensis

Adest variorū principū succursus.

liberationem adducunt; Cæsareus verò sub Caroli Ducis imperio exercitus 23000. valebat, exercitati omnes milites & expediti: Unus desiderabatur Rex Poloniæ, qui Augusti mensis initio Cracoviâ, acceptâ prius ab Opitio Pallavicino, Nuntio Apostolico benedictione, cum 20000, ad initium Septembris hæreditarias Cæsaris provincias, & paucis pòst diebus ejusdem appulit exercitum, ubi à Carolo Lotharingiæ Duce humanissimâ exceptus est veneratione, cui Rex (qui deposito Varsaviæ regiæ majestatis charactere, frater & amicus vocari hac in expeditione voluit) filium suum natu majorem militari ejus erudiendum scientiâ obtulit, primum bellicæ virtutis suæ specimen tanto sub Bellíduce Carolo daturum. Conjunctis mox ad Tulmam exercitibus transeunt Danubium ad confidentes ibidem subsidiarias Imperii, Electorumque copias; ubi in habito conclusum consilio per montem Cæsium itinere licet invio, breviori tamen progrediendum. quo probè intellecto Vezirius subitò castra ex Thaborea, & Leopoldina Insulis, & quæ ad pagum S. Margaretæ metata erant, ad prædictum montem cæsium transfert, campestribus eadem communit machinis, militemque disponit in acie, proximum christianum exercitum constanter expectaturus, quem etiam oculatim ipse perlustraturus, victoum conscendens montem innato animi fastu pusillum despicit gregem, suis facilè copiis numero & virtute validioribus repellendum, quod eâdem adhuc die (11. Sep-

Christiani per montem Cæsium tentant urbis liberationem.

Septemb.) sex armatorum millibus sub Budensi præfecto esset opportunè confirmatus; sed ut ait *Augustinus de verb. Apost.* Qui præsumit de viribus suis, etiam antequam pugnet, prosternitur.

Die alterâ, quæ erat tertia Idus Septembr. dominica niveo notanda lapillo, orto vix sole binæ eminùs audiebantur tormentorum explosiones, in subsidiarii certi adventûs tesseram; mox in cæsium prodibat montem pedestris legio, à Turcis protinus aggressa, & duabus propemodum horis acriter velitata, donec hostis trecentorum subsidio auctus magna in eos vi irruit: Tum Hâuslerus cum suis illicò dimachis accurrit, quibus hostem pedetentim repellentibus succedebant alii, mox & alii, iterumque alii subsequebantur; nam profundè abs Turcis studio effossæ excavatæque aurigantium viæ multum nostris moræ, condensandique ordines injiciebant impedimentum; prodibat tamen densatis agminibus cæsareus & Saxonicus peditatus, tardigradisque passibus è bustis asceterii Chamaldulensium, & D. Leopoldi sacello in montis vertice constructis, seratis semper ordinibus è montis vertice paulatim declives cedunt, sequentibus standi dilatandique spatia parantes, hoste ex adverso aciem ad montis radices explicante, & tormentis hinc inde è vallis & aggeribus descensum arcente: quod ipsum haud segniter fecêre christiani, tormenta continuò præ se agentes, eisque per intervalla ad subsequentium stationem eo usque promotis

& ex-

& explosis, donec totus exercitus à summo montis cacumine ad radices usq; progressus, ardentibus ad pugnandum animis promptus, belloque junctus ordine ipsis hostibus admirationi simul esset & terrori. Viennenses interim hæc spectantes, & spe metuque pendentes ternis gnaviter vicibus tormentorum omnium & bombardarum explosionibus Turcas viis obsidionalibus expellere, & brevi felicem urbis suæ liberationem, & fausto candidæ columbæ urbem non ita pridem petentis omine sperare ab exercitu Regis, tot Electorum & Principum militari scientiâ & fortitudine per orbem excellentium instructissimo. Superato in hunc modum saltu totus hic exercitus in ordinatissimam mox aciem trifariam est dispositus: dexteram sustinebat alam Rex ipse Poloniæ Joannes III. Jacobo filio, ducbus campi Mareschallis, Stanislao Joblonowskio palatino Russiæ, & Nicolao Seeniaffskio palatino Oligniæ, coronæ vexillifero Raphaele Canes de Lesno-Leszinskio, coronæ vigiliarum præfecto Stephano Biedzinskio, multoque senatorum numero, & Polonicis suis copiis instructus, cui aliquot cæsarei equitatus legiones sub Principe Saxo-Lawenburgico, Rabatta, Dunwaldo, Gondola, & Palffio erant adjunctæ: sinistræ præeminebat alæ Carolus Dux Lotharingiæ Cæsaris legatus cum Marchion. Badensibus Hermanno & Ludovico, Principibus Saxo-Hallensi, Croyo, Salmensi, Lubomirskio, Caprara, Leslejo, Mercio, Taffio, Goltzio, Flemmingo, Plaweno, Reitschio, & cæteris copiis Cæsareis: corpus inter-

Christianæ aciei dispositio.

Intermedium constituebant Electores Saxo & Bavarus, Princeps Waldeccius, March. Bareit, Halleweil, Degenfeldus, à Leyen, Bavan & Münster, Diepenthalius, Steinavius, Tungen & Rumpelius cum Saxonicis, Bavaricis, Franconicis, aliisque copiis ex Imperio Rom. delapsis, ita ut Saxoniæ Elector sinistræ alæ lateri, & Bavarus dexteræ adhæreret. Nullus inter hos Princeps aut Generalis erat, quin suo copiis exemplo Divæ Mariæ nominis symbolo & Christianorum fisus præsidio prior in hostem ducens præiret.

179. Generosâ primus fortitudine hostem aggressus Carolus Dux Lotharingiæ horâ circiter secundâ pomeridianâ, antagonistam habet Ibrahim Bassam Budensem, duas ultra horas pertinaciter obnitentem; suas autem copias Saxone & Bavaro promoventibus loco cedens fugam capit: Saxo quidem Beckir Bassam Aleppensem insecutus, dum in valle Janizarorum turmam colliculo ceu vallo insidentem ipse cum volonibus suis & 60. pyrobolariis loco pellens in fugam propulsat, quemadmodum à dexteris Bavarus cum Waldeccio in eadem valle alterum Janizarorum agmen non sine periculo prævolans ejicit, cadentibus à latere suo non paucis: Turcæ inde repulsi, aliisque conjunctis legionibus dexteram Regis Poloniæ alam ad saltum Dorenbacensem irruunt, & primo non sine discrimine repellunt impetu; advolantibus verò Cæsareanis, & Saxo-Bavaricis turmis, strenuéque Polonicis Husaris obnitentibus magna rursus hostem virtute Rex invadit, & fixis loco unde eos depulerat tormentis, exturbat fossis & Acerrima utrimque pugna.

dissi-

diſſipat. Hic ipſe Vezirius viribus illicò recollectis furioſè reſiſtere, cedentes ſuſtinere, luxatos reſtaurare ordines, per caſtra paſſim ad erectum Mahumetis vexilium omnes convocare, & demum rogare: *Accedat & pugnet quiſquis genuinus volet eſſe Muſelmannus.* Reductis ſic novis ad ſigna copiis pugnam deſperato reſtaurat in Polonos impetu; eorum autem & Hulatorum imprimis vim inexpugnabilem non ſuſtinens, cæſo Kiajâ legato ſuo ipſe fermè captus, relicto equo fugam capeſſit. Inſtat chriſtianus continuò miles, & utrisque eum ad Cæſios montes & urbem caſtris exuit: capta ſunt impedimenta omnia, & præſtantiora in Polonorum devenêre poteſtatem; Rex enim demonſtratam à captivo Vezirii ſtationem mox occupans, pretioſiſſimum ejuſdem cepit papilionem, & in eo ditiſſimum nervum bellicum militarem, & ipſius Vezirii cancellariam, ejus equum, pharetram, rubinis & ſmaragdis fulgentem, Solimanni ex aurea tela vexillum (quod eâdem Rex die Romam per Talentium Secretarium ſuum ſummo ſubmiſit Pontifici victoriæ ſignum) duplicem caudam equinam, ſupremæ poteſtatis indicem, aliaque in auro ſignato & argento, gemmis, aliisque rebus pretioſiſſima milliones aliquot excedentia, quo in papilione Rex etiam pernoctavit. Sub ipſo autem prælio Comes Kaunitzius Cæſaris ad Portam Ottomann. Reſidens caſtra eorum pro more comitatus, mille obnoxius vitæ periculis, manus eorum feliciter elapſus ad urbem pervenit, relictis aliquot mille ducatis & famulis tribus crudeliter cæſis. Deinde Ludovicus

Turcæ cæduntur, fugantur, & caſtris exuuntur.

cus Badensis, jussu Caroli quinis circiter legionibus urbem accedit, jubetque Starrenbergum conjunctis secum urbanis copiis in obsidionales hostium foveas, è quibus horrendum adhuc ferociterque barbari desæviebant [ac si nullum forinsecus adesset periculum] irruptionem adornare; Turcæ versis in illos ex duobus quidem suggestibus tormentis conati sunt repellere, sed post modicam velitationem omnes pleno inde cursu auffugiunt; omnes enim obsidionales eorum viæ ita artificiosè erant dispositæ, ut ex omni latere & transversim in unum veluti coirent punctum, & in unam, eamque universalem viam concurrerent singulæ, quâ etiam auditâ tunc sociorum fugâ versus hortum Rothen-Hoff visi sunt in fugam se conjicere.

Badensis urbē ingressus cum Starrenbergo hostem inde propellit.

Tota igitur & illa capta & direpta sunt castra, ingens millionum aliquot pretii apparatus commeatusque bellicus, tormenta omnia, bubali, jumenta, cameli, & ultra centum millia papilionum: ex his pretiosiores erant Beglerbegorum, Bassarum, & eorum, qui supremi circumdabant Vezirii stationem in editiori post vicum suburbii Neustifft / versus pagum Pentzingam loco jucundissimo, circumferentiæ amplitudine urbem Varsaviam superante, ubi Vezirius omnigenis avium, leporum, cercopithecorum, hortorum, fontis, balneique deliciis abundabat, quæ omnia, simulque urbem spe jam devoratam magno nominis dedecore, majori damno, & maximo capitis sui periculo cogebatur dimittere, insanis arrogantiæ suæ consiliis turpiter illusus, & à Christianorum Deo, cujus

haud

haud pridem illuserat potentiæ, non immeritò excœcatus & confusus: poterat enim initio occupatâ Danubii Insulâ & Leopoldopoli omne ab urbe militare initio prohibere præsidium, & intermisit: poterat debiliora urbis loca invadere, invasit validiora: poterat citius exteriores fossarum muros & tevelinum occupare, occupavit tardius, illos post 24. hos post 50. dies: poterat urbem frequentioribus & numero & milite ad deditionem coangustare incursionibus & insultibus; copiosiori autem parcens sanguini, plus noxiæ obsessionis moræ, plus rabidæ fami, plus sævientibus dirè morbis indulsit, ingentem hominum multitudinem consumentibus; duobus enim Vezirius apostatis urbem quomodolibet oppugnandi tribuerat potestatem; Gallus unus vim maximam urbi in infirmioribus & diversis locis, ac imprimis ad rubram portam suadebat inferendam; Italus alter & monachus sive Christianâ ductus conscientiâ, sive turpi Vezirii avaritiæ, divitem urbis prædam ex ultronea deditione sibi prædestinantis studens, lentam cuniculationem, sed certam consulebat expugnationem, & infallibilem deditionem; sed aliter Deus, cui soli omnes urbis tribuunt liberationem, disposuit. Septuaginta & ultra hostium millia famis necessitate magis quàm ferro & igne perierunt, pauciores ex his in prælio, quòd panico abacti timore maturâ sibi fugâ consuluerint, totus aliàs Ottomannicus illo die exercitus deleri potuisset, nisi nox pugnam intercepisset, in qua præter gregarios 600. Polonos occubuerunt Postokius Palatini Cracoviensis filius, & Re-

Oppugnationis Viennens. vitia.

Quot Christianorum perierint.

& Regis Thesaurarius, Germanorum autem trecenti, quos inter Mauritius Dux Crojus; in urbe autem tam præsidiariorum quàm civium 16000. dyssenteriâ maximè ex insueto salsæ carnis esu, ut credebatur, sunt extincta, quâ Starrenbergus etiam infectus vix mortis evasit periculum. Eodem adhuc vespere Carolus Comitem Averspergum citatis ad Cæsarem equis misit nunciatum, hostem feliciter cæsum, fugatum, & Viennam liberatam, nocte verò obsidionales facibus investigatæ viæ, nullus hostium vivus, sed plurima defunctorum inventa sunt corpora, & innumeri per campos ignes & faculæ, quorum ulteriorem persecutionem & nox incidens, & annonæ pabulique defectus, unde militum & equorum ex biduana itinerum longitudine lassitudo prohibebant.

180. Die vix elucescente milliari ab urbe ingens nitrati pulveris copia nostrorum incuriâ, & horribili cœli terræque tremore incensa, grandem aliquot millionum bellicum apparatum redegit in fumum, & cives gaudio & curiositate pleni è civitate per rimas murorum & rudera in castra descendentes omnis generis utensilia, vestes, arma, cuprum, annonam, jumenta, & similia militi fastidita colligunt, & ingentem Christianorum sparsim corporum multitudinem inter equorum cadavera offendunt [Ottomanni quippe suos, non Christianorum defunctos sepeliunt] quos jam ante vel Vezirii immanitas, ut annonæ parceret, trucidaverat, vel in acie oppugnationis ceciderant, vel in fuga Turcæ, ne detinerentur, crudeliter necaverant; sed

Turcæ Christianorum corpora non sepeliunt.

quod visu erat deplorandum, cernebantur plurimi infantium in sinibus matrū extincti, plurimi etiam vulnerati, sed adhuc vivi matrum enectarum papillas frustra torquentes, quos Cardin. Collonitschius numero 450. urbi illatos paternâ educari curavit sollicitudine.

Rex Polon. & Principes urbem perlustrant.

Inter hæc Rex Poloniæ duobus Electoribus, Carolo Lotharingo, & plurimis Principibus & tribunis comitatus visis, ac per Starrenbergium demonstratis murorum ac propugnaculorum ruinis, obsidentium obsessorumque operis & laboribus, omnes ceu attoniti obstupescentes laudare Starrenbergi conservatoris fortitudinē, vigilantiam & prudentiam, mirari civium constantiam, & præsidiariorum deprædicare generositatem. Rex discedens à Saxone & Carolo ad exercitum in abitum se parantem abeuntibus, urbem fœdissimè laceratam, & vix quintiduum propugnandam ingressus, prælato Vezirii vexillo ad sacellum Lauretanum Patrum Augustinianorum contendens, ingenti civium gratulatione excipitur, manus ejus victrices, genua & vestes certatim osculantium & clamantium: VIVAT REX. In sacello autem post auditum reverenter Sacrum Rex ipse humi stratus hymnum intonat Ambrosianum, quem cum Monachis omnes præsentes summâ continuant lætitiâ, & omnium circum urbem tormentorum explosionibus; atque ita liberali à Starrenbergo exceptus cum filio, Bavaro, aliisque Principibus convivio, circa vesperam eques ad sua redit castra, quæ ob intolerabilem jumentorum corporumque fœtorem inde à S. Marco per Danubii marginem

ginem Vischam usque promovet, Starrenbergo interim curante, ut hostilis è castris apparatus, annona, bellicaque tormenta, quorum plura ulteriori usui erant inepta, in urbem conducerentur.

Die altero 14. Septemb. Lintzio Cæsar navigio Viennam rediens in exscensu à binis Electoribus, Carolo, aliisque Belliducibus, Nusdorffii verò à Starrenbergo summa cum gratulatione & tormentorum applausu excipitur, lustratisque obsidionalibus hostium viis, murorum & propugnaculorum lacunis & ruinis, urbem per portam Ungaricam Stuben-Thor [sub qua illum magistratûs nomine consul Daniel Fockius gratulatorio excepit sermone] inter ambos medius Electores ingressus, civium & urbis desolationi illachrymatus, cum cereo pedes ædem D. Stephani subiens armipotenti; Deo agit gratias, intonato per Collonitschium hymno Ambrosiano, inde ad horam quintam in antiquo palatio (novo ignibus & globis nimium fœdato) cum Electoribus pransus, reliquum diei gratulatoriis Principum Magnatumque datum est salutationibus & obsequiis, petiitque imprimis Emericus Episcopus Viennensis, ut quia Turcæ hac obsidione turrim S. Stephani toreumatis artificiosè elaboratam crebris tormentorum ictibus læserant, cui anno 1529. Solimannus civium rogatu pepercerat atque ideo Turcarum agalmate semilunâ cum stella stipulato & gratiosè insignita fuerit; hac modò dejecta Christianorum more crux supplantaretur. Annuit Cæsar, sed nonnisi post triennium 1686, festo exal-

Cæsar Viennã redit.

Luna in turri S. Stephani mutatur in crucem.

tationis S. Crucis magnâ urbis solemnitate, nec sine spectantium horrore Crux Hispanica à Nicolao Resytko, & binis ejus filiis Luca & Jacobo turri implantata, altæ pedibus Viennensibus quadringentis triginta quatuor & medio.

181. Deinde 15. Septemb. admissus cum grandi Magnatum loricatorum turba Coronæ polonicæ subcancellarius legatus, spoliorum partem offert Cæsari, caudam equinam, signum supremæ in campo potestatis, primo semper Vezirio præferri solitum, eratque pertica sedecim pedes longa, crassitie virilis pugni tornata, supernè deaurata, toreumatibusque acu picta, & equi marini jubis ulnaris longitudinis exornata, [ex antiquo fortè militari usu à Turcis hucusque observato, quo milites olim caudas equinas, generositatis & præeminentiæ signa, pro cristis gestabant in pileis & capite, à literatis tandem plumas seu pennas sunt mutuati] hac inquam cauda equina gratiosè accepta Cæsar legato comitatus post absolutam in Sacello Lauretano Missam Regem Poloniæ nunquam à se visum coram salutaturus eques ad castra progreditur, quæ binis ab urbe milliaribus prima occurrebant Bavarica: his Elector præsidens vibrato decussatim reverenter gladio gemmis fulgente sic illum affatur: En clementissime Cæsar gladium à tribus hinc annis Ottingæ à Majestate vestra mihi donatum: quod tunc appromisi, nunc executus sum; ensem hunc strinxi, & porro stringam in Majestatis vestræ, & Christianitatis hostes (sed, pudet referre, annis pòst viginti 1703. eundem perfidè gladium in Cæsarem paren-

Cæsar Regem Polon. in suis castris salutat.

parentem, in patriam Romanumque Imperium hostis strinxit) placuit admodùm tunc Cæsari generosus Principis generi sui affectus, agensque gratias lustrato suo & imperiali Eberstorffii exercitu Schwechum ad Polonicum contendit, Electore comitatus. Regi obviam cum filio procedenti Cæsar detectis & inclinatis utrimque capitibus humanissimas defert gratias, quòd longinquum & difficile Rex iter emensus imminentem Christianitatis & Viennæ cervicibus hostem victoriosè repulerit, cujus nulla immemor posteritas æternæ semper deprædicabit gloriæ memoriam. Ad quæ Rex: Deo, non mihi tribuenda est victoria, præstiti Christiani Principis officium, oppressæ tyrannide Christianitati, ejusque capiti jure debitum à se, suisque nunquam, opum etiam vitæque periculo intermittendum: unum doleo, quòd fugientem non liceat insequi hostem, exercitu triduo diurni nocturnique itineris difficultatibus omninò exhausto: quo refecto, illum mox ulteriùs persecuturus. Agedum fili Jacobe, Cæsaris osculare manus; Cæsar autem amantissime eundem est amplexus, atque ita humanissimè utrimque sibi valedicentibus Rex ad papilionem suum, Cæsar urbem regressus, dolenter obvia spectavit busta, unico horto, Neugebäw dicto, reverentiæ erga Solimannum causâ adhuc inviolato, cujus ibidem anno 1529. militaria fixa fuerant tentoria, in quorum dein memoriam Rodulphus Imp. totidem ædificaverat turres cupro tectas, in quibus postmodum ingens panis biscocti & annonæ copia est inventa. In urbe Cæsar lustratis

Starrenbergi à Cæsare muneratio.

munitionibus Starrenbergo navatam fideliter operam ingentis pretii annulo, centum millium florenorum compensat, declaratque consiliarium intimum & generalem campi mareschallum, addidit Hispaniarum Rex vellus aureum, quod collo ejus Cæsar ipse in magna equitum Dynastarumque corona injecit: Viennensis quoque magistratus eidem duo ducatorum millia in auro donavit, exemitque domum ejus omni in perpetuum civili onere. Innocentius Pontifex XI. nomine & opere sanctissimus eidem Starrenbergo brevi apostolico Christianitatis nomine gratias agit, ejusque fortitudinem & generositatem mirificè laudat seræ posteritati celebrandam; illumque victoriæ diem 12. Septemb. perpetuâ Nominis Mariæ festivitate celebrari in Ecclesia præcepit, singulari etenim gaudio pius Pontifex cum universa Europa exultabat gaudio, diurnas nocturnasque preces & lacrymas suas in ipsam copiosè terram pro Viennæ liberatione defluxas esse exauditas. imò Romæ per compita pueri gratulabantur ovantes: VIVAT CÆSAR, VIVAT STARRENBERG, in Gallorum despectum, quorum Rex certam Viennæ sperans ab Ottomannis occupationem, ipse tunc interpellatus suis hostem viribus repellendo, Romani sic Imperii thronum consecuturus, monarchicum meditabatur imperium; sed homo proponit, Deus disponit. Porro Cæsar per saltum Viennensem Lincium, & Saxoniæ Elector cum milite suo in Saxoniam annonæ defectu sunt reversi.

Pontificis de victoria annuè celebranda gaudiū.

Magnis interim Ottomanni passibus & pernici

nici pavore fugam continuant, in qua Vezirius adversam detestatus fortunam, & suæ metuens vitæ coram binis filiis illacrimatus ajebat: O Vienna! quam ne lapis supra lapidem maneret, delere constitueram, quàm animæ meæ lancinas viscera, & me meosque inevitabili fato evertis! Didicit fastuosus hic homo, alteri malum non creare non provocatus; quique invadunt aliena, se casuros suis; nullamque jacturam esse graviorem, quàm augmentum cupiditatis. Docuit idem alios, proximam esse superbiæ humilitatem. Cæteri variè dispersi noctis beneficio elabi sperantes, plures Christianorum ensibus in fuga quàm prælio sunt interfecti, & captivi plurimi liberati. Walachi autem Moldavique noctu vagantes die illucescente turcica accesserunt castra. Illorum Princeps Servanus paulò ante solutam obsidionem pietatis ergo loco stationi suæ proximo, im Garten-Hölzlein / Crucem ingentis è quercu molis 17. pedes longam terræ defixerat, latinâ hac inscriptione insculptam: *Crucis exaltatio est conservatio mundi, crux decor Ecclesiæ, crux custodia Regum, crux confirmatio fidelium, crux gloria angelorum, & vulnus dæmonum. Nos Dei gratia Servanus Schantha Cutzenus, Walachiæ transalpinæ Princeps, ejusdemque perpetuus hæres ac Dominus, ereximus Crucem hanc in loco, quâvis die devotione populi, & sacro honorato in perpetuam sui, suorumque memoriam, tempore obsidionis Machumetanæ à Vezirio Kara Mu-*

Vezirius suum deplorat infortunium.

Crux in obsidione à walacho erecta.

staffa Bassa Viennensis inferioris Austriæ, mense Septembri die primo, anno 1683. *Viator memento mori.* Quam crucem Joannes Bapt. Mayerus Vicarius Generalis in urbem Episcopali palatio jussit inferri,

182. Confluentibus jam undequaque copiis justum Vezirius recolligens exercitum haud longè Jaurino ex fuga tridua consederat, & mox Ibrahimum Bassam Budensem, insignis experientiæ & fortitudinis militem, Soldanoque percharum, maturatæ insimulatum fugæ non re, sed dolo, odio, & accusationis metu strangulari jubet, qui nimiâ impugnandæ urbis tarditate moram Christianis vires colligendi, urbemque liberandi concedi audacter Vezirio oggesserat, cujus irrefragabile apud Soldanum testimonium certam illi necem intulisset, quam postmodum tamen injustam mariti sui necem implacabiliter vindicatura Basclaria, Soldani soror (quam Vezirius ardenter, sed frustra deperiisse, ideoque mortem Ibrahimi accelerasse dicebatur) aliis accedentibus causis procuravit, nam infaustum prælii, Viennensisque solutionis eventum, à se nequiter in alios derivans Bassas morte mulctaverat, quam etiam Tartarorum Chamo intentatam hic audiens, opportunèque præmonitus, fugâ sibi consuluit, ideoque Ducatu illum privavit, & alium substituit. Atque ita transmissis Arabone & Rabnitzio, dejectisque post se pontibus alato Strigonium cursu contendit, inde justum dimittit militum agmen Dotim, Papam & Vesprimium, ut eductis inde machinis bellicis [è Viennensi eas detulisse obsidione

Vezirii crudelitas & fuga.

Exercitus Christian. parcanū & Strigonium contēdit

ſidione fictums) illa ſolo æquarent : at Papenſes & Veſprimienſes incolæ turcicæ cladis certi, cæſo opportunè turcico præſidio, ceteros non admittunt; ſed eo Comes de Reckum deſtinato, Papam, Dotim & Veſprimium Cæſareo occupat milite.

Ceterum quia pejor communiter bello eſt timor ipſe belli, bellico reſolutum eſt à Chriſtianis conſilio oppugnare Strigonium, vix ſine Barcani navali ponte Strigonio connexi interceptione occupandum: refectis igitur exercitibus Rex Poloniæ, & Duces Bavariæ ac Lotharingiæ transmiſſo infra Presburgum Danubio recta prædictum Barcanum pontemque everſuri pergunt. Vezirius periculum præventurus quindecim illuc Turcarum millia ſub Siliſtrienſi Baſſa demittit, eorumque quatuor millia ſilvarum latibulis tecta, aliquot boum illecebris Polonos prædæ & gloriæ cupidiores (ſed à Carolo per Dunwaldum monitos, ne ſolo præcipiti equitatu ſine præditatu collectis jam viribus hoſtem aggrederentur) ad inſidias trahentes, Turcæ magno Polonos tumultu invadunt & ardore, turbatisque ordinibus in fugam conjiciunt, quam nec Regis caſtigantis auctoritas, nec exemplum fortiter pugnantis potuit retardare; ſed à ſuis omnino Rex cum tribus gregariis & Cameræ præfecto derelictus, ægrè Turcarum circum ſe frameas, & robuſtiſſimi equi beneficio vix ex fatigatione reſpirans, & ab altero ſuccollatus feliciter evaſit præſentiſſimum mortis periculum, quam filius ejus equi etiam beneficio, relictâ Turris apprehenſâ togâ, vix quo-

Poloni à Turcis fugantur cum Regis, & filii ejus periculo, cæduntur-que.

que elapsus, parenti jam modò illatam lacrimis deplorabat: gregarius enim miles intentatam Regi lanceam suâ morte avertendo, alter Turcam frameam in Regem stringentem bombardulâ suâ trajiciendo, Rex tandem evasit incolumis, multis suorum (870. alii scribunt 2000.) & Comite Denhofen amissis; succurrens autem protinus cum peditatu germanico Carolus, hostem insane furentem sistit, & in sua retro Barcanum castra fugat, exercitumque die altera traducit Strigonium, ubi recollectis viribus Turcæ hesterno successu alacriores, octodecim facilè millibus in sinistram Caroli alam ingenti rursus furore & clamore irruunt, quam irrito impetu impenetrabilem sentientes, in dexteram Polonorum declinantes, luxatis rursus eorum ordinibus loco illos pellunt; succenturiatis interim & sustinentibus impetum Germanis, & loricatis hostium latus opportunè fodicantibus, donec Polonus ordines restaurasset, unitis mox viribus eos involant: tum turcica vacillare acies, ordines laxari, cruenta edi cædes, & turpiter Strigonium pontis beneficio fugere, qui nimiâ hominum equorumque subsidens multitudine, magnum hostium numerum Danubio immersit: pars in paludes (3000.) compulsa, Polonorum hesternam cladem ulciscentium ensibus fuit Mahometi immolata, fuitque hæc multò copiosior Viennensi cædes ultra 7000. Capti sunt Bassæ Silistriensis & Aleppensis, totaque simul castra, & equi quater mille. Subinde secuta est Barcani deditio; nam militis Badensis furor effractâ oppidi portâ, frementesque

Po-

Pugna Strigoniens. & Strages Turcar.

Barcanū captum.

Et Strigonium

Poloni sociorum ibidem capita hastis infixa spectantes, omnes in ore gladii devorarunt: oppidum 20. tormentis prædâque dives direptum, & vulcano traditum.

Tum adducto Comorrâ navali ponte itum est Strigonium, ubi expugnato in monte S. Thomæ per Scherffenbergum munimento, urbs acriter tormentis & pyrobolis impugnata est: quam non minus fortiter Turcæ incensis suburbiis per quintiduum defendentes, relictâ tandem urbe in arcem confugiunt: instant Cæsareani & Bavari, dejectisque muris quamvis primo arx impetu capi posse videretur, parcendo tamen sanguini Carolus ultroneam postulat deditionem: præfectus quamvis primò invitus, post 6. horarum tamen inducias pactis conditionibus urbem & arcem sexto Calendis Novemb. tradit, ab anno 1605. huc usque possessam, ut præsidiarii biduanâ instructi annonâ, mutis tympanis, vexillisque convolutis cum impedimentis suis navigio Budam conducerentur, captivi demissi, omnisque apparatus bellicus & commeatus in urbe relictus. His juste adimpletis Carolus urbis præfecturam Carlowicio legionis Starrenbergicæ vigiliarum præfecto cum mille armatorum præsidio committit, inventaque sunt in urbe & arce sexaginta curules machinæ, copiosus bellicus apparatus & commeatus in medium annum sufficiens, ingens pulveris nitrati abundantia (sex orcarum millia) quo Jaurinum, Comorra & Vienna expugnari, & copiose rursus instrui potuissent. Novigradum deinde 2. Novembris deditione captum, Vaciam &c. Novigradum, Varia, &c.

ciam Poloni tranſcendentes præſidiarios internecive delent, Villecum, Baragœzinum, Levenzam, Preinizum & plura oppida caſtellaque ſe ſubmittunt, Cæſareanique ad hyberna milites demiſſi in itinere Zezen, Zebermarck & arces Seſthuy, Poin, Blauenſtein &c. intercipientes Vyvarini correſpondentiam cum Buda interſepiunt. Dunwaldus etiam & Scherffenbergus Leutſchum ſuperioris Ungariæ oppidum Cæſareæ faciunt poteſtatis, dimiſſis quidem libere 500. præſidiariis, ut vocant Tolpatſchiis, quos obvii poſtmodum Poloni omnes mactarunt: plures demum Comitatus & urbes in fidem & poteſtatem Cæſaris vi, aut ſpontaneâ deditione redierunt. Budianus Comes turcicis mox caſtris relictis cum ſuis Aſpermontio conjunctus, inſigne Turcis fugientibus intulit damnum; Zaborius ſecundus à Töckelio Rebellium Dux ab Eſterhaſio ad Cæſarem ductus, veniam obtinuit: Töckelius ipſe literis Poloniæ Regem pacis & concordiæ mediatorem ſubmiſsè interpellans, fuit rejectus.

Plures Comites & Comitatus redeunt ad Cæſarem.

Quis tantam meſſem Grano ſperaſſet ab uno?

Atque ita felix fauſtaque hujus anni expeditio divino ſingulariter favente numine fuit terminata, Rexque Poloniæ nonis Novembris à Carolo Lotharingo ſuis cum copiis diſcedens, per ſuperiorem Ungariam in Poloniam rediturus, urbem Setzſchinam, & vicinas arces Barackum & Holackum, mutuam Cæſaris cum Rege communicationem facilitandi causâ, deditione capit, eaque germanico communiri præſidio à Carolo poſtulans ſuas in hyberna legiones

Rex Polon. & Principes ad Cæſarē redeunt.

nes ad Tibiſci tractum diſtribuit, & ingenti totius Regni gaudio & jubilo decimo Kalendis Januarii, Cracoviam plenus gloriâ triumphaliter ingreditur. Elector quoque Bavarus Lincium rediens humaniſſimè à Cæſare exceptus, poſt bellicum futuræ expeditionis conſilium conclulum, inde à Cæſare ultra bis mille paſſus extra urbem honoris & affectûs gratiâ comitante dimiſſus, nono Kalendis Decembris Monachium omnium gratulatione & lætitiâ appulit: Carolus Lotharingus verò copiis ad hyberna deductis ipſe quoque conſilio & fortitudine glorioſus, Kalendis Decembris Lincii expeditionis ſuæ ſeriem Cæſari latius cum omnium gaudio & ſatisfactione expoſuit.

183. Interea temporis Soldanus Belgradi omni temporis momento fauſtum captæ Viennæ nuntium præſtolabatur, & Conſtantinopolis jam omnia in ſolemniſſimum parata erant triumphum propediem inſtituendum: varias in hanc rem Chriſtianorum Principum, epiſcoporum & pontificis maximi imagines ac pyreas machinas igne accendendas & illudendas conſtruxerant, cùm ecce medio Septembris adeſt infauſtus cruentiſſimæ ad Viennam liberatam cladis nuntius, adeſt mox alter cladis Barcanæ & occupati Strigonii curſor: Soldanus incredulus tantum ſuum ſuperari poſſe exercitum, & caſtris eſſe exutum, & omnibus ſpoliatum, & Viennæ jam agonizanti imminentem eſſe fugatum, perſuadere ſibi non poterat; at dum Solimannus Imbrhor, & Cadileſcherus juramento idem confirmaſſent, tum Mahomet turbari, furere, inſanire, & velut

Turcæ triumphum parantes auditâ clade conſternuntur.

Soldani furor.

lut insanus ejus furor horribilius noctu monstrum posset concipere, omnes cubiculi sui lampades, quæ ardere semper per noctem consueverant, extinguere, cubicularios & excubitores jubet abscedere; fatalis tandem fœtus prodit hoc sanguineum decretum, omnes imperii turcici, imprimis verò urbis Constantinopolitanæ Christianos incolas cujusvis sexûs & conditionis, Principum etiam legatos internecivè mactandos, & jam plurimi mactabantur captivi, cùm Mufftius supremus sacrificulus Christianos tolerandos, non mactandos alcorani lege cautum demonstraret; non auditus instat, an igitur consultum omnes Christianos principes in certam turcici imperii ruinam irritare, & ultro provocare hostes, quorum pauci tantam exercitûs nostri enervarunt potentiam? inde pacatior Mahomet Belgrado se Adrianopolim, & inde Constantinopolim proripit, ingenti pavore trementem, & in seditionis tumultum inclinantem. Supremus etiam Vezirius Budâ contendens Belgradum decem Strigonienses Bassas ob inevitabilem deditionem laqueo tollit, non sine levi Christianorum emulumento, quòd hostilis ita exercitus viris militari scientiâ, animique generositate, & virium fortitudine (qualis Bibbrus Bassa ubique prædicabatur) crudeliter non minus quàm insane destitueretur: quo dispendio & crudelitate, simul & tot cladibus aula Ottomannica populusque graviter offensus, Vezirii Karæ Mustaphæ caput postulat, quod invitus quidem Soldanus Mahomet, sed urgente idem Basclariâ sorore suâ mandat Capigliaro Chie-

Vezirii crudelitas, ejusque strãgulatio.

Chiecajæ & Chiauso vatinianis Vezirii inimicis rescindendum: ille fatali se huic submittens sententiæ, 25. Decembris suo ipse collo laqueum constanter inserit, & rescissum à carnifice caput Adrianopolim ad Soldanum componendæ plebi transmissum, Belgradum relegatur, in Moschea seu fano ab ipso Mustapha extructo sepeliendum: unde postmodum intercepto à Christianis Belgrado caput ejus Cardinali Collonitschio traditum est, qui illud arculæ inclusum cum ejusdem Vezirii ephipio, dorsuali, & phaleris auro gemmisque pretiose exornatis, in perpetuam solutæ obsidionis memoriam, Viennæ civitati donavit, in armamentario reservandum: bona ejus, & gazæ immensi pretii (XX. milliones ajunt) fisco addicta sunt. Talis fuit finis Karæ Mustaphæ supremi in septimum annum Vezirii, filius agasonis frumentarii, ad supremam sensim imperii Turcici post Soldanum dignitatem emergens, potissima regni negotia, Mahomete silvis, feris, & venationibus semper, ad justum aulæ plebisque odium intento, administravit; sed infami tandem, & dignitati huic haud rarò fatali, morte vitam miserè terminavit. Habet plerumque supremus Turcarum Vezirius in arenis domum, in vepribus statum, in prærupto sedem, in rapinis inopiam, in miseriis invidiam: quo plus enim potentiæ, eo magis in illam imperii fortunæ, in magna lignorum mole crepitantius sævit incendium; magna prosperitas magnæ viam facit adversitati, nec quemquam facilè plane miserum videbis, qui non valde

Caput ejus Viennam.

valde felix habitus fuerit; non poteſt ignoti hominis nota eſſe calamitas. Ait *Petrarcha de remed. dial.* 91. *Vide num.* 185.

Galliæ Rex jure adhuc unionis prætendebat abbatiam Stabulenſem, & comitatum Franchimontenſem in epiſcopatu Leodienſi, & in Trevirenſi arcem Hohenfelſiam occupat. In Moſcovia ſucceſſionis adhuc diſſidium inter fratres perdurat.

Annus 1684.

Turcarum fervor pro ſeq. expeditione.

184. Prioris Vezirii Karæ Muſtaphæ dignitati ſucceſſit Ibrahimus Amaſienſis Kaimakan, ſeu præfectus Conſtantinopolitanus, qui ex Aſia, remotiſque provinciis Spahos, ſeu equites, & Janizaros, & quidquid uſpiam veteranarum erat copiarum ad reſtaurandum exercitum properare, tyrones per univerſam Turciam ad Mahometis provocare vexillum, hoc addito edicto, ut qui arma induturi, bona poſſiderent à publicis illa oneribus & tributis forent exempta; ſtipendiarii verò iis carentes duplici gauderent ſtipendio: nonas etiam curules machinas, & quidquid rei tormentarii deerat (deficiebat autem ex cladibus plurimum) ſine mora refundere, aut è Serraglio jubet in maturam educere expeditionem & regni defenſionem, nam Cæſaris non tantùm fortunam, ſed Venerorum etiam arma metuebant, Cæſari & Polonis, ut audierant, ſocianda.

Cauſam præbuêre in Dalmatia Morlacenſes, finitimi Croatiæ Iſtriam inter & mare Adriaticum populi, qui poſt occupatam à Turcis Candiam

diam, initamque pacem haud exiguis in limitum divisione agris, districtibusque spoliati, de finitimis continuò oris & confiniis cum Turcis disceptantes, nuperis Turcarum cladibus animati, in hosticum excurrentes, arces Uranam, Obrovazzam, Scardonam, Duaram, anhac à se possessas, seriò licet inhibente, & inflictis etiam pœnis, sed frustra, republicâ, recuperant, pacemque contemerant. Turcarum vindicias Veneti metuentes, Cæsareo - Polonicum fœdus amplectendum deliberant, dissuadentibus Michaële Foscarino & Aloysio Justiniano, Bellum namque ajebant cum *Salust. in conjur. Catal.* ex arbitrio sumitur, non deponitur: calamitates autem belli sunt certissimæ, incertus eventus, rarò felix: Veneti fœdus Cæsareo-Polonicum amplectuntur.

Sternentem sternit, belli fortuna fugantem
Sæpè fugat, dubiis statq; caditque viis.

Unam alteramve cladem una sæpè felicis pugnæ resarcit abundantiùs fortuna. Nullùm autem bellum tam feliciter cessit, quin plus attulerit mali, quàm boni. Concuti quidem potest, non everti facilè immensa Ottomannici imperii potentia, quæ orbem sæpius terruit universum. An non recentia adhuc nostra livent vulnera, & meritò formidabimus deteriora? respirat sensim à pace respublica nostra; bello si non expiret, infirmabitur saltem, commerciis & negotiationibus aliò dilabentibus, & ærario jam non publico tantùm, sed & omnium statuum privato ubique deficiente. Nec tantas esse Morlacensium cum Turcis discordias & excursiones, quin componi possint, & ab ipsis facilè Turcis com-

primendæ, si præcipuos turbarum auctores sibi subditos comprimant. Sit felix lucrosusque nobis belli eventus, quò felicior, eò acerbior Turcarum in nos erit invidia, & furor inquietior, donec potiantur amissis; respublica interim nunquam obnoxia periculis, & copiosiore semper erit milite instruenda: cui plurimum quidem defensivum cum præfatis Principibus servit & fœdus, si foret perpetuum, & principum animus constans esset ac immutabilis, qui cuncta propriæ metiuntur utilitatis suæ decempedâ; neque enim semper idem est mundi cursus; sed sicut flumina imbribus aucta quaqua ruunt, conferunt pericula, minantur ruinam. Turcæ autem opportunis intenti occasionibus Christianorum discordiis sua maximè auxerunt imperia. Imbellis denique reipublicæ est securitas, quæ externis nititur auxiliis: Venera certè infaustos hactenus bellorum in Turcas sortita est successus. Altera econtra Senatorum pars cum Petro Valiero & Friderico Marcello asserebat: Deum exercituum Christianorum præsentibus victoriarum præludiis Ottomannicæ potentiæ fatalem velle prænuntiare ruinam, & imperii devolutionem; occasionem hanc, quâ nulla unquam opportunior, neutiquam differendam; quid enim arctius esse posset, quàm triplex hoc fœdus, funiculus triplex difficilè rumpitur: ex arctis nimiùm Dalmatiæ limitibus aut mox funestum bellorum erumpet incendium, aut intolerabile jugum emerget exactionum, quo insatiabilis Turcarum avarititia sub componendarum spe discordiarum, nunquam finiendarum, ingentem con-

continuò extorquebit pecuniam, & tributum reipublicæ intolerabile. Quin igitur triplici impugnetur fœderis exercitu, Ottomannica Porta tribus in locis irresistibili? an non navalis nostra classis mutuum provinciarum Turcicarũ subsidium intercipere, omnemq; prohibere aditũ facilè potest? generosissimus certè Polonorum Rex magnas cum bellicosa sua gente molitur expeditiones, quales victoriosus nunquam Cæsar interrumpet, ambo certam victoriarum spem haud obscurè appromittentes: quarum & nos, si libet, licet esse participes. Anceps aliquamdiu senatus, urgente imprimis Innocentio XI. Pontifice, bellum tandem decernit, & in triplex admitti fœdus per suum Viennæ legatum Dominicum Contarenum impensè sollicitat, subque Ducis sui Ludovici Contareni decimo septimo Kalendis Februarii 1684. decedentis mortem (qui etiam illud aversabatur) facile impetrat. Decimo igitur pòst die, 26. Januarii in novi Ducis, quem Doge vocant, electione, majoribus Senatorum votis 41. prævalens Franciscus Maurocenus Eques, & D. Marci procurator mirabili nescio quâ metamorphosi distentus, unanimiter eligitur Marcus Antonius Justinianus Eques; & patritiæ familiæ inter primarias singulariter insignis, reservato ad gloriosiora Mauroceno, qui generalis Venetæ classis præfectus plurimis victoriarum lauris patriam, rempublicam, & familiam suam coronavit, ab ipsa postmodum republica tanquam emeritus miles æterna hominis, Stemmatisque sui gloria ducali vicissim pileo est coronatus. Percussum interim triplex

Justinianus eligitur Venetorum Dux.

ſacrum Cæſareo - Polonico - Venetum fœdus eisdem ut ſupra conditionibus Romæ coram pontifice Innocentio XI. à Cardinale Pio, Imperii Romani, Card. Barbarino Poloniæ, & Card. Ottobono Venetæ Reipub. protectoribus juramento fuit confirmatum, & arma impigrè in hoſtem utrobique parata, pontifice fœderatis ſingulis L. imperialium millia in ſingulis durantis fœderis menſibus numerante, qui & Venetis eccleſiaſticas & religioſas in hanc rem decimas conceſſit, addiditque ſex triremes eorum claſſi in hoſtem conjungendas. *Continuat. vid. num.* 192.

Galli Cortracum, Dixmudam &c. occupat

Poſt propoſita in Cortracenſi congreſſu, quæ in Belgium jura Rex Galliæ prætendebat, velut ultimæ pacis complementa, & conceſſarum ſibi urbium appendices, quibusque Hiſpani aſſentiri renuebant, tandem pridie Calend. Septembris ſub Humiero Mareſchallo exercitum eo dirigit, qui quadripartitus, & in totidem miſſus provincias, primùm velut amicus ſolo commeatu & tributis contentus viveret, hoc incitamento Hiſpanos, ut ajebat, ad ſatisfaciendum ſibi tracturus. Verùm dum illi Gallis pro hoſtibus habitis, eos ferro & armis repellendos Populis indicunt, ſuppetiasque pro bello vi apertâ gerendo à Batavis impetrant, Humierus Cortracum obſidet, & intercipit, & poſt illud Dixmudium, properante interim Crequio cum alio exercitu verſus Luxemburgum, quod ingenti globorum ignem vomentium procella imperitum; tunc tamen ſolo privatarum ædium luit damno. *Vid. num.* 186. Ita quoque novis

gal-

gallicarum navium deprædationibus fœdifragi Algerienses novo gallicæ classis insultu reprimuntur. In obsessos intra urbis mœnia barbaros aliquot ignivomarum glandium millia projecta, quibus præsens timor perfidiosæ genti est incussus, in novas offensiones erupturæ, dum longè supplicium & vindictam abesse crediderit.

Nonis Decembris Coriskius eorum Cosaccorum Dux, qui Polonorum Reip. parent, Walachorum & Moldavorum copiis auctus, in Tartarorum regionem (vulgò Budziach) delatus, omnia igne & ferro populatur, vastatque Bialogradense cum aliis oppidis territorium, & clade internecinâ Turcarum & Tartarorum auxilium, qui acie cum eo confligere ausi sunt, feliciter profligat.

Quarto nonas Julii Maria Theresia Austriaca, Philippi IV. Regis Hispaniarum, & Elisabethæ filia gall. Regis Ludovici XIV. regina conjux, præmaturâ morte, si solitum vitæ cursum spectes; emeritæ senectutis, si virtutum & meritorum fructus, quibus aulam gallicam abundè honestavit. Commendata maximè Regi sponso ob innocentissimam morum pietatem, & abs rebus aut agendis, aut suadendis temperantiam; comperto enim quod eâ præsertim sobrietate Rex Ludovicus delectaretur, ceteris omnibus abdicatis sibi studuit sola in vagis conjugis amoribus unicâ patientiâ & orationibus solita deprecari, quæ præter gynæceum fierent. Tertio autem Calend. Decembris crevit Delphino post primum secundo genitus filius, cui nomen indi-

tum est Philippi, à patruo susceptore, & attributus titulus Dux Andegaviensis, omnium fratrum longævior, factus postmodùm Rex Hispaniarum. Postquam ante inter Gallos & Hispano-Austriacos de Burgundiæ titulo in primogenitùm derivato fuerat disceptatum.

Multi rursus Comitatus, urbes & comites transeũt ad Cæsarem.

185. Viennæ Cæsar naves extemplò annonarias, imo triremes Danubio accommodatas, & maximè necessarias cum remigibus suis præfecto Veechio expediri mandat, urbis ruinas & rudera refici, muros & propugnacula reparari, utque pessimâ dissipatos rebellione Ungarorum ordines sub uno counires capite, generalem per totum Ungariæ regnum indulget publicatque 12. Januarii amnestiam, bonorum & fanorum restitutionem, religionisque libertatem, modò ante Februarii finem Neosolii coram Commissariis submissionis & fidelitatis præstarent juramentum. Rediere in Cæsaris fidem XII. civitates, XIV. Comites, & comitatus (Gespanschafften) XVII. omnes Presburgi fidelitatis juramentum coram Carolo Lotharingiæ Duce, cæterisque Commissariis renovantes, reliquis, & superioris præsertim Ungariæ urbibus & dynastis metu Töckelii submissè se excusantibus, obedientiam tamen non recusantibus. Nec desiit Töckelius indictis Eperiesi comitiis, & edicto publico Ungaros ad perduellionis adhortari constantiam, magnis adhibitis promissis, in proximo Karam Ibrahimum Vezirium ingenti cum exercitu adfuturum subsidio; nolentes autem terrere, & Humanajos Baragoziosque Cæsaris amplexos gratiam morte, ferro & igne per-

Töckelius ferro & igne persequitur.

persequi, Franciscum & Ladislaum Baragozios, Andream Schemsium, Francis. Rhebujum, Steph. Machajum securi percuti, & Joan. Melizerum infami suspendi ligno; seniorem autem Baronem Baragotzium in arce sua Czaczava, & Sigismundum Humanajum in Ungwar Budensium & Erlaviensium subsidiis obsidere, quos inde General. Rabatta, Polonorum ad Tibisci tractum confidentium auxilio feliciter rejecit, instructoque necessariis Leutschio,& aliis finitimis locis arcem Miscoltam Rebellium refugium flammis evertit, Creutzenaviam deletis 400. Tolpatschiis intercipit, armatâ capit manu Portenfeldum, & necatis CCC. præsidiariis prædam obtinet non contemnendam: Turcæ & Tartari etiam Debrecinum, Zathmariam, & Potnackum (alii Polackum) invadentes insigni utrobique cæde repelluntur.

Tôckelius autem cernens plures à se ad Cæsareas transire partes, furiose insaniens, novis Turcarum confirmatus copiis per Petrozium & Petnehasium initio Martii arcem & vicum Ungwar cum adjacentibus novem pagis, & Comitatum Schorsteinium juris polonici, Semiratzium, Witznum, aliaque loca diripit & incinerat: equites Lubomirskios in Nitzig confidentes ad unum omnes cædit, pluresque Polonorum copias Ungariâ expellit, Humanaji bona & territoria crudeliter devastat incenditque, à Zipserianis 13. civitatibus L. millia imperialium extorquet; insignibus tamen dum nonnunquam cladibus ab Häuslero & Veterano mulctatur, plures ab illo centuriatim ad Cæsarem desci-

ſciſcunt; quare offenſus remoram oppoſiturus, miſſo Neoſolium nuntio, hebdomadarum aliquot armiſtitium à Caraffa ibidem curante poſtulat, exigitque Cæſareo Leutſchium evacuari præſidio, niſi ferro flammâque vellent evaſtatum. Re ad Carolum Ducem delatâ, deſtinatus illuc Dunwaldus, Tôckelium mox Kiſmarckio fugat Caſſoviam, inde Mongatzium, direptoque Kiſmarckio oppidanis veniam enixe petentibus parcit.

186. Dum interim ingens è Turcia perſonat armorum apparatus, in Ungariam potiſſimum convertendus, Cæſar ut ſe metu Gallorum ungaricis turbis & Tucarum expeditionibus invigilantium liberaret, Vicennales cum Ludovico XIV. Ratisponæ pangit armorum inducias, Monaſterienſis & Neomagenſis pacis fundamento nixas, nullo reunionis alteriusve rei prætextu directè ſive indirectè frangendas, vi quarum Gallo Argentoratum, munitio Kehlerana & omnia ad Kalendas uſque Auguſti occupata cum jure ſuperioritatis addicuntur; ab eiſdem vero Kalendis anni 1681. uſque huc Imperio Romano extorta, abſque ulla reſervatione reſtituenda. Deinde ut Turcarum illum armorum apparatum ſi non avertere, diſſipare & diſtrahere poſſet, miſſis in Moſcoviam legatis Blumbergero & Zirowskio facundæ eloquentiæ viris, ambos fratres Joannem & Petrum Moſcorum Imperatores ad off-& defenſivum in Turcas fœdus ſollicitat; magnis quidem ſumptibus, & inauditis ſolemnitatibus excepta eſt in metropoli legatio; ſed diſſuadente imprimis Goloczino,

Armiſtium Cæſareo-gallicum.

Moſci à Cæſare fruſtra ad fœdus ſollicitati.

loczino, primario aulæ statûsque ministro, tum ob mutuas adhuc fratrum simultates ægrè sopitas, variasque regni factiones; tum etiam, quod Mosci perpetuam Smolensci & Kioviæ à Polonis exigerent cessionem, fœdus tum quidem dilatum, duobus demum pòst annis conclusum fuit. Nihil itaque Viennæ consultationum est intermissum, quo præsentis anni dirigenda felicius foret expeditio, quidam Vyvarinum primò tentandum suadebant, non satis commeatu, apparatuque, & bellico ad resistendum validè præsidio munitum, sed fame pressum; quo devicto, superioris Ungariæ Erlaviam versus rebellium nidos & latrocinia evertenda, quo firmius Turcarum tum possit obsisti machinationibus. Budam alii regni metropolim aggrediendam, septem armatorum millibus tantum validam; sed dysenteriâ infectam, & revocato asiatico milite ob Soldani cum fratre simultates subsidio frustratam, ideoque facilius capiendam persuadebant.

Decretâ igitur hujus obsidione Dux Carolus ad medium mensis Maji cum equitatu & impedimentis Vyvarinum versus contendit, subsequente, & navalem Schintæ pontem transeunte peditatu, Vyvariensium mox pecora intercipiunt, qui temerè aliquoties excurrentes nunquam non cum cæde sunt repulsi: inde Barcanum movens Vicegradensem protinus arcem, Danubio insidentem, opportunum obsidendæ Budæ aditum jubet præripere; superatis igitur viarum montiumque angustiis impugnatum mox oppidum sustinere

Vicegradum Carolus subjugat.

nere diu vim impotens sexto decimo Kalendis Julii convasatis præsidiarii rebus noctu ad arcem relicto oppido confugiunt, defenduntque eo tenacius, multis Christianis cæsis, pluribus sauciis, quòd Ottomannorum turma arci in subsidium approximata, magna obsessis vociferatione succursum proximè certò affuturum promiserint, quos extemplò cæsis eorum aliquot repulerunt, & arx eo crebrius pyrobolis tormentisque fuit flagellata, minatusque Carolus internecionem militibus, ultroneam deditionem recusantibus; quæ minæ obfirmatum præfecti animum ad deditionem, liberi tamen discessûs, cogunt, quem omnino Carolus, nisi alio urgente casu, non permisisset: Turcæ enim de solvenda arcis obsidione desperantes, Cæsareana invasuri impedimenta, haud procul Strigonio ad montem sub silvæ latibulo consident, re intellectâ, Halleweilus cum 60. equitibus hostem investigaturus, mox insperatè ab eodem circumcingitur, pugnatur utrimque acriter, hic germana fortitudine, hostis multitudine, donec Rabattana legio, velitationis tumultum audiens, cum aliis approperaret legionibus, tum vacillare Turcarum aciem, luxari ac fugam capere, à germano continuò milite multis insecuta passibus, cæsi illorum 150. capti 36. cecidit etiam præter gregarios ipse Halleweilus, lanceâ in pectore, & in facie jaculo fœdè transfixus, summo omnium, sed Caroli imprimis dolore, plurimi virum eximiæ generositatis & vigilantiæ æstimantis; captus autem

vem junior Comes Rabatta jam tum ab hoste devestitus, à duobus equitibus suis libertati restituitur: obtenta aliquot equestria hostium signa Carolo præliantibus in via succurrenti oblata sunt. Pacta interim à Maximiliano Starrenbergo Vicegradensis deditio ad Caroli reditum & subscriptionem fuit suspensa, quòd præfectus ob violata ultimæ à Christianis factæ deditionis pacta jurata pœnam talionis seu internecionis metueret; subscriptis autem pactis 19. Junii 713. præsidiarii post 130. annorum possessionem ad insulam S. Andreæ liberè sunt dimissi, quibus totidem fere legionis Neoburgicæ pedites sub ejusdem subtribuno in urbem succedentes, septem bellicas machinas Rodulphi Imp. nomine aliquot insignitas, exiguum verò commeatum apparatumque bellicum [quæ maturæ forsitan fuit deditionis causa] repererunt.

Inde Carolus exercitum quietis causa reducit Strigonium, & hinc per angusta viarum & vicum Marotschium recta Vaciam contendens hostilem in planicie spectat exercitum acie formatum, & XX. facilè millibus validum, dextera cujus ala Janizaris mixta versus montes, sinistra Vaciam versus extendebantur. Grata omnibus hæc cum hoste confligendi occasio: extemplò Carolus aciem disponens alam dexteram Principi Salmensi, Ludovico Principi Neoburgico sinistram, medium Maximil. Starrenbergo committit, ipse cum Mareschallo Ernesto Starrenbergo universim ubique curaturus. Hostis Christianos itinere fessos haud difficilè perrum-

Pugna Vacensis & victoria.

rumpendos, dato mox quinque tormentorum signo dexteram Salmensis aggreditur alam; sed facilè repulsus, horrendo protinus sinistram boatu impetit, ibidemque tormentis bombardisque insigniter exceptus cùm densatos Christianorum ordines luxare non posset, in turpem actus confusionem fugam arripit, quam Salmensis advertens, expeditis subitò aliquot in viam Vacensem dimachorum turmis, aditum intercludit, fugientesque plurimi ab insequente legione Hâusleriana sunt interempti, pauci in oppidum recepti: equitatus verò Pestum avolavit: cæsi sunt mille Ottomanni, & centeni aliquot ccc. Janizari capti: 700. Danubio submersi: christianorum defuerunt pauci, nisi quod illæso Carolo equus ejus in collo fit globo trajectus. Post hæc tormentis pyrobolisque flagellata Vacia, post acrem novem horarum defensionem vincentium se tradidit potestati, & captivitati 800. præsidiarios, sexcentosque Janizaros, ex recenti prælio profugos: urbs in prædam concessa, quam miles in cellis & cryptis penitiùs investigans, dum plura christianorum dissecta hinc & inde corpora invenit, in furorem & captivorum penè internecionem fuit adactus. Præter divitem satis prædam 15. etiam tormenta ibidem bellica sunt reperta, & pro binis Carolus victoriis hymnum Ambrosianum in papilione suo intonavit, personantibus per castra tubis, & tormentorum explosionibus.

Vaciæ deditio.

Capta & munita præsidio Vacia, quæ olim Episcopalis & academiâ celebris erat, christianus movet exercitus ad finem Junii Pestum, cujus

ſus adventu territi oppidani & præſidiarii incenſâ urbe & navali poſt ſe ponte Budam fugiunt, quam mox chriſtiani occupantes incendium extinguunt, Budenſium licet tormentis, & ex transdanubianis eorum caſtris multum petiti. Initio Quintilis Turcarum aliquot vexillationes Præfectum Peſti Mercium cum præſidio oppreſſuri, Danubium clam tranſeunt; cujus opportunè præmonitus Mercius tam ſtrenuè eos excepit, ut pauci ad ſuos redierint. Confirmatâ autem Vaciæ in conſilio bellico Budæ obſidione, Styrumius cum parte rei tormentariæ, & alterâ die Caprara cum equitatûs parte per navalem Danubii pontem ſunt præmiſſi, quos totus mox ſecutus conveniensque in D. Andreæ inſula exercitus in commodiſſimo ad D. Andreæ vicum colliculo conſedit inacceſſibilis: dexteram tuebantur prærupti montes, ſiniſtram Danubius, frontem longæ latæque paludes. His non obſtantibus hoſtis ſexto Idus Julii incondito clamore, & incompoſitis ordinibus dexterâ ſuâ Chriſtianorum ſiniſtram alam, & ſiniſtrâ ſuâ dexteram temerè invadit paludibus intermediis; dexteram hanc alam hoſtilem Taffica Salmenſis ductu legio adeo viriliter excipit, ut vacillaret primùm, tum ſuccenturiatis aliis cum tormentis per Carolum turmis fugeret, fugientesque Polonicus equitatus inſequeretur: ſiniſtram ſimiliter Turcarum alam Chriſtianorum dextera tormentis ultra viginti opportunè diſpoſitis in fugam è monte præcipitant, unde in Starrenbergicæ & Schultzicæ legionum ad montis radices dilapſi inſidias, iterum in vallem tormentis reje-

Turcarum cædes ad inſul S. Andreæ.

cti, conjunctis simul binis alis magno rursus impetu Christianorum sinistram invadunt sinistro successu: nam & inde turpiter strage utrobique haud exiguâ repulsi, fugiunt in montem ibidem pernoctantes: inde Budam contendentes Christianus extemplò exercitus est insecutus, qui pridie Idus Julii urbem circumcingit, obsidionales vias egerit, tormentorum erigit suggestus, frequentibus licet obsessorum explosionibus impetitus, Fontanusque Comes & Marchio Parel'a leviter sauciati: cæsi verò in occupanda ad Danubium commodæ oppugnationis [sed irritò] statione Comes Althemius, & Lotharingus quidam magnæ expectationis & nobilitatis volo, sed voluntarius. Deinde Carolus urbem arctius occlusurus, cum majore exercitûs parte transcensis montibus hostiles eminus Albam Regalem versus conspiciens copias, obviam eis procedit; sed adventum ejus non præstolantes subterfugiunt: absente autem exercitu Budenses quaternis in oppugnatores locis excurrentes vi magnâ vineis ad molam usque pulveraríam ejiciunt, confestim aliis quidem copiis accedentibus repulsi, sed ducentorum nostrorum strage, Carlowitzii imprimis, præfecti Strigoniensis, Comitum Fürstenbergii & Hohenzôlleren, Baronis Polheimi, & Klari centurionis. Die alterâ patefactis muris Starrenbergus inferiorem violenter urbem paucorum, quinque solùm, sanguine capit, oppidanis in superiorem fugientibus, & urbem simul cum nostris incendentibus, quæ tota ventorum sævitia in cineres est redacta. Tum interceptus cum suo munimento mons S.

Budæ obsessio.

Urbs inferior capitur.

Ge-

Gerardi, & die sequenti oppidanorum excursio validè, sed Starrenbergi centurionis morte repressa.

Defertur inter hæc ad Carolum in proximo ad urbis liberationem adesse cum XX. millium exercitu Seraskierum. Ille haud cunctandum, sed tempore occurrendum ratus, relicto ad urbem cum sinistra ala Starrenbergo, undecimo Kalend. Augusti XV. millium exercitu continuis per noctem itineribus illuc contendens, hostilia sub crepusculum castra habet in conspectu. Extemplò hostis plenâ Christianos acie involat, & quaternis omnino horis dum feroci conatur impetu, sed frustra, perrumpere, ipse luxatis ubique suis dissipatis ordinibus fugam arripit, & castra tota cum omnibus impedimentis, tentoriis, tormentis, commeatu, apparatu, magno Mahometis vexillo, & Seraskieri papilione in vincentium Christianorum potestate relinquit, fuitque ingens cæsorum & vulneratorum numerus in fuga per Lubomirskios Polonos & Ungaros haud parum adauctus; quare in signum grati in Deum animi Carolus hymnum Ambrosianum persolvi jubet in castris. Succurrentes Turcæ cæduntur, & castris exuuntur.

188. His non infelicior in Croatia Generalis Comes Lesleius fuit, qui ut commodum sibi acquireret, occuparetque Dravi aditum, moto 9. Julii ex fano S. Georgii XII. millium exercitu & tormentis, paludosam incredibili transiens labore silvam proximè adjacentem Vero-Vitizam robore non invalidam obsidione cingit; nec segniter eam Turcæ succenso flammis suburbio, & tectis denudatis domibus defendunt: Vero-vetiza &c. cæsis Turcis occupatur.

& quia

& quia magni locus iste Turcis intererat, Bassa Bosniensis maturam urbis ex commeatus defectu timens deditionem, collectis subito copiis liberationem tentaturus, magnis illuc passibus contendit, cujus certior factus Lesleius, Comitem Trautmansdorffium cum IV. Croatarum millibus in occursum expedit, qui numero & viribus superior, eundem facile vertit in fugam, & castris exuit. Inde Trautmansdorffius ad suos rediturus offendit Bassam Gradiscensem cum mille quingentis Bosniensem confirmaturum; sed visis vix Christianis in proximum subterfugiunt saltum; in priore tamen velitatione dicuntur mille cæsi, 30. gregarii cum duobus, ut ajunt, Agis, capti, & duodecim signa equestria. Hanc Turcarum cladem subsecuta est 24. Julii Verovitizæ, Prelovicæ, Sophiæ, Slatinæ, & Wewarini deditio. Tum Dravo Lesleius pontem prope Turannowicium insternens, caute illum custodire jubet, & per Seravium Mecslowinam occupat.

Budæ pertinax defensio

Quanto interea temporis cæsareani Budam flagellabant tormentis & pyrobolis ferocius; tanto eam pertinacius Turcæ defendebant cæde utrimque non exigua, & grassantes inter Christianos morbi plures etiam dejiciebant tribunos & Generales: campi Mareschallus Starrenbergus febri licet afflictus, sedili in tormentorum voluit deportari suggestus, ut alacrem christianis fortitudinem, timorem hostibus incuteret. His interriti Turcæ iteratis excursionibus & explosionibus acriter nostros infestantes, 28. Julii Sabaudiæ Principem Eugenium in viis obsidionalibus

nalibus Salmensi astantem Principi vulnerant ; die altera Cavaglierum, Com. Thierheimium globo sternunt, sauciant Scherstenbergum, qui viso sanguine suo leonis instar ferocior, erumpentem hostem altero tanto sanguine in urbem repellit, taceo plures alios Principes, Comites & tribunos peremptos, atque ex pluviosa aura Carolum ipsum in lectum dejectum. I. Septembris Häuslerus frumentatum iturus Albaregalense offendens agmen 700. cædit, & 800. frumenti saccos, quaterque mille quingenta prædatur pecora ardenter in castris desiderata. Quinto Idus Septembris Elector Bavarus cum suo accessit castris exercitu,& stationem castrensem viasque obsidionales in urbis arcem dirigens decurionem Idibus Septemb. turcici gnarum idiomatis cum literis turcico-latinis ad præfectum mittit urbis deditionem, Cæsaris nomine postulantem, cui præfectus quindecim liberaliter in auro ducatos donans, sat sibi virium & animorum, sat commeatûs & apparatûs bellici in defensionem urbis esse ajebat, ideoque nullam subesse postulatæ deditionis causam, & dummodo sibi captivi remitterentur, magnam sibi fore beneficii gratiam omni studio refundendam. Quo audito magna Bavarus contentione urbem impetit; Seraskierus autem in omnem liberationis partem intentus pontem modò Esseckensem 40000. transiisse, & triduo abesse castris rusticorum vulgabatur relatione, famâ aliâ medietatem, 20. solùm millium variante, subtacitis ad arma tubis conclamatur, concurrentibusque Electore & Caprarâ ad decumben-

tis Caroli consilium, decretum est circumvallanda fortius castra, dextrumque eorundem cornu montibus affigendum, in aciem disponendam militiam, & regias vias quadrigarum vallo sepiendas. Quibus dum arctius equites ultra quindenam continebantur, pabulationis defectu equi deficiebant plurimi, dumque rari frumentatum irent, ab hoste carpebantur. Sub hæc Turcis aliquot in adversis Budæ montibus suũ significantibus exercitûs adventum, oppidani agminatim magnâ ad lunare munimentum furiâ erumpunt, plures è nostris & Comitem Tillium prosternunt; post quinam tamen non sine exigua eorum cæde repulsam in urbem fortiter sunt rejecti. Tum hostilis tandem exercitus montes agminatim descendens Christianos levi certamine lacessit procubitores constanter obnitentes, donec pleno in dexterum cæsareum cornu irruente exercitu nostri retrocedentes, & intermedii impedimento fuêre, quo minus globorum grandine copiosior in Turcis strages ederetur; tantâ autem repulsi sunt constantiâ & celeritate, ut per saltum acinacibus fugæ sibi viam ad montes sternerent, quorum captus Chiausius octo fuisse millia referebat: sub qua velitatione Budenses in Starrenbergicam ad Danubium stationem erumpentes, & nostros interclusо exitu cingentes, ducentos cum centurionibus duobus, & vigiliarum Præfecto Damm enecarunt, navibusque militem, commeatum & bellicum apparatum urbe exceperunt; & unâ Seraskierus horâ à Christianis rursum castris plena consideba acie, quem Christiani tribus

Budensium excursiones cruentæ.

Bavaricis equitum confirmati legionibus oppressuri, pluviarum impetu detinebantur; has Budensibus nauci curantibus, Christianosque furiosè irruentibus, Seraskierus è montibus devolutus Aspermontensem subitò legionem, & duas incautè vexillationes Salmenses circumvenit, easque continuis cœli pluviis genutenus immersas ad defendendum se ineptas dum omnes internecione cædit, numerosum simul subsidium civitati immittit, quos sexcenti mox alii subsecuti ex altera urbem parte petituri, Christianorum vi repulsi, toto simul cum exercitu fuga sibi consulere sunt coacti. **Budæ succursus infertur.**

189. Tot molestiis fatalibusque ex- & incursionibus ne ultra Christianus fatigaretur & minueretur exercitus, 26. Septemb. instructâ hostem acie invasurus, nullum invenit, expeditus licet in fugientem sit polonicus & ungaricus equitatus; qui reversus vineas suas destructas, accensa virgulta, lignaque operis castrensibus necessaria ab oppidanis urbi illata comperit: quare dilatatis murorum per Bavaros ruinis ferox in urbem quarto Nonas Octobris fit impetus, qui non solum irritus, & 400. nostrorum cæde fuit fœdatus, sed & XIII. mille panum portiones Danubio in castra devehendæ in hostium manus devenêre, quo fames passim invalescere, commeatus indies bellicusque deficere apparatus, & inclinante jam anno sævire tempestatibus, & frigore cœlum; grassari inter milites laboribus molestiisque exhaustos plurimis morbos; hostisècontra iteratis in urbe confirmatus subsidiis arroganter efferri, & Seraskierus

octavo Kalend. Novemb. impetum in dexteram christiani exercitûs partem cum XX. vexillationibus simulans, ad sinistram deflectens Ungaros 600. internecione sternit, ducentosque ex pascuis equos, & Com. Styrumii impedimenta liberè deprædatur. Convocatum igitur consilium bellicum (subsidiariæ licet Franconicæ recens accesserint copiæ) obsidionis decernit solutionem, à Cæsare per Hermannum Badensem consilii militaris præsidem tunc castra accedentem imperatam: quam transfugus bellicus machinator oppidanis mox referens, afflictum christiani exercitûs statum, cuniculos, & plurima detexit secreta, eorumque auxit pertinaciam: sicque Kalendis Novembr. christianus exercitus convasatis impedimentis & tormentis itineri Albam Regalem, ac si in Seraskierum moturus, accinctus, in Strigoniense sensim declinat iter, quem ad montes usque Strigonienses insecutus Seraskierus, paucos postremi agminis milite carpens, paulò pòst Budam centum camelis & XL. carris annonariis ovans ingressus, ingenti urbis lætitia excipitur, ejulante econtra Pesto, muro, cunctoque robore per Christianos spoliato: valetudinarii autem navium defectu derelicti, Turcarum ensibus aut captivitate sunt induti; apparatus etiam & impedimenta aliqua, Piccolominensia imprimis, in insula S. Andreæ, ex subito exercitûs motu remorata, hostium cessêre potestati. Talis fuit Budensis catastrophe obsidionis, quæ ingentem Christianorum multitudinem 23000. consumpsit, elusitque celebrem tot Belliducum militarem scientiam, indefessam

Budæ obsessio solvitur magno Christianorum damno.

fessam fortitudinem, & generosam constantiam, quam quidam adscribunt bellicorum machinatorum imperitiæ, alii belliducum discordiæ, qui illam dissuaserant, alii invidiæ contra Carolum, cui divina hac vice providentia Budam posuit gloriæ metam, ut altero pòst anno plus ultra procederet gloriosius.

190. Nec omnino tamen Cæsarem hoc anno fortuna destituit, & quamvis primùm etiam adversa, faventior postmodùm in superiori arrisit Ungaria, ubi Tôckelius homo nequissimus à suis licet multum derelictus, & oblatam Cæsaris gratiam omnino respuens, validam Comitis Humanaji arcem Unguar, polonico præsidio, regiaque munitam tutelâ, Rege frustrà dehortante intercipit, & alteram mox armatâ manu æquè validam Critzvam, ubi quindecim Ungaricos dynastas sibi adversantes palis crudeliter transfigi jussit; quâ crudelitate terrorem ubique circumferens Humeniam deditione capit, & Catholicos contra pacta confixit. In occupata similiter arce Osielna neglectis deditionis articulis subscriptis & juratis decem à se profugos pedites suspendio, 96. Ungaros securi, & alios V. nobiles palis ferire mandavit: pòst novis comitatuum aliquot invasorum copiis, bellicoque nervo confirmatus, tentatis frustrà Zatmario & Potnocko, Silesiam & Moraviam invadere contendit: Schultzio aditum ei intercludente, Erlaviensi adjutus subsidio, Schultzii cædit pabulatores, equis haud paucis abductis, eundemque levi ad Eperiesum clade mulctat: die autem altera Schultzius Veterani copiis auctus graviori

Tôckelius plura occupat, multa cum sævitia.

Cæditur & fugatur à Schultzio.

Tôckelium clade rejecit & fugavit: inde Zebenium igne devicit, captosq; præsidiarios CXIV. Husari talionis pœnâ mulctarunt. Tôckelius liberandi spe Zebenii delusus, sumptis ex Cassovia tormentis decem, Schultzium Zipsensi ejecturus ditione, & arcem Zipsensem, Leutschumque recuperare intendens, ad Eperiesum contractis undequaque VII. millium copiis consedit. Hujus certior Schultzius factus, summo per totam noctem silentio viam simulans Bartfeldensem, versus Eperiesum paulatim deflectens, occulto per magistrum equitum Gombos [alii Bompos] itinere ductus, 17. Septemb. summo mane in conspectum hostium in monte patibulari machinis munito excubantium improvisò venit, irruit, cæsisque 400. castris exuit, tormentis, omnibus impedimentis, & XXX. vexillis, Tôckeliique papilione, lecto, vestibus, argento, & ejus cancellariâ potitus; ipse vix Tôckelius lecto se proripiens cum interula sua Regetzum profugit; pauci è nostris sunt desiderati: ipsum Eperiesum mox tormentis & ignibus ad vesperam usque quassatum fuit; sed necessariorum defectu, & quia omnibus defensioni necessariis & milite ex velitatione illuc confluxo abundabat, Schultzius inde discessit prædâ haud exiguâ beatus; solus enim Tôckelii papilio à Sultano eidem donatus, pretio 6000. imperialium æstimabatur, signaque ejus inscribebantur: *Emericus Tôckeli Princeps Ungariæ.* Agalma ejus erat biceps aquila, cujus quadrilatera stipabant bini ensiferi leones, & bini coronam gerentes. Mirum illud hic accidit, quòd paulò

ante

ante hoſtis invaſionem tres in altum aquilæ ſupra exercitum Cæſareum hoſtem quaſi involantes, ternæ veluti victoriæ teſſeram Schultzio prænuntiare voluerint: nam omiſſo Eperieſo Bartfeldiam IV. inde milliaribus diſſitam aggreſſus ſatis munitam, bellicoque apparatu, annonâ & præſidio affatim inſtructam, poſt acrem oppugnationem metu potiùs quàm neceſſitate 28. Septemb. capit, præſidium exceptis L. mordicè Töckelio adhærentibus, Cæſareæ dedit nomen militiæ. Bartfeldiam ſeptimo oppugnationis die ſecutum eſt Marcowitzium, arx rupi inhærens, validis muris, munimentis, ac receſſibus roborata, tum Comitis Erdodi, tum Ragotziæ, uxoris Tôckelii, poteſtati ſubjecta; at que ideo Tôckeliano munita præſidio vim Schultzii, tormentis deſtituti eluſiſſet, niſi hic cuniculis murorum minitans ruinam meticuloſam præſidiariorum deditionem, liberumque in Poloniam acceſſum, & centum ultra pagorum dominium, cum magno belli & annonæ apparatu, tormentisque viginti & duobus extorſiſſet. Nec minùs feliciter Veteranus Comes arcem Stratko, Comitibus Pötti propriam deditione cepit, apparatu etiam bellico bene proviſam.

Bartfeldiam & Marcowitzium Schultzius capit.

191. Variæ deinde Tôckelianæ turmæ prædatum excurrentes continuò ferè ſunt oppreſſæ; nam Suchiada cum CCC. à Tockelio peditibus miſſus auxilio Dunawitzium, ab equitum magiſtro Mollnero incautè invaſus, cæſis ſuorum pluribus, ipſe cum uxore & liberis, prædaque quatuor millium imperialium eſt captus.

 ipſum

ipſum ſubinde Dunawitzium in Schultzii poteſtatem fuit dilapſum. Tœkelius novis Caſſoviâ confirmatus ſuppetiis Kâſmarchiam oppreſſurus, dum impeditur, Zipſenſem crudeliter ditionem ferro & igne deprædatur: idem intentaturus malum Kirchdorffio, tormentis repellitur, excurrentesque audacter præſidiarii magnam prædæ partem plurium Tockelianorum ſanguine extorquent. Schultzius autem novo auctus milite rurſus tentat Eperieſum, & tribus è ſtationibus acriter tormentis, irrito tamen conatu, flagellat, quòd 800. præſidiarii ſolutam obſidione Budam audientes, deſperatam obfirmaſſent defenſionem. Bruma igitur, tempeſtatibus & morbis crudelius hoſte invaleſcentibus, conſultius ab oppido diſcedit, & hyberna cogitat (in quibus illum Tockelius oppreſſurus cæditur CCCC. ſtrage, captis C. & omnibus impedimentis) quæ & alter Cæſareus exercitus quatriduo ad Strigonienſes inter continuas nivium pluviarumque tempeſtates montes unicè deſiderabat, lubricis viarum difficultatibus ac frigore exhauſtus, & fame undique ex frequenti copiarum tranſitu ac populatione accreſcente propè enectus. Hoſtis Vacienſe interim oppidum deditione recuperat, quam alii Ungarorum cum Germanis, ac Præfectorum imprimis diſcordia, alii Ungarorum maturatam proditione dicunt: certum illud, quòd præſidiarii propè omnes pactis violatis interfecti ſint à Turcis, iteratis continuò excurſionibus hybernantes Cæſareas copias infeſtantibus: eas ut repagulo quodam Comes Czoborius contineret, arcem Suranam

Vaciam Turcæ recupe-ant.

haud

haud procul Vyvarinum dissitam, dum præsidiarii equos pabulandi causa exiissent, tempestivè intercepit, quo tantam Vyvarino sic arctius intercluso famem invexit, ut præfectus præsentissimum oppidi Budensibus periculum & annonæ penuriam significans, nisi militis & commeatûs maturarent suppetias, infirmam defensionis spem superfuturam. Indefesso igitur Budenses mox studio centena aliquot annonaria plaustra Novigradum destinant, Vyvarino variis sub excursionibus inferenda; sed lynceâ semper vigilantiâ Czoborus mille ducentis equitibus remorabatur, donec astu tandem 25. annonarios currus exiguo comitatos præsidio dum Heuslerus & Czoborius uno in loco facile intercipiunt, in alio centum & ultra plaustris, & trahis copiosam oppido annonam, validissimumque militare 3000. præsidium feliciter inferunt, unde præfectus arrogantior biennale restans tributum à circumjacentibus pagis & vicis sub gravi exegit comminatione sine mora persolvendum. *Vid. num.* 194. **Vyvarinum arctius includitur**

192. Confirmatâ in Venetorum senatu bellicâ in fœdifragos multoties Turcas expeditione, illam Georgius Cornarus ex senioribus senator in Castelnovum in Dalmatia provinciæ Herzegovinæ urbem convertendam suadebat, ex cognito sibi provinciæ statu, & incolarum in rempublicam affectu haud fore difficilem, præmissoque in archipelagum Alexandro Molino quasi feciale Turcæ sive præsumptione, sive proditione moniti, omnia sine mora fortificationis, **Veneti S. Mauram cingunt.**

defensionisque media sine intermissione adhibent, atque ita Venetorum evertunt molimen; Hieronymus igitur Cornarus S. Mauram Græciæ in Epiro urbem certis ex literis haud validam persuadet oppugnandam, quo mox etiam architalassus Franciscus Maurocenus ex insula Corcyra seu Corfu cum formidabili classe 28. navium Venetarum ac VI. mille classiariis & peditibus, ac 150. equitibus; Melitensium septem sub talasso Joanne Bapt. Brancaccio cum mille peditibus, inter quos ultra centum nobiles equites; pontificiarum quinque sub talasso Malaspina & 300. peditibus, & Florentini Ducis una sub nobili equite Camillo Guidone cum 600. stipendiariis provolans, circa medium Julii ad S. Mauram sine ulla resistentia vel impedimento appellit; apertis subinde fossis castrensibus Strasoldus campi mareschallus paucos intra dies urbis foveas occupat, eversisque muris generalem jam impetum paranti, ultroneam præfectus urbis offert 6. Augusti deditionem, quo transfiguratio illa die Christo Salvatori in purgata benedictaque more Christiano moschea triumphales actæ sunt gratiæ. In hac quinquangulari turrita urbe inventæ sunt 125. curules æneæ & ferreæ machinæ, & 600. præsidiarii cum ter mille incolis aliò sunt traducti, centumque triginta Christiana mancipia, potissimùm Neapolitana, libertati donata. Hac subjugatá, tota insula 60. milliarium italicorum leucada in Venetorum cessit potestatem: neve vicino Ottomanni oppido Xeromero venetorum opem sollicitanti inferrent molestias, Strasoldus vastato

Deditione occupatur, uti & Prævesa.

latè

latè hostico opimis ditatus spoliis illos expellit, militemque opulentioris spe prædæ ad majora audenda excitat promptissimum: nam

Aurum pugnaces mittit in arma Viros.

Pro majori autem S. Mauræ securitate & necessitate Maurocenus Prævesam arcem sex leucis S. Maurâ distantem invadit quæ olim ab Augusto Cæsare ob devictum ibidem prælio Marcum Antonium & Cleopatram Nicopolis dicta est, fuitque capacissimus totius regni Epiri portus; hunc Maurocenus classe aggredi simulans dum omnem præsidiariorum curam & virtutem illuc attrahit, adversam terrâ partem irruit, & elusis tormentorum explosionibus haud difficulter milites figunt stationem, quare pyrobolis & tormentis antiqui & solidi ædificii muros sine ullo nocumento frustra arietantes, occupatâ foveâ subterraneis muros evertendi fornaculis sedulò est actum; quo territi Turcæ, spontaneè Mauroceno se submittunt, capta in ea sunt 44. tormenta bellica, & bis mille præsidiarii cum 1500. incolis liberè dimissi. His gloriose peractis naves auxiliares pontificiæ, melitenses & Florentina domum rediêre, Maurocenus disposito insulæ urbiumque præsidio velificat Corcyram classe labore, milite, & morbis plurimum debilitata & deficiente.

Altera Alexandri Molini & Danielis Dolphini classis in archipelago errabunda turcicis invigilans triremibus magnum hinc inde timorem canendo classicum incussit, insignemque urbi præsertim Byzantinæ annonæ caritatem, illam passim intercipiendo, intulit; quare Bassa Capita-

Classis turcica plura devastat

pitaneus, seu turcicus architalassus sua 30. & ultra navium classe ex dardanellis seu Hellesponto in archipelagum provolans, insulas Tenedos, Chium, Metelinum, Candiam necessario instruit præsidio, & Tinam vastaturus Aurelii Marcelli vigilantiâ & providentiâ impeditur; reliquas minoris roboris insulas diripit, ne quid commodi vel alimenti christianis superesset: inventus tandem hic Bassa in Chiensi portu à Molino tormentis impetitus, ventorum, noctisque beneficio inde dilapsus ad Dardanellas est reversus. In Dalmatia Veneti quoque justæ fortitudinis arcem Risanam versus Cattarum interceperant, sperabatque propediem Senatus Venetus fertiliorem expeditionis messem, quam Petrus Valierus Dalmatiæ quondam Generalis copiosam & infallibilem multis demonstrabat argumentis; sed expectationem pigra Mocenigi, tunc ibidem Generalis cum senatûs & populi murmure & indignatione frustravit negligentia; remoto igitur à Generalatu Mocenigo, succedens Valierus sperabatur Castelnovum obtenturus; sed & ille verbis & opere senatûs desiderium fefellit; intentato enim Castelnovo oppidum Sing ad mare Adriaticum Ope 6000. Morlacorum obsidione cingit, sub qua Morlacis more suo prædatum iteratò excurrentibus, oppidani castra invadunt atque ita destruunt, ut retractas inde copias terræ applicuerit munitioni in insula fluminis Narentæ, *Opus* indigitatæ, extruendæ, tum ut totum fluminis tractum cum non exigua latè regione sibi subjiceret; tum ut hostium ibidem navium excursiones Lessinæ,

Opus ad Narentam extruitur.

Braz-

Brazzæ & Curzolæ admodum molestas infringeret, quam aliquot vexillationum præsidio quidem firmavit, sed potissima ejus pars aëris periit insalubritate: atque ita tantùm à Valiero recommendata Dalmatica in nihilum recidit expeditio. *Vid. num.* 201.

193. Nec felicior tertii confœderati Joannis III. Regis Poloniæ in Turcas fuit expeditio, quæ vi fœderis in majoris Podoliæ Caminieum erat directa; sed Regis hac vice mens non erat illud tanto præsidio & robore validum ex defectu peditatûs aggredi; sed extremos Danubii fines invadendi, ut Tartaris suis in mare nigrum & Cosaccis Byzantium usque opportunam traderet excurrendi vastandique occasionem & potestatem, Moldaviæque principem Turcarum tyrannidem abhorrentem Christianæ faceret subjectionis, & suæ potestatis subditum. Rex igitur ad finem augusti cum exercitu quadraginta millia armatorum versus Borishenem contendens, occupatis Cocchino, Zioalvecho, & magni roboris arce Saslovietzo pontem flumini jubet imponere, quem tamen fluminis ex continuis pluviis exundantia paulo post interscidit: adest inter hæc Bassa Solimannus cum XV. Turcarum millibus, & magno Tartarorum numero, qui trajecto Danubio, Cocchinum tentaturus à Cosaccis & peditatûs polonici parte illuc à Rege opportunè destinatis non exiguo rejectus est dispendio. Pons subinde ex præfecti pontium imperitia, tardius reparatus fluminis iterum rescinditur tempestatibus, rexque alio loco, paulo infra Caminiecum dum alium ter-

Polonorum infelix in Turcas expeditio.

tiò

tiò sterni jubet, Tartari feliciorem alibi transitum invenientes, regio appropinquant exercitui, illumque continuis importunæ velut muscæ infestant incursionibus, quamvis sæpius non sine sanguine repulsi; quibus polonicus miles sub frigido sine tentoriis aëre miserè per binos fermè menses vexatus, fameque etiam & morbis ita deficiebat, ut ex bellico Rex consilio cogeretur aliò castra transferre: Solimannus autem Seraskierus superato decrescentibus aquis Boristhene Tartaris conjunctus, assiduis per XV. dies incursionibus regium summo cum dispendio carpit exercitum, qui decretorium prope Caminiecum opportuno loco oblatum à Rege certamen eo usque declinabat, donec Rex loco commodo ex necessitate pulsus oblatam tunc pugnam prudenter detrectans, ex tanta hostium multitudine & præsentissimo periculo est feliciter elapsus. Plurimum ipsi adeo Regi hæc frustrata in Barbaros Ottomannos displicuit expeditio, à cujus numeroso exercitu (quantum & qualem à longo tempore vix vidit Polonia) magna sibi Christiani Europæ principes pollicebantur, *vid. num.* 203. ac imprimis Romanus Imperator Leopoldus, qui 3. Augusti Lincio propter grassantem ibidem dysenteriam rediit Viennam, quo in itinere Entii tribus Lincio milliaribus Archidux Leopoldus Josephus est mortuus: è contra 22. Augusti nata est Cæsari filia Maria Theresia, à Card. Bonvisio baptizata.

Pridie nonas Aprilis nuptiæ inter Victorem Amedæum II. Sabaudiæ & Subalpinorum Ducem, & Annam Mariam Aurelianensem sunt cele-

celebratæ, remisso nuntio ei, quod cum infante Lusitaniæ matrimonium pepigerat, quodque fatale sibi à ditionibus hæreditariis absenti futurum persuaserat. Sant. Olonius Genuam Allobrogum perveniens, oratoris gallici partes apud Rempublicam acturus, ad honorarium in solenni ingressu obsequium hos specialiter Nobiles invitat, qui in Montisferrati Ducatu aliquid dominii, ditionisve &c. possiderent, hujus obsequii imperans necessitatem fidei titulo, quam Regi suo Ludovico velut ducatûs ejusdem dominio vasalli deberent. Res majori excepta est stupore, quòd per concessum à Mantuano Duce Ludovico Regi Casalii præsidium, nullus integræ provinciæ proprietatem in illum translatam opinaretur, cujus Statûs civile, & utile dominium Dux ipse retineret. Paulo post alia extorturus, 16. Calendis Junii se videndam urbi Genuensi obtulit classis gallica, cujus architalassus Marchio Segnelajus, advenientibus officii causâ Reip. legatis mentem Regis Ludovici aperuit in eo sitam, ut ob illatas nomini & genti Gallorum contumelias, quatuor senatores Parisios satisfactum ablegarent, cederentque Regi quatuor triremes recenter extructas, libertatisque nomine insignitas, quas ad potentiæ suæ fastum, à nullo sibi periculo metuentes ostentabant. Genuenses quòd liberæ Reipublicæ suæ dominio his petitionibus detractum arbitrarentur, datumque à Segnelaso quinque horarum spatium præteriissent, quo res tutò decerni ab illis licuisset, marchio ab incendiariis navibus æra ignivoma in urbem jussit evibrari, quibus brevi

Ludovicus exigit Montisferatum

Genuenses ignibus vexat.

brevi temporis spatio ædes innumeræ sunt consumptæ, continuatâ diebus undecim hac offensione, major elegantissimæ civitatis pars est contrita, & numeratis decies & ter mille trecentis globis ignem fatali ruinâ in ædes, palatia, templa & cœnobia confuso, & indiscriminato casu intulit. *Vid. num.* 194.

Capit Luxemburgum

Sub hæc Luxemburgum gallicis armis jam per mensem & amplius obsessum, & cruenter impugnatum se Regi Ludovico octavo idus Junii dedidit; sicque ultimo impulsu dejecta est Hispanorum fiducia, quâ melioris fortunæ spe pacem accipere detrectabant. Diverso exitu

Rejicitur à Gerunda.

Gerundam in Catalonia Galli itidem obsederunt, qui à Bournevillo Hispanorum archistratego armis impetiti, re infectâ, acceptâque insigni clade abscedere sunt coacti. Trevirorum

Treverim occupat, muris denudat.

tamen ad Mosellam civitas ab illis præoccupata (cùm de ea novis aggeribus & munimentis roboranda Germani deliberarent) muris dejectis utrique parti inutilis est effecta quæ nulli unquam fuit molesta. O rem pudendam! urbem tam antiquam, & Christi Salvatoris nostri vestimento sacram dituere! *Ante Romam Treveris stetit annis mille trecentis.* Calend. Februarii. Savus Mellinus apud Carolum Hispaniæ Regem Nuntius Apostolicus Pontificis nomine inducias cum Gallis sanciendas proponit, ut bello solutus Carolus subsidia in Ungariam Cæsari posset ablegare: Ast Carolus causatus se à Ludovico armis petitum, pluribusque locis spoliatum armistitio absque justa compensatione se non posse assentire. Cœptæ igitur in Belgio

gio dissensiones per menses adhuc aliquot perdurarunt. Demum jactatis diu vanas inter consultationes fœderatorum Principum ministris, qui Hagæ Comitum ad conciliandam cum Rege Ludovico pacem convenerant, obstinatisq; Anglis & Batavis in proposito abstinendi deinceps ab Imperii Rom. & Belgii catholici defensione tandem Ratisbonæ decimo octavo Calend. Septembris in viceennale armistitiū sub induciarum nomine Cæsar & Rex Hispaniæ concessēre: quarum induciarum pactis Rex Ludovicus Argentoratum in Germania, Luxemburgum, Belmontium, Boviniacum, Chymæum in Belgio retinet, restitutaque Hispanis Cortracum, Dixmudium, & si quæ alia juris sui bello hoc vigente fecisset. Armistitium Cæsareo-Gallicum

Hujus belli prætextu, quod in Belgio gerebatur, Rex Angliæ Carolus delectu copiarum habito, illisque ad signa vocatis, quo tumultuantes secretis murmurationibus eos compesceret, qui Monmutium Ducem ortûs, etsi non legitimi, prærogativâ regni successorem cupiebant, primùm Edimburgi in Scotia, deinde Londini in publicis comitiis Jacobum fratrem Ducem Eboracensem unicum sibi successorem renuntiari curavit, restitutis eidem dignitatibus & officiis omnibus, quæ tantæ hæreditatis spe fulgentem decebant: quin addito Scotiæ Protegis titulo, & vicariæ auctoritatis procuratione per omnes terrâ marique ditiones, quæ Anglorum sceptro parebant. Angli & dispendiorum, & timoris pertæsi, quem irrequietis insultibus Barbari arcis Tingitanæ præsidiariis incutiebant, tandem arcem in litore Africo solo æquatam de- Carolus R. Angliæ successorem designat fratrem Arx Tingitana

ab Anglis destructa.

ſeruerunt, aſportatis inde re tormentaria,& munitionibus omnibus. Uuli ſane conſilio, ſi inutilibus ſepulta arx ruinis manſiſſet; quam illicò Mauri occupatam prompto labore ex propriis ipſiſmet ruderibus reædificatã, in novã Chriſtianorum perniciem commutarunt,& firmaverunt.

Annus 1685.

Caroli II. pietas.

Anni 1685. dabit primas Carolus II. Rex Hiſpaniarum, qui gentilis pietatis hæres, Rudolphi ſuorum Habſpurgenſium anteſignani exemplo obvium ruri (quo oblectamenti causâ diverterat) ſacerdotem offendens, qui Calend. Februarii ſacra Corporis Chriſti pignora ultimum ægro ruſtico viaticum pedes deferebat, illum juſſit reverentiæ ergo, rhedam, quâ exſcenderat, ſubire, pedibusque ipſe ad ruſticana mapalia procedentem eſt comitatus, eo humilitatis & modeſtiæ ſpecimine,quod in plebeis ſæpe capitibus deſideres.

Ludovicus Genuenſibus offenſui.

Necdum Genuenſes ab ultima urbis ſuæ vaſtatione novas Regis Ludovici offenſiones timere deſtiterant, quin omni conatu ſatagebant & iras officiis deprecari, & ſeſe contra iterandos claſſis gallicæ inſultus protegere. Cum Hiſpanis igitur nova ſanxerunt fœdera, qui Genuam verſus ſuas Neapolis & Siciliæ triremes deſtinarent. Sed meliore imprimis conſilio tentaverunt, ut Innocentius Pontifex ſacrâ auctoritate Regis animum flecteret, & pacem Genuenſibus exoraret; quibus ipſa virium tenuitas tantæ impar potentiæ veniam prærogabat. Jactata res eſt multis conſiliis & officiis, tandemque pridie idus Februarii pacto Ducis, & quatuor ſe-

natorum

batorum Genuensis Reipub. Parisios adventu pax est redintegrata, qui modestis excusationibus præterita diluentes Ludovico Regi satisfacerent. Omnia ex integro adimpleta, caduceatoresque Regi Ludovico 18. Calend. Junii sese stitêre; illisque vicissim Rex antiqui affectûs argumenta liberali favore reposuit.

Jam bellico defatigatus labore utrarumque belligerantium partium miles in permaximi frigoris Istrum catenantis hybernis vires reficiebat; & in novos confirmabat labores: acuebat ubique Mavors arma, consilia cudebat, triumphos promittebat & victorias: Thracius, seu Turcicus equidem ingentes sibi ex gloriosa Budæ conservatione, ex polonici exercitûs dissipatione & mutilatione, ex irrita denique Venetorum in Dalmatiam expeditione animos assumebat; & insignia sibi spondebat trophæa. Quare Soldanus Mahomet IV. magnam ex gazophylacio suo auri vim, in bellicum effundit nervum: ad reparandum ejus grandem defectum novus per universum Turcicum cogitur imperium; navalis etiam classis recentibus augetur triremibus, mandaturque Osmanno præfecto S. Mauræ recuperatio, omni vi dolove tentanda. Nec Adriaticus, seu Venetus otiabatur Neptunus; sed ut plures palmas, pluresque mercaretur coronas, decem ducatorum millibus patritia licitabatur nobilitas; & procuratoria S. Marci, ut vocant, dignitas viginti quinque ducatorum millibus, haud paucis, dissuadente licet Laurentio Lombardo, Michaële autem Foscarino rationibus, votisque prævalente concessa; exinde

Belligerantium fervor ad seq: expeditionem.

Patritia dignitas apud Venetos venditur.

novus illis à Saxone & Hanoverano Ducibus transcriptus est miles, cunctaque in maturam, & ex generosissimi architalassi M.uroceni vigilantia prosperiorem, ut sperabant, fervebant expeditionem. *Vid. num.* 201.

Omnium autem studiosissimè Cæsar desudabat Romanus, tum ut minacem hostium furorem vindictamque everteret, tum ut priorem victoriarum cursum anno præterito interruptum continuaret; quare saniora frequentare consilia, tyronibus exercitum restaurare, ab Imperio, Romanisque Principibus sollicitare subsidia, cogere stipem, & nervum bellicum, cujus non exiguus apud Austriacam Domum tunc erat defectus; hujus enim turcici belli initio non credebatur pro unico posse anno nervum suppeditare, & tot continuavit felicissime annis; unde Austriacæ monarchiæ potentia colligi potest, quæ ex tot regnorum & provinciarum hæreditariarum multitudine, magnitudine, opulentia, mercatura, opificiis, mineralibus, populorum frequentia & viribus Galliæ non modò par, sed & superior æstimatur & creditur: dummodo bene, ritè & justè colligendo & erogando, administretur. Hinc pontifex Innocentius XI. in Christianos hactenus milites contra paganos militantes admodùm liberalis, nunc parcior, commissariorum in dispertiendo accusabat nequitiam, quam detestabatur quoque archiepiscopus Strigoniensis Georgius Szeleptsenus, qui ex suo potissimum granario Cæsareum alimentavit exercitum: in Ratisponensi etiam conventu de militari subsidio & nervo per Imperii

Petit nervi & militis

perii Rom. Principes & membra consultabatur: subsidia & impertat.
testamento quidem Christiano exercitui legaverat hoc anno defunctus D. Emmericus episcopus Viennensis tam in pecunia signata, quàm Cimeliis 125. florenorum seu dalerorum millia; sed quid hæc inter tantos? Cæsar igitur Comitem Thaun, & baronem Meyershem ad christianos principes pro subsidio petendo legatos ablegat. In urgenti hac Christianitatis necessitate commota Innocentii pontificis viscera permisit Cæsari tertiam omnium tam Regularium quàm secularium sacrorum redituum partem huic tantùm turcico bello ita impendendam, ut eos per Nuntium Apostolicum Card. Bonvisium, & episcopum Neopolitanum collectos speciales ad id deputati commissarii expendendo quantum, quomodo, & ad quid exposuerint, ritè demonstrarent. Nec in suppetiis submittendis Romani Imperii Principes deerant. Joannes Georgius Elector Saxonicus veteranorum aliquot militum millia appromisit; Fridericus Wilhelmus Brandeburgicus ipse duodecim armatorum millia cum insigni re tormentaria contra Ottomannos adducturus, sed Gallo tractum Rheni, Juliam & Cliviam insperatò invadente, cui invigilando suam militum summam contingentem hac cum animadversione transmisit, ut sufficiens imposterum militi commeatus suppeditaretur. Princeps Brunschwico-Luneburgenses decem exercitatorum militum millia submisêre. Salisburgensis archiepiscopus præter contingentem militem centum millia imperialium: omnibus promptior fuit Bava-

niæ Elector Maximilianus Emman. tùm quòd periculo proximior, tùm quòd Cæsaris procaretur filiam Mariam Antoniam, ex Margareta Hispaniarum infante natam, quam solemnissimè postmodùm mense Julio per Card. Collonitschium Viennæ sibi in perpetui inter utramque domum pacti fœderis vinculum desponsavit; unde quidam præsagire volebat Chronologus: annVs Verè aVgVstVs aVstrIa-Co-baVarICIs nVptIIs, tVrCICIs VICtorIIs partV terfaVsto ChrIstIano orbI fortVnatIssIMVs.

Bavaro Maria Austriaca desponsatur.

Supremus interim Vezierius Ibrahim misso per Budensem præfectum Viennam Chiausio primus contra Turcarum arrogantiam pacem ambiebat, adhibito Michaële Abaffio Transylvaniæ Principe mediatore componendam, qui potius explorator cautè observatus, aliquam apud confœderatos causabat diffidentiam; quare uterque rejectus est, eandemque deinde Abaffius à Polonis sollicitabat, quam uti Cæsar, ita & Polonus vi pacti & jurati fœderis sancti sine mutuo confœderatorum consensu & satisfactione irritam fore dictitans remittebat. Frequentibus igitur actum est excursionibus: Husari, seu Ungarici equites aliquot casu Turcarum legiones crudeliter omnia circa Neutram & Levenzam sparsim depopulantes dum offendunt, dissipant, fugant, & equos trecentos intercipiunt, mox etiam arcem Josy haud longè Cassoviâ capiunt; quàm rebelles tamen paulò pòst numero copiosiores cæso contra pacta præsidio recipiunt. Vyvarienses præterea Turcas

Turcæ pacem petunt.

Turcæ transvadato Wago Guttam occupantes, cæsis incolis & præsidio incendunt, quibus vicissim invigilans Häuslerus sex plaustra ungaricis referta ocreis Vyvarinum tendentia deprædatus, ubi 80. annonarios currus eodem destinatos Vaciæ sub Janizarorum custodia subsistere inaudiit, accito Czaborio oppidum transcendit, & quindecim imperialium millibus, centumque tauris in prædam acceptis, annonam omnem, & currus igne consumit, ex Budensium insidiis vix inde traducendos. Unde lauta Vyvarini fames invalescebat, quæ & Canischam, & alias ditiones magis turcicas quàm Christianas depascebat, ut modius siliginis Budæ 12. venderetur imperialibus. Excurrens præterea Marchio Doria in superiorem ungariam, quingentos fortuitò Tolpatschios prope Rosenaviam irruens, omnes exceptis 28. captivis internecione cædit, captaque quinque vexilla, unum hanc gerebat inscriptionem *Emericus Töckeli Rex Ungariæ*. Schultzius quoque postquam plures suis passim latebris & latrociniis ejecisset Töckelianos Rebelles, & suo miles esset stipendio animatus, Kainam primùm arcem, tum Vinovam, & munitissimum castrum Banahorzam deditione capit, & Rebelles ubique Töckelianos metu dissipatos repellit.

Variæ utrimque alternante fortunâ excursiones.

Interea temporis assiduo Viennæ studio de feliciore hujus anni suscipienda consultabatur expeditione; diviso quidam exercitu Bavari auspiciis, Lotharingi Ducis altero in hostem procedendum rati; sed refutati, omnes supremum universi exercitûs Imperatorem decernunt Ca-

rolum Lotharingum, & Vyvarini angustiis undique pressi impugnationem, Vulcani potissimùm machinis perficiendam: ad quod opportunè Viennam venerat insigniter peritus Vulcani pyragmon Antonius Gonzalez Catalonus, qui in servitiis hactenus Regis Galliæ pyreis Luxemburgum machinis præsente Rege domuerat, easdemque vexando Genevam & Tunetum elaboraverat; sed justa labori merces denegata, maluisset gallicæ servitutis eximi compedibus, hispanici tandem legati intercessione desideratam diu è Gallia dimissionem ægrè admodum obtinuit, & Belgii Gubernatoris Marchionis de Grana auspiciis militiam Cæsaris amplexus, grandes ejusmodi domando Vyvarino machinas assiduo fabricavit labore. Tum simul & circumsidentibus copiis imperatum oppidum arctiùs intercludere, omnemque commeatûs apparatûsve immissionem vigilanter impedire. Turcæ autem periclitantibus famescentibusque opitulaturi, dum pluribus Novigradi copiis collectis annonam urbi præfectus Varadinensis inferre disponeret, Hâuslerus obviam progressus in primipilares 800. equites, singulos farinæ saccum gerentes incidit, qui insidias subodorati, ne in hostium farina manus deveniret, illam dispergunt, & ad suos aufugiunt, Hâuslerum ad insidias 5000. armatorum pellicentes; cautior autem ille viribus eorum tunc impar cedens, copiis mox auctus inquisitum hostem neutiquam offendit; qui tamen legionibus etiam aliquot paulò pòst confirmatus, stricto Vezirii Budensis imperio paratos Novigradi mille annonarios cur-

Gonzalez insignis machinator bellicus.

Vyvarini fames.

currus quovis astu aut vi Vyvarinum traducere debebat; sed illis nimium morantibus, Vyvariensibus autem admodùm famescentibus, trecentis hi Janitscharis totidemque equitibus emptam à vicinis ruricolis annonam 40. curribus suo oppido illaturi, ab Hâuslero rursus circumveniuntur, fugati equites, Janitzari carrucarum vallo licet muniti omnes aut cæsi sunt, aut capti cum annona abducuntur. Nec illud sufficiebat Hâuslero, sed rusticum astutiarum plenum ad Vyvariensem subornavit Præfectum, qui secretissimè illi annonam à Budensibus foveæ quodam loco absconsam dexterrimè indicaret, præsidiariorum suorum auxilio facilè oppido importandam, quam vicini ruricolæ, uti vetitum illis erat, sine præsentissimo mortis periculo ob Husarorum vigilantium excursiones inferre nequirent. Credulus lætusque præfectus 200. cum rustico præsidiarios illuc submittens, Hâuslerus ex insidiis omnes internecione cædit: rursusque alium cum 6. panibus oppido immittens, caro satis pretio 17. florenis illos vendidit, & angustam præsidii famem retulit, quæ eo consilii adegit præfectum, ut tot libertatem donare captivis offerret, quot sibi farinæ modii donarentur; secus ad unum omnes necaturus Christianos: Hâuslero autem graviorem talionis pœnam Turcis minitante, 130. Christianos, & reliquum defensioni ineptum vulgus liberè præfectus ob commeatûs inopiam oppido emittit; cumque equites trecenti Hâusleriani, & totidem Ungari ruricolarum pecora sub Vyvariensium tutela tormentorum abigerent, nullus præsidia-

riorum impedit; dum autem noſtri audaciores propius oppidum prædaturi accederent, furioſè ac deſperatè excurrentes non exiguam Chriſtianorum edidêre ſtragem, vulneratíque Princeps Commercius, Roſenkrantzius & Ferdin. Wilh. Dux Würtenburgicus Neoſtad. qui ex capitis poſtmodum vulnere obiit glorioſè. In ſuperiori autem Ungaria Schultzius flagellabat tormentis Unguariam; accedente autem Tockelio haud imprudenter abſcedit, relictis hoſti impedimentis aliquot & tormentis in Moraviam, intentatis minaciter Tockelii ibidem populationibus obicem interpoſiturus. Præfectus quoque Zendrenſis accitis vicinis aliquot copiis 1200. caſtellum Erlavienſis ditionis Onoth ſubitâ intercipit irruptione, rebelleſque omnes [paucos fuga ſuſtulerat] ferro & igne perimit, diviteque pecorum, æris & equorum prædâ potitus, Vulcano locum tradit. Hoſtis itaque aperto ubique marte ſibi contrario, clandeſtinis auri cuniculis Jaurinum tentat ſubripere, jamque urbis ſubpræfectus Daniel Mullerus, vir ſenio gravis, militaribus à primis juventæ annis innutritus, quater mille Turcas in vicinia paratos admittere diſpoſuerat, quos rei opportunè certior factus vigilans Hâuslerus feliciter, ſed octingentorum ſuorum cæde repellit, Mullerus autem proditionis ſeipſum pœnâ ſelopeto conficit.

Vyvarienſes plures ſternunt Chriſtianos.

Jaurini proditio

196. Carolus Dux validiſſimum Novigradum quaſi impugnaturus recognoſcens, ubi illud aſpero inſidens monti, interioremque ejus arcem altâ latâque foveâ vivæ rupi inciſa cinctam intelligit, nec eſſe nunc de tempore, ſed intentam

tentam plurimùm remorati expeditionem, castra relecturus à præsidiariis invaditur; qui repressi fugam simulantes, generosiores gallici sanguinis Principes Contium, la Roche, Turennium, Crequium aliosque volones in præsentissimæ cædis attraxissent insidias, nisi maturè Carolus succurrisset. Ad castra reversus exercitum 7. Julii Vyvarino applicuit arctius obsidendo [quod anno 1581. Sierotinus, & Moraviæ Ordines in forma stellæ sex terrenis artificiosè propugnaculis ad Neutram fluvium inter paludes aquæ ductibus probè munitum in suæ defensionem patriæ extruerant] ipsoque forinsecus lustrato, in eisdem quibus antehac 1665. à Turcis impetitum est locis. Nec desides propugnando præsidiarii pertinaci nunquam defueruut defensioni, & primâ quidem grandis machinæ explosione illa disrupta est, infausto superstitiosæ semper genti omine, uti paucis ante obsidionem diebus morituriens etiam Bassa evulsâ barbâ prædixerat: *Video, sentioque omnem Ottomannicam in Christianos expirasse fortunam.* Nihilo tamen minus crebris impugnatores eruptionibus & explosionibus igne simul & ferro, sagittisque arcere continuò tentarunt; sed accedentibus castra copiis Hanoveranis & Cellensibus sub Hanoverano Principe & Chauveto, sub Serenio Bavaricis, Franconicis sub Frid. Waldeccio indefesso Christiani laboe vias obsidionales promovere, cæterasque ad murum militares operas propius admovere: & quia foveæ aquis denudari ægrè admodùm poterant, tormentórum, pyrobolorum, machinarumque pyrottrum multitudine & fre-

Vyvarini obsessio.

& frequentiâ sævitum fuit ferocius: qualibus & Vyvarienses plurimas oppugnantium operas sæpius destruxerunt, desperatisque eruptionibus haud paucos præter gregarios stravêre tribunos & centuriones.

Interea temporis Maximilianus Elector Bavarus amoris deferens castra, Cæsarea ad Vyvarinum secutus, dum sedulam cum Carolo urget impugnationem, Hâuslerus cum 1500. equitibus hostium exploraturus molimina emissus, referebat hostium 40000. Budam inter & Strigonium considere, ac Vicegradum Strigoniumque simul impetendo divisas Christianorum vires à Vyvarino divertere tentaturos. Re ad Cæsarem cursim per Lambergum Comit. delatâ retulit, Vyvarini obsidionem 19. continuò millibus promovendam; quadraginta verò millibus inquirendum Ibrahim Seraskierum. Totidem igitur copiis ambo Principes Carolus & Maximilianus, relicto Capratæ omni ad Neosolium Imperio, sexto Idus August. per instratum Danubio Comorronii pontem hosti obviam procedunt; qui misso Schedano Ibrahimo Budensi prioris anni præfecto cum quatuor armatorum millibus inferiorem Vicegradi urbem sub noctis silentio transcendens, cæsis omnibus deprædatur; arcem verò à Marsiglio utcunque munitam aliquot cingens cohortibus, robur exercitûs applicat Strigonio, quo paucis ante diebus Carolus Francisc. Joach. Strasserum Salmensis legionis subtribunum cum tribus vexillationibus defendendum destinaverat, qui locum tantæ imparem potentiæ raptim pro tempo-

Turcæ Vicegradum & Strigonium impetunt, à Strassero strenuè defensum.

ris

ris ratione communire, extantia adhuc prioris oppugnationis valla & suggestus, solo extra urbem æquare, cæteraque indefesso studio & labore justæ urbis defensioni disponere in adventum usque hostium non intermittit, postulatosque 500. subsidiarios pedites navigio allapsos in urbem opportunè admittit. Tertio igitur Kalend. Augusti toto hostis exercitu urbi appropinquans, occupatis mox D. Thomæ & D. Georgii montibus urbem inde & arcem flagellat, domos, granarium & armamentarium tectis denudata pyrobolis infestat, vineisque muros tam prope accedit, ut præsidiarii erumpentes sexcentos feliciter Turcas fossis castrensibus ejecerint; hi autem numero superiores se videntes, mox ad urbis usque muros repellunt præsidiarios; sed ducentorum suorum stragem à tormentis, manualibus pyrobolis aliisque machinis ferro, lapide, varioque tomento fartis sunt passi. Ejusmodi post hæc oppidanorum eruptiones & transdanubialem in Barcanum Ottomanni transitum impedituri, structis in Danubii insula vallis, & quinque tormentorum suggestu omnem urbis ac- & excessum prohibent; ideoque Strassetus Barcani (exigui utpote roboris) præsidium in urbem noctu retraxit, ad cujus exteriorem fovearum marginem incredibili hostis labore vineas modò suas promoverat, & grandi invadebat boatu, fustibus suos & gladiis adurgens; sed generosâ præsidiariorum fortitudine, & insigni suorum strage repulsus, crebra & feroci tormentorum vehementia

mentiâ muros, innocuis adhuc sudibus & foveatum spondis dejicit, has cuniculis dein subversurus. Repetito igitur in urbem incursu iterum rejicitur; tum insano percitus furore post eversum in Leopoldino propugnaculo tormentorum suggestum facto ad urbis portas & orbicularem aggerem (palancam vocant) impetu perrumpens, quatuor vallo lunas infigit; hortatu autem Funckii vigiliarum magistri multâ cæde ejectus, cuniculis rem agere, & pyrobolis cepit, sub quorum binis incendiis totidem eorum feroces, adhortante Pottingero, frustratæ sunt impressiones: in foveam tandem illapsos centurio Fingerman & de Karpe cum pyrobolariis aliisque tubiferis adeo fortiter extruserunt, ut sive laborum multitudine frustratus, sive præsidiariorum victus fortitudine, sive proximo pavidus Caroli adventu Seraskierus clam noctu, quarto Idus Augusti, desideratis suorum bis mille fugiens, haud procul loco consedit inaccessibili; in sinistro enim latere nemorosis stipatus alpibus erat, quorum aditus cæsis erat arboribus obstructus; in dextero Danubium, ante se paludes habebat Danubium usque protensas, cujus marginem effossæ lineæ, & curules defendebant machinæ.

Carolus Turcas prope Strigonium cædit.

197. Hostem sic inexpugnabilem, & 60000. armatorum validum, ut Carolus eliceret, properam communi consilio fugam, metumque vulgatâ Christiani exercitûs extenuatione jubet simulari, ordinesque condensari, quam & ipsi confirmabant Turcæ, qui devicto interim

rim cuniculatione Vicegrado ducentos inde præsidiarios ad Christianum conduxerant exercitum, in cuneum adeo confertim coactū, ut illum oculis, permittente Carolo, arbitrantes, viginti solummodo millia crederent, & Seraskiero asseverarent. Hic itaque credulus magno boatu emensis ægrè paludibus, dum Christianos arroganter insequitur, reflexo Carolus itinere in aciem noctu exercitum disponens, Maximilianus Elector sinistram, ipse dexteram in hostem alam sub caliginosa educit nebula, quam orto Seraskierus sole (erat 16. dies Augusti) horrisona ut solent vociferatione, & tormentorum explosione est aggressus; sed virili repulsus fortitudine versus montana cedens à Tungeni, Styrumbii & Mercii agminibus vertitur in fugam: in qua recollectus sinistram Maximiliani alam Danubium versus invadens, simili rejicitur ad præfatas paludes constantiâ; ubi vires iteratò resumpturus, à Com. Rabattæ, Sereni, Palffii, Bielkii, Schwartzii & Stenavii sinistræ alæ legionibus ad angustias redactus, per easdem paludes [quia alius non patebat exitus] urgente, viamque pavore sternente non sine ingenti periculo & damno effugit, quem jussu Caroli (tertiò gravi equitatu germanico frustra permeare tentantis) expediti Hungari, & levis armaturæ equites persecuti, tantâ cæsorum multitudine instraverunt paludes, ut Christianus per eas subsecutus exercitus hostem omnino castris exuerit. Cæsa sunt hostium septem fermè millia, vulneratus Seraskierus ex frendente ira imberbis, capta tormenta bel-

bellica 30. mortaria 16. signa quadraginta, & ingens bellicus apparatus Strigonium traductus, cujus præfecturam Carolus Strassero, laudato ejus in defendendo studio & fortitudine confirmarat. Impedimenta verò pretiosiora Ottomanni centenis aliquot præmissa curribus Strigonium inter & Budam metu in fuga correpti vulcano tradiderunt. Christianorum numerati sunt vix centum tam cæsorum quàm vulneratorum, hos inter Tungenus in dextero læsus est humero. *Vid. num.* 198.

Vyvarinum vi occupatur.

Exercitus deinde Cæsareanus prope Strigonium pernoctans die alterâ cum partis tormentis Vyvarinum contendit, ex cujus occupato aggere Caprara interim tormentis continuò pyrobolisque munimentum adeo destruxerat, ut patefacto latè aditu, generalis tandem in illud impetus noctu clam præsidiariis adornaretur; die alterâ 19. Augusti sub ductu Com. Scherffenbergii, Rummelii & Dumontis ad meridiem tentandus. Miles moræ impatiens horam circa octavam repulsâ præsidiariorum vi vallum obtinet, adhortantibus imprimis Commercio & Astio, inclamantibus *Bassa est mortuus*, miles animosior accedit, succenturiatisque aliis interiora munimenti penetrantibus Turcæ vexillis albis, & armorum abjectione deditionem annuunt, vitamque sed serò deprecantur; quâ denegatâ aggerem propugnaculo impositum, Cattum vulgò, conscendentes eisdem veniam signis petentes, inexorabilis furiosusque miles omnes internecione cædit: quadringenti verò in posterius elapsi propugnaculum desperatè in fo-

foveam se præcipitantes ab equitibus cæsi sunt omnes, eaque die illorum mille ducenti sunt interempti; ducenti verò, qui ex 3000. à circumvallationis initio adhuc supererant, cum Vice bassa & Muffti, pluribusque insignis pulchritudinis mulieribus ac pueris captivitate sunt innodati, & præfecti seu Bassæ caput Viennensi portæ oblongo hastili est impositum. Locus in prædam datus, ingenti militem ditavit thesauro, inventaque ibidem sunt 98. tormenta bellica, omnia præterquam sex inepta, copiosus apparatus, & à Franconibus imperatorium viride Mahumetis vexillum maximo inter illos semper honore veneratum: emancipati denique 40. Christiani effusâ sibi lætitiâ congratulationeque exultantes. Tam præclaræ victoriæ 70. solummodò Christianorum sanguine partæ testis ac nuntius ad Cæsarem missus est Scherffenbergus, strenuus ejusdem curator & promotor, summoque illum & Viennam duplex hæc concatenata victoria gaudio implevit, quod per universam deinde diffusum Europam, dici vix potest, quantis ubique lætitiæ & triumphi signis fuerit exultatum. Purgato demum cadaverum fœtoribus Neosolio seu Vyvarino, illius ad tempus defensionem renovationemque Carolus tribuno Rockamo [alii dicunt Oppermanno] cum ter mille quingentorum Germanorum, & 600. Ungarorum præsidio committit, ipse cum exercitu vires refecturus ibidem quiescit, urgetque destructa valla, aggeres, propugnacula & ædificia propediem accolarum & Moravorum rusticorum operâ restaurari, in quo eo promptior

& ſtudioſior erat miles, quo felicior rudera humumque effodiendo abſconſas hinc inde auri, argenti, ſupellectilis, rerumque pretioſarum gazas eruebat.

198. Interea temporis Joan. Joſeph. Comes Herberſteinius Præfectus Carlſtadienſis mille peditibus & 300. equitibus germanis in provinciam Dalmatiæ Liccam faciens excurſionem, arcem Wunitzam rupi implantatam deditione occupat, & traductis Carlſtadium tormentis deſtruit: inde Udwinam 5. leucadum vallem tranſiens, quoſvis circumquaque vicos, oppida & caſtella flammis depopulatur, & magnum ubique circumferens terrorem opimis tandem ditatus ſpoliis Carlſtadium revertitur. placuit Cæſari generoſum Herberſteinii ſtudium: ut autem hoſtiles diſſiparet, impediretve vires, & ulteriorem excurrendi aditum intercluderet, imperat Leſleo Comiti Eſſeckenſem pontem ignibus ſubjicere. Hic luſtratis Turanowitzii copiis, ſex qua peditum, qua equitum millibus & ſeptingentis ſub tribunis March. Vergnero, Montecuculo, Seravio & Heiſtero Mechalowitzum contendit, quod Caſparus Balockus cum 500. Croatis explorando præmiſſus ſpontaneâ capit deditione, præſidiariis 81. turri ad reditum uſque incluſis; inde Leſleus Walpo præteriens, haud procul Eſſecko inſtructam mille circiter Turcarum aciem offendit, Invadit & fugat, occupatamque vi urbem diripit: arcem verò & ſitu, & milite ex pugna illuc dilapſo [equitatus Belgradum auffugiens ultra dimidium à Croatis interfectus eſt] haud facile

Herberſteinius in Dalmatia hoſticũ devaſtat

Leſleus pontem Eſſeckenſem exurit, & urbẽ.

ex-

pugnabilem tunc omittens, tredecim molas aquarias, & magnam cis Dravum pontis partem a 100. passuum, hoste nullo obsistente flammis 13. Augusti consumit, qui pons à Solimanno Soldano Sigetum invasurus spatio decem dierum 25. operariorum millibus, 8565. passuum geometricorum longus, & sex latus mirabiliter est extructus, ideoque alteram & potiorem pontis partem 7465. passuum versus Danubium Lesleus Croatis imperat incendere, his illud recusantibus, promisso insigni præmio, sexdecim legionis Erbevillicæ Galli illud conati, navium defectu nequiverunt. Et quia miles ægrè ferebat ingentem sibi præreptam ex urbe prædam arci illatam, dum eandem adhibitis ad fores ignibus adoriuntur, exortum improvisò in urbe incendium totam redegit in cineres, ædificiis & diversoriis benè cultam, impedivitque arcis expugnationem. Lesleus igitur defectu pabuli & commeatûs, neve undique accurrens hostis reditum, viarumque obpessularet angustias, Turanowizum prædis auctus opulentis reversus, suæ seriem expeditionis cum 5. ex quatuordecim captis vexillis Cæsari per Dietrichsteinium exposuit; inde Copronizam ægritudinis ergo (quâ & Com. Montecuculus affligebatur) traditâ exercitûs curâ & imperio Marchioni Vergnero, decessit.

Banus Croatiæ Nicolaus Com. Erdœdus quatuor peditum millibus, & sexcentis equitibus permeatâ feliciter Unnâ fl. quæ profunda aliàs latéque diffusa, caniculari tunc æstu transmeabilis, ideoque equitem pedites subsecuti

Erdœdus Dubizam capit, & Dubizam urbem non latam ſed longam & opulentam, eo in latere muris denudatam haud gravatè invadit, expilat & flammis dedicat, quæ licet tres arcis turres corriperet, ejuſdem tamen denegata fuit deditio: immo dum Erdœdus Unnam remearet, arcis præſidiarii ſubſidiis Caſtanowitzæ, Jeſanowitzæ, & Gradiſcæ, tormentorum ſigno accitis confirmati, poſteriora ejus agmina carpentes, ferociter ſemper, amiſſis etiam 7. vexillis repulſi ſunt in arcem, quæ in eorum abſentia tota conflagravit; ſic ubique miſeri & infelices cives & præſidiarii ultra 100. interfecti, in parata pecunia, præter ſuppellectilem, ducentis florenorum millibus ſpoliati, à Vulcani denique ſævitia omnibus ſunt denudati. Nec multò pòſt idem Banus Carlſtadienſium 2300. roboratus, inſimul 7300. armatorum in turcicas ulteriùs excurrens ditiones validam invaſurus arcem Krupam; ſed ab Unna fl. nimiùm prætumida impeditus, Belaſſenam urbem vi tranſcendit, expilat & accendit; ſuccurrentibus verò magno undequaque numero Turcis impugnatam jam arcem Croatæ deſerentes in campum confluunt, ubi parvis ad veſperam conflictibus cum hoſte velitati, noctu majorem Ozazinæ urbis partem deprædatam igne conſumunt; die alterâ eandem oppidis Mutiniſchæ & Troczazo vim inferentes, depopulatâque circùm regione poſt duodecimum excurſionis diem opulentis ditati ſpoliis & manubiis ad ſua redeunt ovantes.

Belaſſenam &c.

Turcarũ fuga.

199. Sed ad Ibrahimum Seraskierum revertamur, qui meticuloſos interea Baſſas pro-

peræ

peræ convictos fugæ laqueo ad aliorum terrorem suffocaverat, totumque deinde exercitum novo fidelitatis, mortis aut victoriæ juramento astrinxerat, sicque magni Sultani imperio, & sui capitis periculo Christianum impugnaturus exercitum, 30. armatorum millibus Pesthum inter & Vaciam considet. Nihil hâc famâ & nuntio gratius aut jucundius Carolo & Maximiliano accidebat: superato igitur mox Comorræ Danubio, dum exercitus ad transeundum Granum pontis expectat reparationem, Seraskierus Vicegradum & Novigradum, traducto Budam commeatu & bellico apparatu, in aërem vibrat, & Vaciam Carolo propius appropinquante flammis devastans Budam aufugit. Inde literis per Agam, seu Camerarium Achmetem Schelebum in manus Caroli traditis suppliciter armistitium, pacemve petit: qui paucis, nonnisi confœderatorum scitu & consensu rem illam fore expediendam, est remissus: dumque Carolus Vaciam cum exercitu contendit, suum Seraskierus in hyberna demisit summo adhuc pavore trementem: hoc audito Carolus etiam commeatu jam tum deficiente, morbisque sensim invalescentibus (quibus plures ob productam seriùs anni præcedentis expeditionem, quàm ferro consumpti sunt) hyberna majori militum parti assignavit Ungariam inferiorem, partem in Croatiam ad Lesleum, reliquos in superiorem Ungariam ad Schultzium, Cæsare approbante destinavit. Hic Schultzius præscisso, ut suprà retuli, in Moraviam aditu Töckelio dum hic turcico frustratus subsidio Mungat-

Scultzius Eperiesum intercipit.

ſchium repeteret) Eperieſum tentare decrevit, urbem muris & foveis haud invalidam, Taraczæ fl. & finibus Poloniæ adjacentem, incolis, mercaturâ, nundinis, ſalis fodinis & nitro nobilem: Cives ubi ſe impugnandos audivêre, juratâ omnes fide deſperatam urbis defenſionem ſub ſuſpenſionis & crudelioris ſupplicii pœna decreverunt. Schultzius autem cum Ungaris, & 8. Germanorum millibus dexteram urbis partem Georg. Frid. Duci Würtemburgico, ſiniſtram tribuno Thymo flagellandam commendavit. Ductâ circum Taborem circumvallatione, poſtulatâque, ſed denegatâ protervè deditione, Würtemburgicus majus urbis propugnaculum, & alterum illi impoſitum, vulgo Katze, trecentorum ſuorum cæde occupat; deinde quaſſata tormentis mœnia, pyrobolis everſæ domus, & ferocior alter tentatus eſt 28. Auguſt. impetus, deſperatâ civium defenſione, & 500. Cæſareanorum ſtrage repulſus. Tum Schultzius adductis grandioribus Zendrâ tormentis, cuniculis etiam, exigui tamen effectûs eſt actum; in occupata tandem fovea, ibidemque erecto tormentorum ſuggeſtu dejecta latè mœnia commodum parabant impetum; hinc urbis præfectus Feldmejerus tum quòd cæſo Seraskiero, & capto Vyvarino nulla ſubſidii ſpes ſupereſſet, tum etiam quòd Caprara X. armatorum millibus Schultzium proximè eſſet acceſſurus, unius diei petit inducias, cives ad traditionem inducturus; quibus tunc denegatis, altero pòſt die de traditione eſt actum, in cujus tractatu prodeuntes germani præſidiarii de mora ſti-

pen-

pendii querentes deditionem offerunt, Cæsaream affectantes militiam; quibus Schultzius menstruum non tantum appromittit stipendium, sed cunctis etiam aufugis permittit cujuslibet legionis electionem; patefactâ igitur ferrea portula Würtenbergicus introducto in urbem 20. Octobr. milite dum firmam roborat stationem, oppidani quidem querenti stipendium offerunt militi, sed sero; Würtenbergicus namque exactis urbis & curiæ clavibus omnes captivitate innodat. Rebus civitatis ritè dispositis, eâque præsidio 1500. munita, haud diu moratus Schultzius Cassoviam obsidione cingit, ubi paulò antè Tôckelius civium cum præsidiariis discordias composuerat, & juratam eorum fidem præsens renovaverat, indeque superato Tibisco Kalense etiam confirmans præsidium Mungatschium tendit, gazas & thesaurum suum 16000. florenorum securius alio traducturus; sed à Zatmariensibus Husaris opportunè interceptus, cunctis paulatim nudatur nervis & præsidiis.

Cassovia cingitur.

Justis interea passibus Strigonio Æneas Caprara huc adveniens Cassoviam simul oppugnaturus, Tockaium, vino nobilissimum, Macovitzam, Regetzum, Potackum, Onothum, Serersium, Woldakinum, Somam, Humanajum, Pæliozum, aliaque passim obvia Tôckelianis viduata præsidiis loca suæ fecit potestatis, non sine spe Cassoviæ etiam propediem obtinendæ, quam Petrus Feigelus præfectus cum binis Rebellium millibus oblatam & subsignatam Cæsaris gratiam & amnestiam bis pervicaciter repu-

Caprara multa intercipit loca.

dians, obfirmatâ civium pertinaciâ defendebat. Dumque inter crebras tormentorum ejaculationes Georg. Dux Wurtenburgicus sua in urbem disponeret tormenta, globo petitus cecidit mortuus: vir admodùm militaris & generosus, promptus consilio, manu fortis, principali spiritu virtuteque in Viennensi imprimis defensione probatus, humanitate ubique gratissimus, atque ideo omnium dolore, ac Cæsaris ad fratrem literis unicè parentatus. Infaustus autem hic casus ferociores obsidentium erigens animos urbis minabatur excidium; quod haud vanè metuens Tôckelius nullibi jam securus, maturum à turcico Erlaviæ præfecto liberandæ Cassoviæ urget subsidium; hac enim captâ proximam fore periculo Erlaviam. Erlaviensis prævio secum consilio expeditum promittens succursum, invitatum ad se Töckelium honorificè in urbem excipit, & splendidis tractat epulis; cùm ecce Aga quidam Soldani imperio illum vinculis innodatum Adrianopolim traducit, simulque Bassa seu Præfectus Petrozzium ejusdem copiis præficiens, Cassoviensem jubet maturare solutionem. Petrozzius autem Ducis sui periculo cautior, Cæsaris obtentâ per Capratam gratiâ partes cum suis amplexus, indubitatam Töckelii captivitatem Cassoviensibus annuntiat, Saracenorum detestatus tyrannidem: quo exanimati Petrozzii nuntio iteratis frustra vicibus (quòd privilegiis religionisque nollent privari libertate) deditionem offerentes, tandem tertio nonas Novembris victoris se voluntati tradiderunt, iisque liberè demissis, Caprata quinque vexillationum

Mors Ducis Wurtenburg.

Töckelius captus ducitur Adrianopol.

Petrozzius transit ad Cæsar.

Cassovia deditur.

tionum præsidium sub præfecto Thim imponit, ablataque mox Catholicis templa, & expulsum triennio Episcopum restituit, rebellionisque auctores arresto mancipat.

Hujus Petrozzii gladium, quo furiosè anteà Leopoldi personam conficere minatus, Cæsar oblatum aliquamdiu aspiciens, jubet illum in Neostadiensi armamentario in perpetuam rei memoriam suspendi, non gestatorem; multò sanè aliter quàm Basilius Macedo, dum cervus uno cornuum ramo Zonæ imperatoris infixo eum suspensum ferret sublimem; quidam accurrens ense dissectâ Zonâ imperatorem eripuit. Cui præclaram salutis suæ mercedem reddidit ille, capitis truncationem, speciosâ causâ quæsitâ, quòd ensem contra Imperatorem strinxisset, teste *Zenora & Cedreno.* O clementiam Leopoldi parcentis! Optimus enimverò, ait *Cicero 2. Philip.* est portus erranti mutatio consilii. Ceterum Cassovia superioris Ungariæ, regiarumque metropolis civitatum triplici muro, propugnaculis, & octo castellis defixis, Revelinis ut vocant, munita, amplis superba ædificiis, & admirabilis artificii templo, habet regalis cameræ præsidem, judicem, quæstorem, & alios regni senatores, simul & militarium copiarum, finitimorumque præsidiorum præfectum continuò, insalubri licet aëre & vino, ibidem degentes: Caprara tamen cum legionibus aliquot ibidem cum loci situ, futuræ expeditioni opportuno, tum autumno in hyemem vergente hybernavit, & Sultzbachicam, Veteranam, & Saxo-Lawenburgicam legiones Debrecinum ad hyberna dimisit.

Petrozzius reddit ad Cæsarē.

200. Carolus autem rejecto altero turcico pacis oratore, ubi intellexit suas Seraskierum copias, ut dixi, campo eduxisse, inspectis per machinatores Vaciâ, Novi-& Vice-grado per hostem adeo destructis, ut securè miles hybernari ibidem non posset, Novarinum reducens exercitum, in finitima Cæsaris approbatione per Scherffenbergum allata distribuit oppida & munimenta, rediensque Viennam Mercium & Häuslerum dignioribus auctos officiis, Zolnockum versus destinat, quo contendentes, Mercius Sarawasum, hâc primùm rebellione à Turcis latè extructum, & probè munitum, elapsis fugâ præsidiariis intercipit: inde occupato Eschied, Com. Castellum præmittit Zolnocki deditionem postulantem, quam denegans præfectus, ubi auctioribus Christianos adventare copiis intelligit, aufugit per instratum Tibisco pontem, & ignibus accendit; quibus maturè extinctis, Husari, seu Hungarici equites hostem insecuti necant plurimos. Alii vero similius scribunt Mercium & Häuslerum Turcas commeatum Giulæ & Varadino traducentes prope Arath irruendo in fugam conjecisse, Zolnockum provolantes, quibus Cæsareani permixti urbem simul ingressi, sociisque aditum patentes capiunt, cunctosque (1000. circiter) internecione delent, opimis ditati spoliis quod longinqua certe oppugnatione, multoque sanguine vix fuisset debellandum, Erlaviæ seu Agriæ profectò in robore haud cedens, triangulare inter Tibiscum & Zagivam confluentes situm, alto cæspitio vallo, quercubus, salycibusque

Zolnockum occupatur & plura alia.

que affabrè interjectis valide munitum, quod meridiem versus alta lataque fovea interfluentibus aquis ac paludibus vix accessibile circumdat: quo feliciter, simul & Hewetscio, S. Nicolai fano, & Sarasbatzio interceptis, Harwanum etiam oppidum haud invalidum in suam redigit potestatem. Jamque præsidium impositurus audit præfectos Varadinensem & Temeswariensem collectis raptim quotquot possent copiis Zolnockum Sarasbutziumve tumultuariè absente Mercio recuperaturi adproperare: reductis igitur subitò copiis, ne diviso hostibus impar esset exercitu, Harwanum direptum ignibus subjicit, evertit, & Zolnockum reversus, occupata recens oppida suis assignat militibus hyberna, incolis, ruricolisque victualia promptè subministrantibus. Tum ne Erlaviensium infestaretur excursionibus, positis certis in locis legionatim excubiis ita per hyemem continet, ut arctam illi proxime metuentes obsidionem, finitimos omnes territorii pagos & oppida, subsistentiam Cæsareanis sublaturi, crudeliter incinerant, tormentaque inde bellica Budam transferentes, in Christianorum tamen incidunt potestatem, Zolnockum feliciter traducta. Demum Caraffa in Transylvaniam ad octo millium adstipulata jussus est abire hyberna, à dubiæ adhuc fidei Principe vi extorquenda, eundemque tum in constantem Cæsaris fidem, tum ad annuum 40000. florenorum tributum necessitandum.

Sub hæc Æneas Caprara Moncatium includens, traditionem illius à Tôckelia ibidem residente

dente literis frustra expostulat: Unguarii verò deditionem promovit Com. Stephanus Cohary captivus ibidem detentus, qui loci præfecto Franc. Galambos Cæsaris promittebat gratiam, per Capraram certò obtinendam, si se submitteret; quam quidem Galambos æstimabat plurimi, & affectabat; sed metuebat unici filii sui, & insignis thesauri securitatis causâ Moncatii depositi jacturam: prævaluit illa, ac spontaneam Unguarii traditionem impetravit, sub spe Moncatium etiam propediem occupandum. Quo audito Tôckelia Galambos filium carceri, & thesaurum ejus militi tanquam prædam tradit diripiendas.

Unguarii deditio.

Quibus ad votum expeditis, turbata haud est leviter Porta Ottomannica, in altam calamitatum abyssum præcipitata: lauta enim imprimis Constantinopoli urgebat fames, & insolens plebis murmur Soldanum alium deposcentis, fœda præterea classis maritimæ dilaceratio, & primæ navis in reditu naufragium, sollicitum ejusdem præfectum detinebat in Morea, uti & inauspicata campestris expeditio Strigonii Seraskieriam: cujus fugam haud dubiè turpem, & Vyvarini jacturam hucusque subdole celatam ubi Soldanus intellexit, furibundè excandescens, omnium calamitatum originem in unam primi Vezirii ab exercitu devolvebat absentiam, in bellico licet approbatam consilio; cum tamen annuente etiam Mufftio non defensiva, sed offensiva Vezirio decreta esset expeditio: verius autem ejus in aula præsentiam inimicorum exigebat metus & insidiæ, quibus tandem

Turcæ fortunâ suam deplorant.

Vezirius strangulatur.

dem etiam dejectus ab officio, ædes expilatæ, ingens ejus thesaurus fisco adjudicatus, Rhodum in exilium ejectus, & dolo novi tandem Veziri Solimanni, insidias illius metuentis, miserè strangulatus periit. Solimannus novus hic Vezirius prudentiâ inclytus malis undique imminentibus & mederetur tempestivius, præ ceteris regem Poloniæ à triplici liga divellendo, Caminecum suadet solo æquandum; sed pernegabat Soldanus, cujus armis fuerat subjectum, eratque legibus Alcorani contrarium; famem tamen non Gallorum modò, sed Anglorum, Batavorumque mercatorum opera, & suâ depellit industriâ: Tôckelium etiam libertati restituit; strangulari verò jubet Ibrahimum Serakierum, Tôckelianæ reum captivitatis, unde tot urbium rebelliumque Ungarorum deplorabat defectionem: quo autem & hos, & suos ad arma plures provocaret Muselmanos, se ducem, & validiorem in Christianos ducturum exercitum promittebat; ne verò bellicus deficeret nervus, ingens ex Serralio auri argentique signabatur cumulus; at gemmarum & ingentis pretii unionum nullus erat licitator, ne sui, suarumve esset fortunarum proditor. Quem eundem nervi defectum apud Cæsarem Innocentius XI. pontifex per Card. Bonvisium Viennæ numerato supplebat auro, permittens præterea, ut secularis & regularis regnorum provinciarumque hæreditariarum clerus suorum adderet censum bonorum: quem & ab Hispaniæ clero ejusdem pontificis permissu Cæsar decimatim exigebat; sed non sine singularis nota tenacitatis in tam pio, totique

Solimannus novus Vezirius Tôckelium liberat.

chri-

christianitati necessario opere negabatur. *Vid. num.* 206.

Veneti Sing in Dalmatia cingentes repelluntur.

201. Sed quid Venetus hoc anno Leo? in Dalmatia Valierus validam rursus Sing munitionem mense Martio tentat, sed irritò, & gravi cum detrimento; in alta enim rupe sita, & in utroque prærupto latere inaccessa; in ingressu verò probè munita omnem Valierii & Morlacensium vim illudebat; Bosniæ præterea Bassæ Arcegovinus & Cliunnensis justo tumultuariè exercitu dum appropinquare Morlacenses audirent, obviam procedentes, hostium multitudine Morlacenses territi castra repetentes tantum sociis incutiunt terrorem, ut desertis omnibus fugâ sibi consuluerint turpissimâ, cæsi plures, capti eorum ab hostibus 300. cum omnibus impedimentis, tormentis, & bellico apparatu, quo prospero animati molimine Turcæ illato Clissæ pavore Duarum ad fluvium Cettinam 5. armatorum millibus invadunt, & casttum d'Avala fugientibus iterum Morlacensibus occupant; Valierus corraso undequaque milite oppidi solutionem tentaturus, Josephum Usium, Augustinini Tartagliæ urbis præfecti, generosissimi ædepol militis nepotem cum 600. Morlacensibus præmittit, qui invento ad urbem aditu hostem suo generositatis exemplo, & addicto generose certantibus præmio fortiter aggressus, priores confundit hostis ordines, & in fugam cæsis 300. & 2. captis mortariis convertit. Nec aliter Ottomannis ad arcem Tragurii successit, quam Bassa Arcegovinus quidem acriter flagellavit, sed constanti adeo indigenæ fortitudine illud

Vicissim Turcæ à Duari & Tragurii obsidione rejiciuntur.

illud pro bonorum suorum ibidem conservatione propugnarunt, ut illam Bassa deserere coactus, & suum in Ungariam vocatus militem traducere.

In Græcia Ottomanni Venetos in hujus anni expeditione prævenientes Cimariottos Corcyram versus irrunt, vel ut populos sæpius frustra tentatos in suam cogerent fidem & potestatem, vel ne Venetis suis imposterum hostibus essent subsidio: nulli enim subjecti potestati aut dominio omnem hostilem impetum beneficio montium illuserunt, nisi quod exiguum Turcis mercaturæ cum illis exercendæ causâ pendant tributum; Venetis autem ex antiqua consuetudine & mercimoniis amici, eorum quandoque subsidiis gavisi, plurimi vicissim eorum militiam Venetorum sunt amplexi. Horum oppidum Nivizzam Bassa Delvinensis prætextu restantis multorum annorum tributi adortus, nullas innocentiæ, immemorialis libertatis & possessionis rationes & excusationes admittebat; Cimariotti igitur cunctis occlusis aditibus, familiisque & pecoribus suis inaccessibili maritimo loco commissis & depositis, generose numero licet multùm inferiores hostem profligant, & in turpem agunt fugam: hujus à Turcis ignominiæ vindictam Maurocenus metuens, quatuor illis Corcyrâ militares subsidio submittens naves Turcarum infregit comminationes. Turcæ Cimariottos invadunt & profligantur.

Major eorum in Peloppon-neso seu Morea in Mainottensem ejusdem inter montes libertatis rempublicam erat impetus: nam Maurocenus suam in Pelopponeso inchoaturus expeditionem so- Mainotti Turcas irruentes abigunt.

ſociales horum ſuppetias ſollicitat, & conventione factâ decem adpromittunt millia à Venetis annonâ & armis inſtruenda. Iſmaël Baſſa hujus certior factus fœderis & tractatûs, decem armatorum millibus Mainottos ferociter infeſtaturus ad anguſtum montium acceſſum per totam detentus diem invictâ & deſperata tandem defenſione ſumma cum ignominia & jactura eſt repulſus. Iſmael quod vi & armis non poterat, blanditiis apud inconſtantem paſſim nationem ſe ſperans effecturum, generalem amneſtiam & ampla pollicetur promiſſa. Verum initio Junii Maurocenus ad Dragomeſtrem haud procul Leucada claſſem appellit, ut Reipublicæ addictas & ſociales commodius nationes poſſet allicere, ſibique conjungere, quo etiam advenere 13. Venetæ naves ſub talaſſo Ambroſio Bembo cum Lúneburgo-Hannoveranis copiis, & Principe ſuo Maximil. Wilhelmo: quatuor item naves auxiliares Florentinæ ſub talaſſo Guido, & 400. claſſiarii ſub Vandomo: octo Meliten-ſes naves cum 1000. & 5. pontificiæ cum 400. claſſiariis ſub melitenſi Generali & Commendatore le Tour, viro eximiæ generoſitatis. Hæc Mauroceni claſſis antequam è portu ſolveret, præmittit cum 13. navibus militaribus Delphinum & Molinum, ut Chium inter & Metellinum archipelagum per vagantes turcicas obſervarent, earum cum barbaris prædatoriis conjunctionem impedirent, & ubique infeſtarent occurrentes; Mauroceni verò expeditio Peloponneſum ſeu Moream juſtis de cauſis ideo meditabatur, tum quod optima & frugifera totius

Græ-

Græciæ esset peninsula, Zazynto, aliisque Venetæ Reip. subjectis insulis vicina & peropportuna; tum quòd incolas potissimum Græcos Maurocenus speraret excusso Ottomannico jugo Venetam amplexuros protectionem & militiam.

Pridie igitur Joannis Baptistæ ab eo Corona in maris promontorio terra marique obsidione cingitur, & tribus in locis tormentorum ictibus impetitur; nec minus fortiter & desperatè urbem præsidiarii, subsidium certò expectantes, defendunt; Mustapha enim Bassa 5000. Kalil Bassa 2000. nec exiguis advolabat copiis Negropontinus Bassa, in omnem perrumpendi occasionem intenti, ipsas adeo circumvallationis lineas latius quam defendi poterant extensas, irruunt; & quia extra illas eminebat colliculus, unde castra superlustrari, & infestari commodè poterant (qui postmodùm sæpius ab hostibus est invasus) ideo aggere ille congestitio seu opere cornuto probe est communitus; hoc opus, seu aggerem Turcæ incredibili furore aggressi occupant, & 18. gloriosè implantant vexilla: nec mora, Melitensium Generalis la Tour cum aliquot Brunschwigis, Sclavis & Marchionis Corboni dimachis tantâ Ottomannos generositate expellit, ut eorum signis potitus ad turcica usque castra eos fuerit persecutus; dumque vulneribus saucius aliquot pyrei pulveris orcis assideret, militis incuriâ per pyrobolum pulvis incensus General. la Tour, & alios quatuor melitenses equites in aërem evibrans miserè præfocat, cum ingenti totiùs exercitûs dolore, tanti, tamque excellentis Ducis & militis jacturam de-

Maurocē in Morea cingit coronam.

Aliquot Militenses equites pereunt.

plorantis, qua in velitatione Christianorum trecenti qua saucii, qua mortui, Turcarum 300. vulnerati & totidem mortui ceciderunt. Nihilo tamen minus Ottomanni aliquot millium subsidio confirmati atrociorem in eundem hunc locum sibi admodùm proficuum, sed militari nunc sepe roboratum, alteram tentant irruptionem, tribus vicibus & horis aliquot continuatam; sed majori suorum jactura frustratam; ideoque cuniculis evertere omni quo poterant studio laborabant; nec alias urbis stationes fortiter propugnando erant desides, sed iteratis tormentorum explosionibus, & furiosis excursionibus plures prostrabant adeo Christianos, eorumque loricas & valla destruebant, ut Venetorum vires admodùm deficerent; nec classis tamen intermittebat pyrobolis continuò & spæris incendiariis urbem infestare, inflammare & evertere, ut exanimati oppidani quo se verterent, nescirent.

Ottomannicus interea architalassus 65. navium classe excurrens in archipelagum, Chium velificat, audiens autem Venetam oberrare per archipelagum classem, securitatis causâ Rhodum navigat, ubi Veneti incendiariam in ejus classem dum irritò immittunt, duodecim fortuito transeuntes Algerianas conspicientes insequuntur; sed ventorum beneficio periculum evaserunt: quâ occasione architalassus Turcicus metu liberatus, turcicam Caravanam Tripolitanam multis locupletem divitiis Chium, inde secure Byzantium traducit: tum Naupliam, seu Napolim di Romania contendit, plurimosque ibidem

ibidem pro Coronæ liberatione milites exponit, quæ jam in quadragesimum secundum diem multis cum molestiis & laboribus, multisque hostium circumstantium iteratis incursionibus continuata, plurimos Venetorum milites & apparatus bellicos consumpserat; quare bellico conclusum consilio, decretoriâ hostem pugnâ aggredi; relicto igitur ad urbis impugnationem sufficiente milite, reliquus in campum contra hostem est eductus, & jussu Mauroceni Magnavinus è classe 1500. classiarios in terram exponens hostis latus inopinatè tantâ insilit fortitudine, & implicat confusione, ut terrore prostratus relictis castris & impedimentis, turpi sibi fugâ consuluerit, capta sunt plura signa & tria prætoria, sex tormenta, & insignis commeatus apparitusque bellicus; cæsi autem utrimque pauci: mirabili hac oppidani victoriâ quamvis territi, urbis tamen traditionem contumaciter Mauroceno postulanti mœniorum suorum & turrium robori nimium fisi denegant; omnium igitur fortissimâ turre cuniculo labefactata, quamvis difficilis per rudera daretur aditus, ultra tamen trium horarum tentatus est assultus; sed rejectus, nisi quod ad muri & turris ruinas fixa sit statio, & 32. melitenses equites saucii, bini cum pluribus gregariis sint interfecti: & quia Maurocenus prævidebat opus celeritate coronandum, alterum ad meridiem assultum decrevit priore ferociorem, cui se impares oppidani prævidentes, deditionem offerunt, sub cujus tractatu incensa duorum militum pyxide pulverariâ, bambardæ sonum edente, concla-

Turcæ cæduntur prope Coronam.

matum est utrimque ad arma, & Veneti furore accensi urbem vi perrumpunt & capiunt: mactati sunt ter mille præsidiarii & incolæ, ducenti triremibus applicati: præda hujus emporii erat dives & multiplex, tormentaque bellica 128. ultra medietatem metallica. Qua gloriosâ binâ victoriâ tota exultavit Venetia, quæ gratiis Deo imprimis actis, varia benè meritis præmia, & Mauroceni fratrem D. Marci equitem gratiose instituit.

Corona vi capitur.

202. Finitâ hac feliciter expeditione, naves auxiliares pontificiæ, Melitenses & Florentinæ 22. Augusti domum redierunt; Maurocenus autem abiit ad Mainottos ad defectionem sollicitandos, & Turcarum jugo omnimodò subtrahendos; qui quidem initio Venetorum, ut dixi, protectionem & militiam affectantes, decem millia adstipulati, vix tria eorum millia Venetorum sequebantur castra, metu præsentis Turcici cum classe architalassi, qui collectis ex nupero prælio fugitivis Turcis illuc cum classe devenerat, multis eos blanditiis, libertate, amnestia, & variis promissis in fide confirmaturus: & quia non ignorabant Ottomanni variabilem nationis illius inconstantiam, ut illam in montanis suis continerent, post Creticum seu Candiacum bellum Zarnatam, Calamatam, Chielafam & Passavam non exigui momenti oppida valide roborarunt: quæ Maurocenus suæ facere potestatis moliebatur, quo Mainottæ sub Venetorum tutela & fide degerent securius. Auctus igitur Venetiâ per præsidiarias 22. naves novis aliquot Saxonicis legionibus (3000) com-

Mainottos Veneti & Turcæ sollicitant.

commeatu & apparatu bellico, Calamatam versus appellit, militemque exponit; quo Mainottæ animati cingunt Xarnatam, & ultronea occupant deditione, in conspectu turcici architalassi, haud procul cum decem armatorum millibus confidentis, quem Maurocenus ductu Generalis Hannibalis Degenfeldi 8000. Germanorum, & Græcorum, seu Mainottarum est aggressus; pugnatur utrimque fortiter, Turcæque Brunschwicenses furibundè irruunt, sed Ducis sui Maximil. Wilhel. Brunschwicensis generositatem æmulati illos fortiter repellunt; tum Saxones adorti & Græcos, æquali utrobique fortitudine rejecti, & in confusionem acti fugam capiunt, cæsis eorum 300. Christianorum 110. quam suorum fugam Calamatenses præsidiarii spectantes, incenso apparatu bellico salutem etiam in pedibus quærunt; Calamatâ destructâ, ut Chielafa & Passava facilius obtinerentur, Paulus Marcus Zyzantinus (cujus operâ & persuasione Mainottæ ad Venetorum adducti erant fidem & tutelam) ultroneam quoque Chielafæ traditionem præsidiariis persuasit, egressæque sunt, relictis 58. tormentis, 1000. animæ, inter quas erant 350. armati milites; deserta quoque cum 21. bellicis machinis Passava, antequam 500. eò destinati christiani advenirent; & quia exigui erant roboris, est eversa. Atque ita tota Maina respublica ex saracenina quasi servitute in plenam asserta est libertatem: cujus metropolis Maina, olim Leuctrum, urbes Magnum, Vitulum & Proastum cum 365. pagis, & ora maritima usque ad Ta-

Veneti intercipiunt Xarnatam, Calamatam, Chielafam & Passavâ.

Maina respub. Venetis subjecta.

nariense promontorium continet, suntque incolæ Christiani tam religione quam linguâ adhuc antiquâ Græci. Supremum hujus regionis seu reipub. dominium Laurentio Veniero est collatum. His præter omnium opinionem feliciter expeditis miles in hyberna distributus est; quidam Zazynthum, alii S. Mauram, reliqui cum Mauroceno Corcyram destinati abierunt, simulque Alcenagus munitionem Gomenizam, latronum speluncam Christianorum adventu derelictam, omnique robore denudatam præterquam 12. metallica tormenta occupat.

Venetorum ad expeditionē fervor. Sub hybernis Veneta Respub. gloriosas victoriarum palmas ulterius propagatura, pro futura expeditione de auctorando milite, nervo, commeatu, apparatuque bellico sollicita Innocentium XI. pontificem pro concedendis cleri decimis submisse, sed frustra rogat, tum quòd pontifex singulis expeditionibus auxiliares illis suas submittat naves, tum quod actuales illum inter & rempublicam mari, terraque in Ferrariensi intercedant limitum controversiæ; sed quia sine nervo mars languet, charitativum respub. subsidium decimis æquale à clero exigit, ob Martem Christianitatis hosti inimicum, sibi autem propitium & faventem promptissimo. Præter varias æris acquisitiones Hannoveranus Dux submittebat 1600. stipendiarios, quorum Princeps Maximil. Wilhel. titulo seu dignitate Generalis cum annuo 6. millium ducatorum stipendio est honoratus, uti & Comes Otto Wilhel. Königsmarckius Sueciæ Regis sui permissus Generalissimus cum annuo 18. millium duca-

ca-

catorum stipendio est evocatus; accersitus quoque è Gallia Antonius Mutonus, seu Comes de S. Felice Veronensis, quondam patriâ proscriptus, & interea mathesios expertissimus excellensque pyrotechnites, cujus incendiarias primitias Algierienses & Genuenses magno experti sunt detrimento: præterea bis mille stipendiarios & 500. dimachas exauctoratos Mediolanenses transcripsere Venetis, inque regno Neapolitano mille novitios auctorare indulserunt.

Atque ita Veneti præsidiarias aliquot naves cum nervo, commeatu, & apparatu bellico sub imperio & gubernatore Josepho Morosino ad Maurocenum destinant; sed circa Ragusam grandis orta maris tempestas omnes socias naves in diversas dissipans oras & partes, hanc Morosini navem omni destituit societatis subsidio: qua opportunâ occasione Andreas Vinolts Bernas cum sua vexillatione in mortem Morosini spe auri, & navis adipiscendæ conspirans, sub alto aliorum somno Morosini cubiculum, cæsis prius quatuor illi obnitentibus 1. Novemb. invadit; quo excitatus tumultu Morosinus, posticum cautus ostiolum egressus per exteriorem navis oram, vir 70. annorum scandens & prorepens navarchum & epibatas vocat in subsidium, qui illius animati præsentia, injectis in conspiratores pyrobolis Vinoltsium & plures alios in primo prosternunt impetu, & post trihorale certamen reliqui devicti meritis sunt pœnis mactati: navarchus è contra Andreas Heinrichs Hollandus cum ceteris epibatis, ac imprimis Morosinus dignissimis à Republica affecti sunt præmiis. *Vid. n.* 214.

Morosini in nave periculum.

Polonorum discordia in comitiis, & infelix expeditio.

203. Poloni suis in comitiis consuetis iterum laborabant discordiis, ut minor felicis expeditionis hoc anno spes quàm præcedenti appareret. Sulma quidem Cosaccorum tribunus Mohilæ supremi Ducis sui licentiâ in Moldaviam Turcicum Seraskierum invasurus excurrit, sed specie pietatis ad amicum regno Poloniæ subjectum Monasterium deflectens, ingentem ex Christianorum devotione eò confluxum sacrum thesaurum impiè diripit, & totam simul regionem non sine maxima Regis & Reipub. offensa deprædatur, & fugit in Ucraniam, ubi eâdem à Tartaris exutus est prædâ, iniquissimo sacrilegio rapta; quam subinde Dux Mohila illis extorsit, Sulmâ ad Tartaros transfugiente; horum autem aliquot millibus adjunctus, Niemerovium & Brassavum oppressurus à Mohila inopinatè adoritur, dissipatur, & in fugam conjicitur, à Cosaccis sociis derelictus, ideoque castris & impedimentis exutus, laqueum tamen secundò evasit. Hæc autem est magna (ut cum *Fr. Guicciardino hist. lib.* 17. loquar) hoc ævo nostro militiæ labes, ut milites nullum inter amicos & hostes discrimen ponant, & non minus populos provinciasque vastant illi, qui ut eas defendant, quàm qui ut offendant, pecunias accipiunt. Polonica hucusque comitia discordiis gravidata per tonitruales Tartarorum Leopolim usque excursiones territa tandem animorum peperêre concordiam hujus anni inchoandi expeditionem; sed cujus fieret auspiciis, inter se rursus diffidebant: affectabant illam prærogativam supremi duo reipublicæ Generales Potoschius

ſchius & Jablonskius præ Rege in prioris anni expeditione minus felice, fortunatiorem ſibi promittentes ſucceſſum, faventeque illis imprimis Nuntio Apoſtolico, præteritâque Regis auctoritate & conſilio expeditionem adornant, quod Rex acerbè admodùm tulit, infauſtum jam tum expeditionis prævidens ſucceſſum, quæ iteratis diſſenſionibus in menſem adeo eſt Auguſtum dilata, ut polonicus exercitus nonniſi ad Boryſthenem pervenerit, ibidemque ſubſtiterit. Decem interea Tartarorum millia traducto Caminecum commeatu & apparatu cruentâ omnino excurſione plura hominum & jumentorum millia in miſeram abduxêre ſervitutem; potiorem tamen hujus prædæ partem polonus quidam tribunus collectis ſubitò copiis ſingulari barbaris prudentiâ, & inſigni illorum ſtrage extorſit. Tandem inſtrato verſus montana Boryſtheni ponte tendit exercitus per montana in Moldaviam, olim uſque ad annum 1611. Poloniæ ſubjectam, nunc recuperandam, aditu Regi ante annum invio, ſed periculoſo, & Polonorum antehac ſanguine aliquoties cruentato. Superatis tamen montanis Jablonskius [alter Generalis Potoſchius ex morbo decumbebat] oppoſita hoſtium caſtra in planicie probè communita ſpectans, nec ultra progredi, nec illa invadere, aut ad certamen provocare auſus, ob pabuli demum inopiam regredi coactus fuit, multis ſpoliatus impedimentis, & in Poloniam uſque ab hoſte non ſine cæde perſecutus, ſimulque Tartari in Volhiniam excurrentes omnia ferro flammâque crudeliſſimè devaſtarunt. Hæc

est egregia & arrogans duorum Generalium Polonorum in Turcas hoc anno expeditio, multò regiâ priori anno deterior, atque ideo multum à republica deplorata, & non sine insigni eorum dedecore explosa. *Solent plerique* ait Dio Caff. lib. 46. *ante experientiam & conspectum periculi audaces esse*; & ut ait Guevarra horolog. princ. lib. 3. cap. 17. n. 515. *Ubi plurimum verborum, ibi minimum plerumque est animi. Vid. num.* 213.

Caroli R. Angliæ mors.

204. XIV. Calend. Mart. Londini fatis concessit Carolus Angliæ Rex improlis, in extremis vitæ assertâ religione Catholicus, quam ab annis benè multis secretò jam coluisse creditus est, immo hanc publicè professurus, si diutius vixisset; eo enim res suas adduxerat, ut imminentes ob id gentis suæ seditiones & motus vi & auctoritate reprimere potuisset. Fuit Caroli Stuarti, publice Londini per seditionem Olivieri Cromweli anno 1649. inauditâ crudelitate capite plexi, filius, à quo tempore specie tenus fuit in Anglia imperium aristocraticum sub Cromweli protectione, cujus morte illud finitum, & patrio per decennium extorris solo, atque per tempus Coloniæ Agrip. A. 1660. ad patrium revocatus solium, Rex magnæ Britanniæ est salutatus, itaque præteritorum oblivisci visus est, ut neglectis curis omnibus, solis otio & voluptati se deditum, ultimis præsertim annis ostenderet, quibus suis Europæ viribus & officiis tam facile pacem reddere, & conservare potuisset. Eodem fraterni obitûs die ab universis regni proceribus ante annum nominatus, & nunc

con-

confirmatus, salutatusque est trium regnorum successor Jacobus II. Eboracensium Dux, cui dein omnes regni ordines solito sese fidei Sacramento obstrinxêre, quamvis ille se Catholicum, & Sacris Romanis addictum palam profiteretur. Quin imo in primaria regni Oxfordiensi academia VI. Calendis Augusti Doctorum omnium votis edicta est sententia, neminem cujuscunque religionis, qui gentis suæ debito sceptris anglicis pareret, ei obedientiam detrectare posse, nisi se infami perduellionis crimine vellet notatum. Inter cætera, quæ publicæ tranquillitati opportuna statuere Jacobo Regi visum est, illud imprimis fuit, ut Jacobus Dux Monmontius, extincti Regis Caroli filius nothus, qui tunc in Hollandia versabatur, à regni abstineret ingressu, ne (quod illi vanis pollicitationibus aliqui suggerebant) plebs principem sacris suis addictum, seditione aliqua ad solium evehere conaretur. Is nihilo tamen secius vel exilio irritatus, vel spei captus illicio comparatis sibi sociis Argilio Comite, & Nobili Grayo rebellionem meditatus, eos in Scotiam cum armis & copiis aliquot præmittit, brevi secuturus, dum ipsi prima secessionis fundamenta jecissent. Exscensione factâ rebellionis antesignani sparsis ubique libellis, quibus populos ad Monmontii fidem advocabant, Regem adduxerunt, ut Atholiensem Dynastam eo cum copiis dirigeret; maximè quòd in ipsa Londini civitate aliqui essent intercepti, à quibus arma cæteraque belli munimenta rebellibus parabantur. Postulavit insuper Rex Jacobus, ut regni ordines (parlamentum vocant

succedit Jacobus II.

Monmontii in Anglia seditio.

cant) de seditiosis, & quieti publicæ noxiis hominibus decernerent, evicitque, ut majestatis rei, ideoque capitali supplicio mulctandi renuntiarentur. Quod cùm esset factum Argilius Comes in Scotia à regiis pulsus militibus, iisque dissipatis, qui illi favebant, dum fugitans inter paludes sese quærit subducere, interceptus, Edemburgi III. Idus Junii capite plectitur: Monmontiusque pari sorte prælio ad Bridvaterum in Anglia victus, captusque Londini VII. Calendas August. Regis titulum, cujus personam aliquamdiu Glascoviæ inter suos asseclas gesserat, cum perduellis supplicio permutavit.

Mors Isabellæ D. Mantuæ,

Moritur Idibus Mart. Mantuæ Isabella Clara Austriaca, Caroli II. Mantuæ & Montisferrati Ducis vidua, non tam longo administratæ ditionis usu, quam privatæ vitæ rationum famâ celebris. Et 7. Calendis Jun. Heidelbergæ præmaturâ morte obiit Carolus Ludovicus Elector Palatinus Rheni, in ipso fervidæ ætatis flore, annorum scilicet 34. improlis, unicam relinquens sororem Elisabetham Charlottam, quæ pridem Philippo Aurelianensium Duci nupta, litibus, & periculoso dissidio ansam, seu prætextum ministravit. Dux enim Aurelianensis Ludovico Rege Galliæ instigante allodialia conjugis suæ Elisabethæ bona prætendebat gladio, barbaris Palatinatûs vastationibus, & lite, à Romano demum Pontifice in favorem Palatini Philippi Wilhelmi dirempta. Carolo autem in ditionibus & Electorali dignitate secundùm pacta & instrumenta pacis Monasteriensis successit Philippus Wilhelmus Dux Palatinus Neoburgensis

Et Caroli Palat. Elect.

cui succedit Neoburg. Philip.

ſis Catholicus, ex primogeniali antiquiore affinitatis linea, proximiorem allegante Leopoldo Lud. Palatino Veldenſi; hic tamen ob prius adeptam Philippi poſſeſſionem &c, juri ſuo ceſſit. qua ad principatum acceſſione in toto ejus ambitu catholica fides, & Sacra Romana obnitentibus fruſtra heterodoxis liberè ſunt permiſſa. De quo plura *num.* 376.

205. In Gallia quoque ſolemni edicto Ludovicus Rex XI. Calend. Novemb. ex univerſo Regno Calvini, quæ inibi diu viguerat, ſectam proſcripſit, omneſque ſibi ſubditos catholicè vivere, & Sacris Romanis operari juſſit. Revocatum hac ſanctione, quidquid ſingularis doctrinæ ſectatoribus anteceſſorum patientiâ, maximè Henrici IV. indultum (quod Nannetenſe vocabant) fuerat permiſſum, continuoque per regnum univerſum templa diruta, quæ eorum aliquando uſibus ſervierant, & eliminati omnes ejus doctrinæ præcones, ſeu Eccleſiarum, ut vocabant, Miniſtri. Jam pridem Rex omnes, qui Sacris Romanis non erant addicti, ad dignitatum omnium, ſive ſagi, ſive togæ conſecutione arcuerat, exauctoratis omnibus, qui in illis hactenus fulgebant. Unde multorum ſecuta fuit converſio, quos rei privatæ decus & utilitas à priſtino errore abſtraxit. Aſt vetitâ ſolenni juſtitio ſectâ turmatim populi ſacræ fidei nomen dedêre; non minori forſan eorum numero, qui laribus derelictis in vicinas provincias ſunt dilapſi. Sic 3. Nonas Mart. inſigni legatione Rex Ludovicus honeſtavit Regem Siamenſem, quem in extremis Indiarum oris poſitum jam dudum in-

Ludovicus Galliâ proſcripſit Calvini ſectam.

Regem Siamenſem legatione

ad fidem cathol. allicit.

intellexerat erga religionem Catholicam inclinatum sacerdotibus favere, qui ad fidem in his regionibus ferendam à Romano Pontifice destinabantur. Die 23. Septembr. Orator Siamum appulsus, susceptusque honorificè, pluribus suasionibus Regis Ludovici nomine egit, ut ethnicum Principem ad fidem Romano Catholicam amplectendam adduceret; quod, etsi apertè tunc temporis minimè consecutus est; illud tamen evicit, ut Catholicis, qui in toto regno seu viverent, seu fidem prædicarent, quies secura & libera facultas Sacrorum suorum maneret, connitente præsertim ad ejus libertatis assecutionem Constantino Falconio Græco, qui intimo Regis favore, & præcipuâ rerum administratione in aula Siamensi gaudebat. Econtra Romæ 17. Jul. Congregationis, quam sancti officii vocant, decreto è domo ad carceres trahitur Michaël Molinos, sacerdos Hispanus, qui fictæ quietis larvâ abusus, sub devotionis prætextu incautæ conscientiæ multos, propinatæ orationis, quam *quietis* vocabat (unde *Quietistæ* dicti) methodo ad inanem perfectionis fastum perducebat. Mediolano non diu pòst Romam pariter evocatus alter delirantis sectæ coriphæus, eidem Michaëli frequenti literarum missitatione familiaris, amboque ergastulis inclusi à seducendo jussi sunt quiescere. Calendis Octobr. Viennæ Eleonora Magdalena Theresia Augusta peperit alterum Archiducem, à Card. Bonvisio Nuntio Apostol. Baptismate renatum, quem Carolum Franciscum nominatum voluêre parentes, in spem & omen illius virtutis & felicitatis, quem

Molinos Quietista captivatur.

Nascitur Carolus VI.

gen-

gentilem Carolum V. Auguſtum Auſtriacæ familiæ decus aliquando honeſtarunt. Et revera nomen & omen habet; quin & Caroli Magni ? ex cujus progenie *Garſias tract. de expenſ. cap.* 12. *num.* 12. 13. illius deducit originem: Carolus Magnus genuit filios, Carolum, Pipinum, & Ludovicum, tres filios, totidemque filias. Ludovicum fecit Galliæ Aquitanicæ, vulgò Franciæ, & Imperii ſucceſſorem, obiens 28. Januar. 815. Aquiſgrani. Pipinum citeriori Galliæ, hoc eſt, Flandriæ & Burgundiæ præfecit. Pipino ſucceſſit Bega, Begæ Pipinus II. huic Carolus Martellus, dein Pipinus III. tum Carolus item Magnus, deinde filius ejus Ludovicus, poſtea Godefridus barbatus, eidem Godefridus II. barbati filius, huic Godefridus III. tum Henricus I. Godefridi filius. Poſt hunc Henricus II. primi filius. Deinde Henricus III. ſecundi filius. Poſtea Joannes ejus filius. Tum Joannes II. Huic Joannes III. filius. Demum Wenceslaus; Joannis Bohemiæ Regis filius. Huic Antonius Philippi Burgundiæ Principis filius ſucceſſit. Huic filius Joannes conditor ſcholæ Lovanienſis primus ex hoc Philippus, Joannis frater, tum Philippus Burgundiæ Dux, Carolus Audax deinde Philippi filius, tum Maria unica Caroli filia, quæ dotata Belgio & Burgundia, maritata fuit Maximiliano Imperatori, Maximiliano ſucceſſit filius ejus Philippus, deſponſatus Johannæ filiæ Ferdinandi Regis Hiſpaniæ, factúsque Rex Hiſpaniæ genuit Carolum V. regem Hiſpaniæ & Imperatorem, & Ferdinandum I. Carolo in Hiſpaniam ſucceſſit Philippus II, filius, in Rom.

Ejus genealogia à Carolo Magno deducta.

Imperium Ferdinandus, Philippo in Hispania successerunt Philippus III. Philippus IV. & Carolus II. improlis. Ferdinando in Imperio successerunt Maximilianus II. Rudolphus II. Mathias frater, huic Ferdinandus II. Ferdinandus III. IV. Leopoldus I. Filius deinde Leopoldi Josep I. tum denique Carolus VI. qui nunc Imperii Rom. Imper. Dux Belgii, Italiæ, Mediolani, Mantuæ, Neapolis, Siciliæ &c. totius Hungariæ & Bohemiæ Rex feliciter imperat.

Annus 1686.

206. Insequentis 1686. anni Janus non infausti ominis januas reseraffe videtur; Tribuni enim Mercius & Heuslerus dum hostem calendis Januarii Giulæ Varadinoque commeatum sub 2000. Janizarorum præsidio inferre cognoverunt, collectis raptim bis mille quingentis militibus haud longe Aratho internecione cædunt, & fugitivis mixti urbis portas, & alibi muros transcendentes Arathum occupant, fusisque præsidiariis expilant, opulentissimâ prædâ, & ingenti auri & argenti summâ, literis secretoribus, commeatu, apparatuque plurimo ditati flammis donant. Arathum namque nobili in superiori Ungaria emporium ad Mansii fl. litus non opulentissimos solùm alit cives & mercatores, sed Hebræos multis auri vasis & millionibus valentes. Unde Guilenses, Lippenses, & Temeswarienses pretiosiora metu futuræ obsidionis ad tutiora convasabant præsidia: Christianus autem miles tantis animatus spoliis Montgacium (quo Tôckelius non suam tantùm conjugem

Turcæ cæduntur prope Arathum, quod capitur.

Moncatium arctatur.

jugem, thesauros, ingentesque prædas; sed plures etiam alii fortunas & gazas suas tutò deposuerant) omnium aliàs naturâ & arte validissimum aggredi impatienti fervescebat desiderio.

Quid non mortalia pectora cogis
Auri sacra fames! Virgil.
Aurum per medios ire satellites,
Et perrumpere amat saxa, potentius
Ictu fulmineo. Horat. lib. 3. carm. Ode 16.

Cujus etiam deditionem Caprara Cæsaris Imperio tum datis ad Töckeliam literis, tum acerbioribus minis postulaverat; hac refractariè autem pernegante, includi illud eminùs jubet, arctius aptiori frigoris acerbioris tempore circumvallandum.

Adrianopoli interim vinculis enodatus advolans in Ungariam Töckelius, ejusdem proceres in suas quà prece, quà pretio allicit partes, ut publicis sub dato Varadini 26. Januar. 1686. literis ad comitia minaciter, sed frustra convocaret, quòd jam tum Cæsar procerum plurimos rationibus, auro, officiis & dignitatibus sibi devinxerat, & potentiâ devicerat. Acceptis igitur à Bassa Varadinensi 7. armatorum millibus incautos in hybernis Christianos tumultuariè oppressurus, obvium habet Caraffam hac de re opportunè monitum, cujus adventu ille Varadinum regredi compulsus, hic fanum S. Jobi tribus Varadino milliaribus, haud procul Zeckelheida dissitum, latis immersum paludibus frigore tunc congelatis,& altis foveis propugnaculisque validum, opportunâ hac occasione tentat impugnare, mutuum Mongacii & Varadini

Töckelius liberatus ungaros sollicitat

Zeckelheidam Caraffa subjugat

subsidium seu correspondentiam illo expugnato sublaturus, aut in prælium succursumve sani hostem allecturus: illo non prodeunte Caraffa tormentis oppidum flagellat & pyrobolis, quibus pulvis eorum tormentarius accensus oppidum flammis, præsidiarios numero 500. ex adornato in muros impetu trepidos deditione 6. Mart. subjecit, qui Varadinum conducti, maturioris rei deditionis aut strangulati, aut vinculis sunt mancipati, oppidum verò ignibus ferme est depastum. Caraffa imposito sat oppido præsidio, accensisque per Baragocium Varadinensibus suburbiis, ac dein non exiguâ Christianorum turba libertati restitutâ gloriosus ad sua rediens, Debrecinum ad æris militaris 100000. florenorum ex Tôckelii prohibitione morosum compellit solutionem; ac duos denique Comitatus Zatmariensem, & Bibariensem turcico exemit jugo & tributo. Ad Mongacium non ita res ex voto agebatur, ubi Tôckelia mariti sui, perfidi Sirmai, aliorumque literis facta præfractior, excursionibus aliquot haud levem Cæsareanis inferebat stragem, majorem Tôckelius ipse illaturus, nisi Caraffæ prævertisset vigilantia: ille enim à Varadinensi præfecto turcicis, tartaricisque sub Soldano Galga copiis ad terrorem confirmatus, Mongacium perrumpere, obsidionemque solvere contendebat. Hujus rei certior factus Caraffa, ipse ad Zatmarium, Mercius & Hauslerus ad Lippam & Giulam confidentes hostilem opportunè conjunctionem & consilium omnino inverterunt. Vere interea adolescente excursores Vesprimienses Tigmarum oppidum

pidum noctis involantes beneficio, cæsis omnibus spoliatisque ingentem etiam pecorum gregem ex Budensibus abactum pascuis feliciter Vesprimium abducunt: at emissitia Verovitincensis turma Essecum versus excurrens, multo ditata pecore, dum securior moratur in oppido, à Turcis oppressa, & pecore & vitâ plurimi denudantur. Similiter Canissenses Turcæ ultra Savum plurimos è vinea Christianos in captivitatem trahentes, à Croatis circumventi redemptis Christianis omnes fermè mortis nexui sunt traditi.

207. Cæsar interea Saxonum aliquot & Brandeburgicorum auctus legionibus, imperiali etiam milite confirmatus, commeatu denique apparatuque affatim instructus serio deliberabat consilio, quo demum arma felicius commodiusque essent vertenda. Bellicus Viennæ senatus in hujus anni expeditione varius, Budæ obsidionem aversabatur omnino; solus Carolus Lotharingus regni caput rursus proponebat tentandum; hac enim, ajebat, devictâ, haud gravatè succumbent reliqua; prioris verò obsidionis errores & defectus cautior emendabit industria, & miles supplebit copiosior & generosior. Diviso alii exercitu, uno Albam Regalem à Bavaro cingendam, altero hostem indubiè succurrentem à Carolo è campo submovendum suadebant, & fermè persuadebant. Caroli tandem sententiam solidis postmodùm rationibus roboratam Cæsar amplexus Budam expugnandam decrevit & ursit, quasi jam tum ex grammate; BUDA, Beata Virgo Dabit Auxilium; de-

Decernitur Budæ obsessio

deditionis certus, revocatumque à Mongac obſidione [in opportunius dilata tempus] Caraffam caſtra jubet accedere: quod audiens Seraskierus Achmet, cum Tôckelio 6. Turcarum millibus eò provolaturus, à Mercio, Hâuslero & Petenhaſio Segedini ante ſolis ortum tumultuariè oppreſſus, cæſis mille, & captis 300. caſtris exuitur, multique Tibiſco ſubmerguntur. Turcæ interea ſuæ etiam omni ſtudio intenti defenſioni, neceſſario Albam Regalem commeatu apparatuque inſtruunt, communi famæ rumore proximè impetendam, Abaffiumque Tranſylvaniæ Principem in utramque adhuc partem claudicantem doloſis verborum illecebris, ablatorum reſtitutione, & annui remiſſione tributi in ſuas adducere partes pertentant: & me hercle propendere illuc videbatur, dum hujus anni tributum perſolvendo violenta Cæſareanorum in Tranſylvania hyberna apud Soldanum peteret excuſata, quæ nec potuiſſe, nec niſi valido nunc exercitu eliminari poſſe dolenter aſſerebat. Cæſar igitur Friderico Sigiſm. Comiti Scherffenbergo eam detulit provinciam, rationibus, lenociniis, minisque Principem à Turcarum omnino ſocietate & jugo avellendi. ſed verſutè ſemper præſentiſſimi metu periculi diſſimulabat Abaffius, quòd validiſſimis Turcarum fortalitiis, urbibus, ac munitionibus proximè circumdatus, inevitabili ducatum ſuum exponeret ruinæ, vix unquam reſtaurandæ. Suſpirabat interea malleum inter & incudem, donec favente Cæſari Bellonâ turcicum rejiciens jugum, Cæſaris veneratus clementiam, ſectatus eſt imperium.

Turcæ cæduntur.

Abaffius in utramque partem dubius & varius.

Jam

Jam cæsareus auxiliarisque Strigonium confluxerat exercitus 90. millium exercitatorum militum, cujus partem unam Carolus, Maximil. Emmanuel Bavarus alteram producens 18. Jun. Budam, Pesthum ab hostibus derelictum occupat, instratumque Danubio ad veterem Budam transiens pontem, trabeatam montis Gottardi munitionem capit, suamque inde ad arcem usque figit stationem; Carolus urbem versus aquariam; mox apertis hic 21. Jun. fossis castrensibus, die alterâ ex aggere tormentario tantam murorum efficit ruinam, ut 24. Jun. noctu urbem aquariam vi interceperit; quem inde hostis paulò pòst numerosa 2000. excursione expulsurus, non levi utrimque cæde rejicitur. Plurimæ inter hæc Budenses mulieres ingentem 14. navibus auri, argenti, vestium, rerumque pretiosarum thesaurum secundo deportantes Danubio ad D. Margarethæ Insulam in manus Ungarorum & Tolpatiorum inciderunt. Accedebat quoque castra Marchio Badensis Durlacens. cum Franconicis & Suevicis copiis; Brandeburgicæ verò cum Generali suo Schöning ter festivis per castra bombardarum, tormentorumque explosionibus excipiebantur, & Cæsareanis connectebantur stativis; ubi mox ab excurrentibus aggressi præsidiariis, eosdem quidem fortiter, sed non sine strage sua repulerunt: qualem haud levem etiam circa Albam Regalem, & in Margarethæ Insula passi sunt pabulatores nostri à Turcis Tartarisque invasi. Budæ obsessio.

Jam ubique vineis, accessibusque urbi, sudibusque vallaribus erat approximatum, muri tor-

tormentis & cuniculis latius patefacti, cunctaq; suadebant generalem impressionem: duo igitur millia ad hanc sunt selecta, medius Comes Starrenbergus cum 800. internam defensionis lineam (Streichlinn) à dextris cum totidem Comes Aversbergus circularem [Rondel] munitionem, à sinistris Comes Herbersteinius interjectum propugnaculis murum seu cortinam horâ sextâ vespertinâ tam generosè invadebant, ut jam pedem cortinæ ad sudes vallares firmius densiusque, quàm quòd evelli aut penetrari possent, infixerant; post horæ tamen vix intervallum muralibus undique tormentis, evibratis cuniculis, sphæris punicis, & ignea saxeaque grandine loco depulsi sanguinolentam utrimque cierunt cædem. Occubuerunt præter gregarios plurimos Principes Palatinus Veldensis & Piccolominus, Comites Herbersteinius, Hufsteinius, Carolus de Dona, Dux Vejuri Grand. Hispaniæ, centuriones decem, & plures subcenturiones: vulnerati sunt Dux Solonæ Grand. Hispaniæ, March. Villarius Crequii filius, Comites Guid. Starrenbergius, & Aversbergus, aliique plurimi Bavarici etiam & Saxones perterebrata circulata arcis munitione, fixoque retro sudium sepem pede, Turcas foveâ ducentis eorum necatis ejecerunt, cum jactura tamen supremi militum promagistri Comitis Fontaini, & læsione Com. Aspermontii. Nec feriebatur interea hispanicus pyrotechnites Gonzalez pyrobolis, pilisque incendiariis urbem tectis denudatam multipliciter infestare: globus namque incendiarius domo inflammata plurimos in ea

Impressio urbis cruenta Cæsareanis.

Sara-

Saracenos contrivit: præsidiarii econtra in Bavaros Saxonesque excurrentes cæsis 200. quatuor eorum curules machinas & mortarium stylis ferreis configunt, & confixissent omnes, nisi vigiliarum Præfectus Rôbel cum suis Saxonibus adhortante imprimis Ludovico Badense eos repulisset: quorum duabus pòst horis audaciam pyreus compescuit globus in pulveris tormentarii turrem incidens, mille, ut ajunt, centenarios momento incendit, horribili latè fragore terram concutit, urbis murum versus Danubium ultra 20. orgyas dejicit, evibratisque in aërem pyrobolis, sphæris incendiariis, trabibus, hominibus & lapidum fragminibus quosdam in fossis castrensibus Christianos, & in urbe mille Turcas interimit. Quo casu præsidiarii admodùm licet consternati, urbis tamen traditionem literis à Carolo postulatam denegabant pervicaciter: imo in Brandeburgicos desperatè excurrentes, turbatis eorum ordinibus magnam inferunt cædem, à superveniente tandem cum tribus legionibus supremo militum magistro Starrenbergo recedere coguntur.

208. Decretus porro in diem 27. Jul. alter in urbem generalis insultus, ductu Principis Neoburgici Teutonici Magistri, Nigrelli, Kett, Rede in circulare à dextris propugnaculum & ejusdem partem cortinæ: Souchesius adjutoribus Diepentalio, Com. Oettingensi & Jôrgero propugnaculum intermedium: tertium à sinistris rotundum propugnaculum [Rondel] & ejusdem cortinam Brandeburgicorum Ductor Schôningus cum tribunis suis fortiter omnes in- **Alter insultus felicior.**

invasuri: his Thungenus & 1100. in duodecim turmas divisi sunt succenturiati, quos alia peditum agmina sequebantur in subsidium: delecti deinde 300. bombardarii, qui prodeuntem in murorum ruinis hostem continuis arcerent jaculationibus: mille demum Ungari & Tolpatii ad subeundas Danubium versus ruinas cum 8. Haiducorum navibus sunt expediti. In castris etiam Bavaricis in eandem omnia parabantur impressionem, Ductoribus de la Vergne, Aspermontio & Beckio, adhortatoribus Electore, Lud. Badensi, & Eugenio Sabaudo. Aderat dies decreta, sed ad 5. usque meridianam pluviosa, tum signo dato quisque in designatum insurgit locum: Cæsareani jam sudium occupantes sepem, tribus evibratis ab hoste cuniculis divertuntur ab illis, qui murorum modò ruinis, seu brecciæ insidebant, adhortante tamen Carolo muri fragminibus firmiter inhærent, Turcis desperatè obnitentibus, & igneum in Christianos ubique diluvium effulminantibus, in foveam tandem depulsi, paucis per angustam portam ad interiorem arcem fugientibus, reliqui omnes sunt interempti. Brandeburgici etiam suum non minus generosè, multo tamen sanguine assignatum occuparunt locum; cæteris citius feliciusque Bavari, & omnium primi Carlowitzius & Rôbelus cum pyrobolariis saxonicis vallum circulare conscenderunt, & obtinuerunt, cæso tamen Carlowicio, vulneratis Principe Croio, Commercio, Diepentalio, Tungeno, Astio, Redero, Comitib. Schubelo & Gera: ex Brandeburgicis occubuit tertius Com. de Dona,

sau-

ſauciati Princeps Curlandiæ, tribun. Petram, Schlebendorffius, Rochanus, Rebelus, plurimique alii centuriones: occiſorum autem ingens utriuſque partis fuit numerus. Poſt hæc Turcis in receſſibus urbis inteſtinis vix quicquam tentantibus, Chriſtiani ultra progreſſuri, biduo pòſt accenſo infeliciter furnulo pluſquam centum terrâ oppreſſerunt Brandenburgicos; duobus verò aliis felicius evibratis commodiorem in urbem aditum Turcis admodùm paventibus patefecerunt. Secundis igitur literis Carolus urbis poſtulat traditionem, cui Abda Rohaman Baſſa Præfectus reſpondit: Budam fruſtra exigi, aliam haud gravatè pro redimenda pace urbem extradi permiſero; imo & Budam, ſi hanc perpetuæ inter nos & vos pacis nexum eſſe volueritis. Quod reſponſum fulmine dignum mox ferreæ grandinis bracteas, & tormenta, in murorum jam modo poſita ruinis, in urbis exploſit viſcera, & duos elicuit Aghas, Erlaviæ, vel Albæ Regalis ceſſionem loco Budæ offerentes: quibus rejectis petitur & mittitur in urbem protribunus Baro de Cruce, reſolutam præfecti mentem hac de re auditurus: qui humaniſſime à Baſſis exceptus, poſt horam dimidiam ad præfectum (divano, ſeu bellico interea conſilio occupatum) introductus, & ſedere juſſus, graves imprimis in fœdifragos Karam Muſtapham Vezirium & Töckelium, belli hujus incentores audiit ab Abda Rohaman præfecto querelas, qui addebat, ſe Budam abſque ſuæ præſentiſſimo vitæ periculo non poſſe extradere, cujus territorium ultra ducenta exten-

deretur milliaria, & non Ungariæ tantùm, sed & regni Turcici ac Jerusalem clavis esset unica, quâ nisi perpetuæ pacis porta reseraretur, hostibus semper fore occludendam. Cui Baro: se non de pace tractanda, sed Buda extradenda advenisse; & an non eam armatâ mox manu, & multo indubitanter sanguine occupandam præviderer? ad quæ præfectus humeros contrahens Baronem dimisit. Resumptis itaque Cæsareani animis & viribus, evibratoque feliciter cuniculo præsidiarios foveâ & latibulis ejiciunt. Bavari quoque non exiguam mœniorum partem dejiciendo pomœrium cum machinis æneis & mortariis capiunt, iisdemque urbem graviter infestant, læsis inter hæc Lud. Badense, & prolegato Starrenbergo, qui causâ curationis Viennam est delatus.

Budæ succursus. 209. Adest tandem nimium desideratus urbi succursus, festivâ omnium tormentorum explosione exceptus, & Carolus communi confestim consilio Caraffam ex superiori Ungaria, ex Transylvania Scherffenbergum suis cum agminibus ad castra revocare Budensia, eaque loricis & militaribus sepimentis munire, tùm antequam hostis propiùs accedat, iteratam jubet urbis irruptionem, quam Cæsareani & Brandenburgici irrito tunc cuniculo intermittentes, ubi Bavaros modò arcem invasisse audiunt, sine mora ductoribus protribuno Herbersteinio, & vigilarum præfecto Bischoffshauseno militarem irruunt sepem & sudes vallares: at valida præsidiariorum resistentia cum ducentorum militum, Caroli Comitis Starrenbergi, trium-

triumque centurionum jactura, ac læsione Herbersteinii, Bischoffshauseni, & Caunitzii propulsantur: quemadmodum Bavari arcem licet bis obtinuerint, ingens tamen eos Turcarum ejicit fortitudo, amissis pariter ducentis, vulneratisque Eugenio Sabaudo, & leviter Lud. Badense; tantam vicissim cædem passi sunt Turcæ, ut circularem die alterâ deseruerint munitionem, à Brandeburgicis protinus occupatam; nec procul abfuit periculo Carolus, foveam humo ad proximum insultum opplendam disponens; hostilis namque pyrobolus in pulverem incidens propè astantes Carolo fœdè depopulatur; inde crebrius sæviusque in urbem fulminatum, & Bavari invento 16. cadorum pulveris juxta arcem cuniculo, congestitium in arcis ejusdem munimento erigunt aggerem, & cuncta in decretoriam properè expediuntur impressionem. Neve hostis ad arcis vallum, ubi vadosus admodum Danubius, urbi subsidium immitteret, immersis cum lapide navibus vadum obstruunt.

Propior interea Vezirii approximatio animosiores reddebat Budenses, iteratam in Bavaros qua peditum, qua equitum tentantes eruptionem; hi fugam cautè simulantes Turcas circumveniendo, plurimos, paucis exceptis, trucidant: ubi binæ interceptæ epistolæ, prima Budensis præfecti urgens petentis subsidium; quod altera Vezirii promittebat indubitatum, simulque gallus referebat transfuga, Vezirium in montibus juxta Danubium castra metatum in Bavarica die sequenti Stativa impetum parare, sin-

ſingulisque urbem penetraturis quinque donaturum ducatos. Contra quos opportunè delecti ſunt Dunwaldius & Heusleius, ambo pugiles exercitati cum agminibus ſatis etiam expeditis. Sole vix orto ſex qua Spahorum, qua Janizarorum millia plenâ acie, & tormentis campeſtribus Cæſareos furioſe aggrediuntur, ſæpiusque à latere fruſtra incurrentes repulſi, turbatis denique ordinibus fuſi fugatique ſunt; cæſa eorum 2000. capti Janizarorum plurimi à Spahis equitibus aufugientibus derelicti, octo etiam tormenta & vexilla 30. Chriſtianorum vix cecidêre 80. ut autem facilior ſuccurrentibus pateret in urbem aditus, Budenſes inter velitandum in Bavaros inſilientes, plurima illorum pars neci eſt tradita, interfectorumque in conflictu capita in fruſtrati ſignum ſubſidii, cæſique exercitûs oblongis circa urbem haſtis ſunt expoſita: quo præſidiarii admodùm exulcerati, bavaricum incendiariâ nave pontem tentarunt, ſed irritò, incendere, collectoque raptim exercitu turmatim caſtra laceſſere: unde Chriſtianæ legiones dum ſtructâ in hoſtem acie cum caſtrenſibus mover tormentis, Albam Regalem turpiſſimè fugit. Celebris interea pyrotechnites Franciſcanus P. Gabriel inextinguibili licet igne gerras ſudesque vallares deflagraret, loco tamen pulſi cæſareani, irritis præſertim ſæpius cuniculis; continuæ autem Bavarorum ejaculationes arcis tandem turrim, unde haud exigua à ſtriatis bombardis paſſi damna, unà cum defenſoribus proſtraverunt, ut feſtinum literis auxilium præfectus à Vezirio ſupplicarit, à quo pro-

Turcæ caſtra impetunt.

pe-

pediem auro mercati Janizari 600. ungarico amicti habitu eo dimissi, jam circumvallationis lineam nebulæ beneficio transierant, & omnes sub favente oppidanorum excursione urbem penetrassent, nisi à Caprara & Heuslero animadversi, partim opportunè quidem rejecti, partim autem 140. in urbem ingenti præsidiariorum gaudio & applausu, sed plurimùm vulnerati, & trecentorum strage perruperunt: alteram deinde ad arcem instructâ rursus acie tentantes pervasionem & aditum, visa Christianorum paratâ in omnem impetum vigilantiâ, re infectâ discesserunt. Tunc Bavaris ad arcis turrim occupandam se accingentibus, cadit Generalis Kummelius, & dum altera die General. Beckius cum delectis Bavaris & Saxonibus eandem simul & curules ibidem machinas Turcis ingenti virtute inter sudes & rudera contranitentibus captant & occupant, vulnerantur Dux Saxo Mörseburgensis, & tribunus Chatellus. Approximantibus sic ubique Christianis, Turcisque sine cunctatione auxilium poscentibus, Vezirius expeditum tandem vitâ auro licitatâ agmen immissurus, 3000. Janizarorum, & Tartarorum 1500. ut viam aperirent & aditum, præmittit. Hos Mercius primo aggressus impetu centenos aliquot fundit; tum à tergo perrumpit, & suus à latere protribunus incurrendo ordines dissipant, mox in fugam spectante ex monte Veziero conjiciunt, captis vexillis 18. quæ ad præsidiariorum terrorem in vallis ruinisque murorum sunt exposita: Mercius autem tribus afflictus vulneribus Viennæ postmodum summo omnium dolore

Urbem ingrediuntur.

Altera vice à Mercio rejicitur.

lore decessit gloriosissimè, multarum victoriarum auctor. Ex Transylvania hoc tempore suis cum copiis in castra 30. Augusti advenerant Scherffenbergus & Picolominus, aulæque Cancellarius Comes Stratmannus, qui periculosas inter supremos belli duces composuit simultates: Danubius præterea, ne quod in urbem permitteret subsidium, erat incatenatus, & omni hostilis aggressionis præcautum periculo: tum generalis & ultima in urbem 2. Septembris decreta est pro octo exercitatorum millia, præter volones, impressio, hoc modo adornata.

Decretorius in Budā insultus. 210. Carolus instructâ acie hostilem observat exercitum, impressionem exequuntur apud Cæsareanos Duces Crojus, & Ludov. Palatinus Magister Teuton. Comit. Souchesius, Scherffenbergus, & Diepenthalius: apud Bavaros Lud. Badensis, Serinus, de la Vergne, & Beckius: apud suos Schôningus Brandeburgos, omnes moræ impatientes, avidi pugnæ, aut mortem aut Budam subituri. Et ecce sole declinante auditur quatuor tormentorum signum, & subitò versus dexteram provolant quatuor centuriones, totidem succenturiones & tesserarii (Feldweibel) cum 80. pyrobolariis; primipilus omnium antesignanus Baro d'Asti (qui & primus Novarini mœnia conscenderat) murorum jam brecciam obtinebat, sed mox sauciato succedit supremus vigiliarum præfectus Bischoffshausenus, & post illum 400. bombardarii cum 4. centurionibus; his succenturiati centum hastati, quibus in subsidium reservabantur octingenti; rem singuli agentes fortiter.

Si-

Sinistram versus eodem fermè ordine irruunt Bavari, nisi quod mille quingenti bombardarii, pyrobolarii 50. & triginta bipenniferi asciis accincti viam paraturi præcederent. Cæsareanorum alacritatem haud minus strenuè sequuntur Brandeburgici; incredibili omnes animositate insiliunt, & quantâ Christiani constantiâ & fortitudine urbem invadunt, tanto pervicatiori Turcæ resistentiâ eosdem repellunt, ingenti utrimque certatur conamine, Turcæque tartareis ignibus, pulveris conceptaculis (Pulver-Sack.) ericiis militaribus, cæstibus, clavis & harpis Cæsareanos iteratò proturbant, usque hi evulsis crassæ magnitudinis sudibus rapidissimum perrupto velut aggere flumen totis se in urbem viribus effundunt: fit promiscuè strages ubique cruenta, cedentesque pedetentim Turcæ albis supplicant vexillis gratiam à furente nunc milite inexorabilem; inde igitur ad arcem inter duo pomœria fugiens hostis, conjungensque se sociis, quos Bavari ægrè admodùm arce ejecerant, numero freti, non minus furiosè quàm desperatè è receptibus se defendunt & abigunt Christianos, donec Badensis accito tribuno Aspermontio cum 500. bombardariis eosdem disturbat, fugat, insectatur & trucidat. Eugenius Sabaudiæ Dux ad castrorum defensionem relictus dolore frendens, quòd tam gloriosæ abesset expeditioni, dissipatâ continuò apud Cœmeterium portâ urbem cum equestri sua legione ingessus, hostem terrore perculsum & palantem insequitur, editur ubique strages sine sexûs discrimine horrenda, ejulatu boatuque tremendo com-

Buda vi capitur.

commixta, donec tandem Caroli & Electoris commiſeratione diſpoſitis per compita vigiliis à cæde deſitum, reſervatis bis mille quingentis promiſcui ſexûs præſidiariis (quorum initio fuere 14000.) civibus, pueris, Judæis, & inſignis elegantiæ fœminis, tribunorum ſervituti mancipatis. Præfectus verò Abda Rohaman vir ceteroquin militaris, magnæ inter ſuos auctoritatis, & eximiæ in Sultanum ſuum fidelitatis tantâ pugnabat pertinaciâ, ut ambidexter duabus ſe harpis defendens loco neutiquam ceſſerit, donec iteratâ pilâ trajectus urbem ſimul & vitam amiſit. Vivi in poteſtatem vincentium pervenerunt vice-præfectus, & Janizarorum Aga contumaciter temerarii: urbs direpta, ditioribusque ovans miles ſpoliis fuiſſet potitus, niſi plurima devoraſſet ignis, totam fermè urbem ex pulvere domibus paſſim inſperſo conſumens. Cecidere ex Chriſtianis 200. Marchio Spinola, & Comit. Tattenbachius atque Jacco. Capta ſunt promiſcuæ magnitudinis tormenta curulia 400. multa mortaria, commeatus apparatusque bellicus, & ingens pulveris tormentarii copia in armamentario, & granario recondita, diligenti Rabatæ ſollicitudine conſervata, ne tota omnino civitas in cineres redigeretur. Peractâ hac cataſtrophe ab ipſo ſpectatâ Vezierio & Ottomannico exercitu, furibundè frendens Albam Regalem & Eſſecum diſcedit: Carolus autem in Electoris papilione decantato in gratiarum Deo actionem hymno Ambroſiano, tormentorumque omnium applauſu, ad Cæſarem captæ urbis nuntium & teſtem mittit Principem

Com-

Commercium, non sine immenso totius Europæ gaudio, ut quam insigni Solimannus dolo ante 145. annos 26. Augusti viduæ Joannis Ungariæ regis tutelæ prætextu extorserat, & turcico hucusque jugo mancipaverat, Christianæ nunc libertati gloriosè restitutam esse non immeritò sibi congratulabatur.

Ceterum Buda, germanice (ob fornaces forte ibidem calcarias) Ofen dicta, totius Hungariæ regni metropolis, non ab Atilæ, Unnorum Regis fratre Buda; sed à Budinis, vetustissimis Scytharum populis, qui cum Atila in Pannoniam descenderunt, ut cum Herodoto & Strabone vult *Bonfinus Rer. Hung. decad.* 1. *lib.* 1. appellata, olim dicta Sicambria, ut ostendit clarè lapis Mathiæ Regis tempore ibidem effossus cum hac inscriptione: *Legio Sicambrorum hic præsidio collocata, civitatem ædificaverunt, quam ex suo nomine Sicambriam vocaverunt.* Quæ in regione montana & vitifera, ob calidas aquas sulphureum vinum proferente, ad Danubii ripam sita, quinquepartita est. Primò Arx, regum olim sedes & residentia, in monticulo ad voluptates & delitias longum, & jucundissimum habet prospectum: cui deinde ad longum adjacet superior civitas, & huic connexa est proximè suburbana: tum aquaria seu Judæorum civitas, muro circumcincta: demum inferius est suburbium, prope urbem in monte S. Getardi trabeata est munitio (Blockhauß) urbem defendens. Hanc Anno 1541. ab intrusi Regis Joannis vidua Isabella occupatam, dum Rex Ferdinandus per Wilhelmum Roggendorffium obsidione Budæ ortus & descriptio.

cingeret, illum advocatus in ſubſidium ab Iſabella vidua Solimannus, filii ſui tutor, ab urbe depellit, eamque ſingulari aſtu occupat; Iſabellam verò cum filio in Tranſylvaniam amandat, jurans regio ejus filio Budam, ſi adoleverit, ſe reſtituturum. Sed huc uſque cum ſuis ſucceſſoribus perfidus retinuit: quanquam ſexies interim dicatur fruſtra obſidione cincta, nunc demum rapacibus Turcarum unguibus per Maximilianum Electorem Bavarum, & Carolum Lotharingiæ Ducem erepta ceſſit Leopoldo Cæſari, Hungarorum Regi.

Sed nunc Buda non urbs, aut regni videbatur metropolis, ſed buſtum miſerabile, ut in validum reformetur munimentum, Cæſar Cameræ præfectum Com. de Roſenberg eo dimittit, qui præſidiariis caſas imprimis militares conſtrueret, tū architectorū & machinatorū conſilio & operâ domos reſtauraret, urbemq; vallis & propugnaculis probè muniret: ad quod Innocentius Pontifex affectu in Chriſtianitatem, & Cæſaream majeſtatem verè paterno juſtam auri ſummam appromittebat. Urbis deinde præfectus deſignatus eſt generoſus Beckius, ſubpræfecti protribunus Strasſerus & Biſchoffshauſenus cum præſidio 3500. Germanorum, & 1000. Ungarorum. Scherffenbergus ſubinde Viennā revocatus juſſu Cæſaris in Croatiæ præfecturam loco Comitis Schultzii, ibidem febre extincti, ſucceſſit. Tum luſtrato & refocillato per dies aliquot exercitu, habitoque conſilio concluſum, hoſtem ad Albam Regalem adhuc conſiſtentem perſequi, qui victricem 40. millium metuens exercitum, fugit

git Essecum, horrenda ubique crudelitatis suæ relinquens vestigia, atque inde transito ponte Albam Græcam.

Ottomannis igitur fugâ sublatis alius ingruit hostis multò atrocior & periculosior, ex defectu annonæ & pabulationis, dira hominum pecorumque fames, intensum frigus ex ligni carentia, & aëris tempestate, eo quòd ne in rutis quidem & cæsis quicquam residui à Turcarum barbarie permanserit, & accolæ ad Danubii insulas profugi ferarum instar latitarent in cavernis, arborum stragulis contenti. Dividi itaque Cæsar imperat exercitum, ut Badensis cum XII. legionibus Quinquè ecclesias contenderet, finitimas Croatiæ regiones in potestatem Cæsaris redacturus: Caprara cum aliquot legionibus Segedinum versus superiorem subjiceret Ungariam: auxiliares verò copias ad hyberna dimittit. Caraffa etiam Cæsareanis aliquot legionibus hyberna in Transylvania, juxta Abaffii & Deputatorum pacta assignat: quibus cum convenerat, ut singulis mensibus decem mediorum millia in tritico & avena, mediam partem in ære, alteram solverent in frumentis. Reversi autem sunt Viennam Elector Emmanuel & Carolus, heroes ambo immortalitatis gloriâ inclyti. Fames Christ. exercitûs & frigus.

Badensis Colozam ab hostibus vastatam præteriens, Simonturnam Sarowicio fluv. adjacentem petit, & refractariam fulminantibus machinis cogit ad subjectionem; inde capta Caposwar urbe, eâque expilatâ & combustâ, quia arx cursim expugnari non poterat, dum rectà pergeret Quinqueecclesias, associatis in via Badensis subjugat Simontornam Quinq; ecclesias

Scherffenbergii copiis, 19. Octobris eandem attingit inter Danubium & Dravum, quatuor Sicklosio milliaribus dissitam, emporium olim academiâ, sedeque episcopali, & vite ac vino nobile. Præsidiarii ubi Christianos audiunt adventare, injectis in urbem, occupatu facilem, ignibus, ne spoliorum quicquam cederet hostibus, in arcem properè confugiunt haud invalidam: Christiani autem superatis subito mœnibus flammas extinguunt, & sub urbis mœnibus arci proximioribus eam tormentis flagellant, nec præsidiariorum tamen possunt dejicere constantiam; sed pervicatiores illi omnes illudunt conatus, & diutius elidunt: explicatis namque sex rubris, & nigro uno vexillis pertinacem significabant ad ultimam sanguinis defensionem. Badensis igitur promotis ad arcem subterraneis fornaculis iteratam postulat traditionem, quam si recusarent, nullius omnino conditionis, nec minimæ ullius spem gratiæ futuram certò sibi persuadeant. Hac minitatione & aquæ defectu territi, victoris se voluntati tradunt & arcem, 18. machinis, copioso bellico apparatu, & magno equorum numero instructam. Hos imitati Siclosienses, incensâ pariter urbe arcem defendentes eandem demum deditionis subière fortunam, præsidiariis utrobique captivitate innodatis. Inde Badensis Essecum hyeme licet approximante famosum destructurus pontem progressus, Dardam, primum hujus propugnaculum, aliquot millium capax præsidiariorum, & ob paludes vix accessibile, jubet tentare; præsidiarii vero Christianorum metu Essecum auf-

Sicklosium.

Et pontem Esseckense

fu-

fugientibus, magnam pontis partem 5000. passuum flammis consumit, & Scherffenbergi legiones in Croatiam; reliquas verò, capta prius per deditionem Caposwariâ arce ad hyberna aliorsum dimittit.

212. Sub hoc idem tempus alter etiam exercitus Capraræ (qui infirmitate detentus castra sequi non poterat) sub Campiductoribus Caraffa & Heuslero Segedinum appulerat, ad Tibiscum & Maroschum confluentes situm, urbemque haud difficulter à dimachis suis armatâ tumultuariè manu occupandam ratus, Generalis la Vergne repellitur, & occiditur: tormentis igitur quassata, suffossionesque eo usque erant promotæ, ut propediem occupandam sperarent omnes. Et ecce refert fama aliquot Tartarorum Turcarumque millia in urbis approximare subsidium: communi igitur castra consilio raptim communiuntur, immittitur in hostem cum X. legionibus General. Comes Veteranus, qui latis subito passibus tenebrosæ noctis silentio hostem multò superiorem viribus assecutus, sole oriente ipse Tartaros, Comit. Gôtzius & Castellus Turcas fortiter aggressi in fugam conjiciunt, captisque castrorum spoliis securi ad suos redeuntes, phalanges primò aliquot Tartarorum, mox ipsum supremum Vezierium cum XII. Turcarum millibus præter Tartaros in se tum continuo noctis itinere, tum proximâ nimium velitatione defatigatos conspiciunt provolantes. Territus initio pusillus Christianorum grex duplo barbarorum numero inferior, justâ tamen nixus Christianorum

Veteranus cædit bis Turcas & castris exuit.

causâ, & favente hucusque divini numinis auxilio victrix, jubet ante omnia Veteranus legionem cum aliquot cohortibus hostis latera incurrere, ipse aciem audacter perrumpit & irruit Vezierium: tenuit conflictus duas ultra horas acerrimè, donec turcico inclinante & fugiente equitatu insecuti Christiani, in Janizaros seu peditatum, & octo campestria incidunt tormenta, quibus fugitivus se conjungens equitatus, pugnam atrocius redintegrant, & simultanea tormentorum bombardarumq; ejaculatione Christianos excipiunt: hi rupe immobiliores primum hostium impetum sustinentes, altero ipsi hostium ordines luxatos confundunt, fugant, castrisque, impedimentis, signis & tormentis omnibus exuunt, & sic ovantes ad Segedina reversi castra, auxiliatricem divini hic numinis manum summâ cum gratiarum actione deprædicabant. In adversis & desperatis petendum est subsidium ab audacia; *Andentes Deus ipse juvat*. Ovid. 1 c. Metam. *Ignavia & timiditas animi è violentis adversisque casibus neminem eripiunt, nec quicquam de periculo detrahit turbatio: constantia illud aut vincit, aut certè famosum efficit.* Omnibus interea in assultum Segedini paratis, missoque in urbem Bassâ in proxima pugna capto, ut victum fusumque sine spe subsidii referret Vezierium, in postulatam præsidiarii urbis traditionem condescendentes, cum uxoribus liberisque, & quantum quisque conferre posset supellectilis, Temeswarium abeunt. Secuta mox vicina arx Chonod Cæsareum quoque admittit præsidium.

Segedinum & Chonod occupātur.

Ca-

Calendis Februarii Victor Amedeus Dux Sabaudiæ, Regis Ludovici exemplum æmulatus Sectarios in aliquot sub alpinis ditionis suæ vallibus jamdudum commorantes edicto proscripsit, pœnamque capitis imposuit his, qui obsti natâ pervicaciâ excedere, aut Sacra Romana amplecti renuissent. Diruta eorum templa, & eliminati heterodoxiæ imprimis præcones. Sed cùm illi aspero locorum situ alicubi se tutari posse sperarent, inde auctâ illis fiduciâ catholicos, & præcipuè Religiosos, qui ad eos in fide instruendos missi fuerant, malè habent: in cujus protervíæ vindictam illuc Dux copias immisit, vique occupatis eorum recessibus internecinâ illos clade atterere statuerat, cùm Tigurinorum & Bernensium nomine supplicatum Oratores adveniunt, ut illis parceretur. Istorum intuitu alio edicto 8. idus Aprilis evulgato, veniâ inobedientiæ concessâ permisit Victor suis excedere ditionibus. Ast larium, & rei familiaris amor cùm multos adduxisset, ut novâ rebellione & exire, & converti detrectarent; quare bellum in eos Dux instauravit, expugnatisque omnibus eorum munimentis tandem eos coëgit exulare. Econtra Edimburgi 6. idus Februarii in Scotia heterodoxi in Catholicos insurgentes, variis eos in locis ad Sacrorum suorum exercitia congregatos miserè affligunt, domosque eorum in libertatis illius vindictam diripiunt, quam eis nuper Jacobus Rex concesserat. Comes Perchius urbis præfectus ut sævientes compesceret, eorum aliquot captis mulctam virgarum statuit; sed quum paratur supplicium, à ma-

Victor Amedeus Calvinos proscribit.

In Anglia Catholici affliguntur.

majori seditiosorum numero impetitus, vix non dilaniatur: unde immissis in eos præsidiariis seditiosi partim cæduntur, partim fugantur, reliqui destinato puniuntur supplicio.

Pridie idus Maji regio in Gallia edicto extinctus est ordo monialium, quem ab Infantia Domini nostri Jesu Christi vocabant, eo scilicet prætextu, quòd illæ quædam circa fidem sentire dicerentur minùs consona Catholicæ veritati. Quia tamen hæc discussio Romani Pontificis auctoritatem præcipuè spectaret, delictumque à malevolis detractoribus obtrudi crederetur, id gravatim Innocentius Pontifex audivit, crevitque inde materia, quæ non sopiti dissidii nova semina ministravit.

Cæsar Mariæ de victoria templũ dedicat.

Felix hujus anni Christianorum in Ungaria expeditio eo devotionis & gratiarum actionis Cæsarem commovit, ut Divæ Virgini Mariæ auxiliatrici novum in mnemosynon victoriæ templum dedicaverit, & lunam turcicam è turri S. Stephani Viennæ depositam in crucem commutaverit; Constantinopolim vero in altam consternationis præcipitaverit abyssum, & parum abfuerit, ut pro communi bono etiam magni Sultani vita inferis immolaretur: hic enim in fano seu moschea oraturus, à flamine turcico publicè accusabatur socordiæ, & omnigeni origo mali, ob inveteratam ejus libidinem & avaritiam infamabatur: Muftius etiam summus eorum flamen, homo omnibus odiosus, & perfidi auctor belli degradabatur; utque periculosiori malo & tumului præveniretur, supremus Vezierius ingentibus Serraglii, & imperatoriæ

Turcarum cõsternatio.

fatoriæ venationis impensis modum imponit; grandem ipse auri summam, uti & Valida Imperatrix, & Kislar Aga in nervum bellicum profundunt, maximique sacri fanorum thesauri illi applicantur: omnium autem consilio pax suadebatur, tam enormi violata perfidiâ, à Turcis modò, sed serò Maurocordati literis, & Budensis præfecti testimonio detestata. *Vid. num.* 218.

213. Alterum sacri fœderis membrum Joannes Rex Poloniæ prioris expeditionis defectum suppleturus, omni illam studio adornat, inque nervum bellicum respublica 400. florenorum millia contribuit, quia Pontificis nunc parcior liberalitas, quòd Polonorum expeditio esset socordior; & quamvis vi fœderis Nuntii Apostolici adhortatione, & liberaliori à Pontif. subsidii promissione ad camineci oppugnationē Rex incitaretur; nullatenus tamen ad eam urgentibus maxime causis poterat comoveri: Caminecum enim magni roboris oppidum, 10. millium præsidio, sufficienti commeatu & apparatu bellico tunc temporis erat communitum; magnus econtra apud Polonos erat tormentorum, machinatorum, pyrotechnitum, cuniculariorum, & peditatûs imprimis defectus, hunc si Cæsar supplere vellet, non gravatè hanc expeditionem à se suscipiendam significabat: quibus deficientibus Rex subjugatâ Moldaviâ & Walachiâ Bessarabiam occupare, & Tartarorum cum Turcis correspondentiam intendebat interrumpere, & omnimodè tollere; ad quod maximè necessarium sibi videbatur fœdus Polono

Polonus cur Camineců, uti promiserat, non invaserit,

Fœdus Polono-Moſco-viticum. lono-Moſcoviticum, in quo hactenus Cæſar per legatum ſuum Com. Noſtitzium arduè laboravit, ſimulque Polonorum reſpublica celeberrima aliquot centenorum Nobilium legatione unicè flagitavit; ac tandem off- & defenſivum fœdus Polonos inter & Moſcos contra Turcas & Tartaros 32. articulis eſt concluſum & ſubſcriptum, nec ſine alterius conſenſu diſſolvendum; ſed ad triplicis ſacri fœderis confirmationem arctè continuandum. Ad finem igitur Jun. dum exercitus Polonicus Schuttingam Pruth fl. inter & Boryſthenem confluit, Rex interim ter mille equites Caminecum ad laceſſendum emittit, qui incautos pabulatores opprimunt, cæſis eorum mille, & captis plurimis. Tum poſt multum temporis inutiliter conſumptum, ad initium demum Auguſti Rex ſuperato Boryſthene per ultroneam deditionem Jaſſum Moldaviæ occupat metropolim, & ad ejuſdem Ducem præmittens Jeſuitam, Moldavorum poſtulat conjunctionem, deinde ut pro exercitus tranſitu fluminibus pontes inſterneret, eidemque rem frumentariam provideret. Dux mortis metu, & quod filium ſuum Principem Soldano vadem tradiderit, negans utrumque, fugit ad Nuradinum Tartarorum Sultanum, & turcicum Seraskierum, Polonorum motus in vicinia obſervantes. Rex igitur Budziackum & Beſſarabiam progreſſus, à Turcis Tartariſque in ſubſidium Moldavorum vocatis continuò perſequitur, ne ve ulterius pergeret, omnem latè regionem flammis evertunt, & ingentis latitudinis ericetum horrendo Polonis ſpectaculo ignibus ſubjicien-

Jaſſum Moldaviæ metropolim Polonus capit.

Irrita ejus expeditio.

cien-

cientes omnem præſcindebant annonam & pabulationem: periculoſum præterea & arduum in Walachiam per quinque adhuc montes & totidem valles iter reſtabat, quo licet Rex à Duce Walachiæ Syrvano Cantacuzeno (qui ligneam in obſidione Viennenſi crucem erexerat) humaniter Chriſtianitatis affectu eſſet invitatus, traditurus arctiſſimum ei aditum, portam ferream (per quam ſolam, & non aliam, Tartari in Ungariam debent tranſire) ei tamen vix ex ſuſpicione credens, ne regreſſum obpeſſularet, ſufficienti deſtitutus annonâ, & ab hoſtibus continuo comitatus & carptus, reverſus eſt Jaſſum maximo exercitûs, & ipſius Regis periculo; nam erecto ad anguſtum aditum congeſtitio aggere tormentis Turcæ tranſitum Polonis prohibebant, Rege abs globis vix ſalvo; qui in extremam redactus calamitatem relicto Jaſſo, ſingulari robore deſtituto redit in Poloniam, & Tartari urbem Jaſſum Polonorum odio in cineres funditus irreparabili incolarum detrimento redigunt. Ad Regis Leopolim adventum adeſt etiam magna Moſcorum ibidem legatio, percuſſum nuper Polono - Moſcoviticum contra Turcas fœdus ratificatione confirmatura (qualis etiam Viennam deſtinata in triplicis ſacri fœderis unionem admitti poſtulans) ſenatores plures hoc quidem fœdus utile reipublicæ, ſed bellicas hactenus expeditiones jam quarto diſpendioſas, exercitumque omninò enervatum irreparabili Reipub. jactura immenſo econtra confœderatorum Cæſaris & Venetorum emolumento dictitabant; prudentiores tamen infauſtam Polonorum

Jaſſum incineratur.

lonorum Bellonam eorum lentæ socordiæ, & animorum discordiæ attribuebant: *Multa quippe victoria magis alterorum socordia & discordia, quàm alterorum virtute evenerunt.*; *quia amat victoria curam.* Catul. Hinc senatores alii hoc improbabant fœdus, alii approbabant, hanc animorum discordiam gallicus fovebat legatus Marchio de Bethunes, suadebatque fœderis reprobationem; Rex autem omni quo poterat modo & studio hanc sopire conabatur discordiam, missoq; Viennam ad Cæsarem legato Episcopo Primislaviensi, viro in politicis apprimè versato, Reipublicæ aperit sensum, & appetit consilium; *Consilio namque prius quàm vi bellum est gerendum*, Mammert. *quia res bellicæ summa cum prudentia sunt perpendendæ*, Guevar. *Vid. num.* 228.

214. Nec Venetorum Architalassus Maurocenus caruit Zoilis, feliciores majoresque belli progressus exigentibus; at senatus tantum vigilanti Mauroceni tribuebat prudentiæ, ut plenam belli administrationem, expeditionis dispositionem reipublicæ proficuam permitteret, & hactenus impartitam confirmaret. Intellecto igitur mense Martio novum Seraskierum octo Turcarum millibus in Maina cinxisse Chielafam, expeditis aliquot Corcyrâ navibus S. Mauram provolat, inde sumptum militem in portum vitulum exponens, audit aliquot à Laurentio Veniero centurias opportunè oppido immissas, & quingentos illuc pedites à Jacobo Cornaro expeditos, ipse cum 4500. armatis, & bis mille Mainottis (quos Turcæ ab angustis aditibus

Turcæ Chielafam cinctam deserũt.

bus vi depulerant, & jam proximè oppido appropinquarant) magnis passibus in succursum properat; verùm Seraskierus horâ ante ejus adventum convasatis subitò castris, relictis autem 6. bellicis tormentis æneis turpi sibi fuga consulit. Mainâ securitati reddita Maurocenus tàm classem quàm exercitum Gliminum supra Insulam Leucadam traducit, quo subsidiariæ etiam naves Melitenses cum mille classiariis, pontificiæ cum 450. peditibus confluxerant, habito consilio bellico decreta est Novarini, vel pro temporis occasione Modonæ obsessio, tum in archipelagum tredecim navium classis est expedita, quæ Ottomannici architalassi motus observaret, accessum & navigationem Constantinopolim intercluderet, & hostem ubique infestaret; reliqua classis 9000. peditum & 1000. equitum (Zazynthi 1500. morbo decumbebant) infra Novarinum appellit, ubi Otto Konigsmarckius exercitum lato ordine dispositum ducit antiquo-Novarinum, cujus portus capacissimo sinu suo ingentem admittit navium classem, duabus utrimque rupibus inclusus, & castellis roboratus, quorum unum septentrionem versus antiquo-Novarinum, alterum versus meridiem Neo-Novarinum appellatum: illius expostulata, sed spe subsidii denegata traditio, tormentis ex prædicta rupe, est extorta. Hoc devicto Neo-Novarinum quoque tormentis flagellatur acerrimè, & interior oppidi pars pyrobolis incenditur; nec minus præsidiariorum constantia Sefaris Bassæ generosi militis hortatu accenditur, promittebatque Seraskierus se proximâ

Veneti Novarinum per Königsmarckiũ subjugãt

ximè suppetias certò allaturum; & jam haud longè novem peditum millibus & equitum mille à Venetorum castris aberat: cui Konigsmarckius 7. peditum millibus & 700. equitibus obviam procedens ad pugnam elicere non potuit, sed fugiens ille commodo vix accessibili consedit loco, ubi illum Konigsmarckius tamen invadit: primus in illum cum suis dimachis Marchio Corbonus irruit longius quàm Konigsmarckius jusserat, ideoque à Turcis ubique impetitus per succurrentes Barnabæ Visconti mediolanensem equitatum, & Capelletensem peditatum tandem eluctatus evasit. Tenuit prælium per duas horas ardentissimum, nunc in hanc, nunc in alteram inclinans partem, ac tandem Turcæ Christianorum devicti constantiâ, & tormentorum ope cæsis eorum 500. exutique castris aufugerunt. Hanc gloriosâ, & insigni Konigsmarckii fortitudine & prudentiâ comparatam victoriam subsecuta est 14. Jun. Neo-Novarini spontanea deditio, præsidium ultra mille, & bis mille incolæ Alexandriam traducti, 53. ænea tormenta bellica victoribus relinquentes: templum ejus primarium, ejecto Mahometismo dedicatum est Ss. Vito & Modesto, quorum festo deditionis pacta sunt subsignata.

Et Turcas profligant.

Inde Maurocenus exercitum terra marique applicat Modonæ, quæ in promontorio maris sita, terrâ vero castello probe munito defenditur: hanc submissioni refractariam binâ impressione Pontificii & Melitenses, alterâ Veneti & Mediolanenses magnâ certatim æmulatione adoriuntur, promotisque brevi temporis spatio

capiunt Modonam.

ad

ad exteriores foveæ muros viis obſidionalibus, tormentis adeo muros dejiciunt, urbemque pyrobolis fœdè incinerant, ut ſpontaneam præſidiarii obtulerint deditionem; conſueto militari modo dimiſſi, ſed 91. æneis bellicis machinis privati. Hac re Seraskierus in furorem actus, dum urbis liberationem tentare non auſus, furibundè in ſuſpectos per regionem accolas ſævit crudelitate, ferro & flammâ devaſtans.

215. Concatenatæ hæ victoriæ in bellico perſuadebant conſilio Naupliam, hodie Napolim di Romania, totius provinciæ caput, quamvis robore, præſidio, & bellico apparatu probè communitam aggredi: quòd irrugiens Veneti leonis timor Ottomannorum adhuc animos occupet & dejiciat, vaſtetque illos fortis gladius, & intus pavor, qui pejor ipſo bello eſt. Expeditus igitur illuc exercitus non itinere terreſtri, quod invium, ignotum, impedimentorum causâ difficillimum, & auxiliaribus copiis prohibitum ultra tria milliaria à mari diſcedere; ſed claſſe ad finem Jul. Modonâ transvectus exercitus continuis auctus augmentis 9500. peditum, & 900. equitum [præter copias ſubſidiarias] die tertia Tolonum, tribus Naupliâ milliaribus appulſus, ſine ulla omnino obſiſtentia eſt expoſitus. Mox Konigsmarckius Palamidam montem urbi imminentem occupat, indeque tormentis pyrobolisque ſalutat. Vix Veneti advenerant, excurrentes præſidiarii Græcos centum Mediolanenſibus mixtos irruunt, quibus repulſis, adeſt infra caſtellum Argos Seraskierus, & aliquot feliciter lembis 300. Janizaros in portum

cædunt bis ad Naupliam obsessam Turcas.

tum & urbem immittit: quo accessu per Melitenses maturè obstructo, Konigsmarckius communi omnium consilio Seraskierum, antequam tribus armatorum millibus ab Eubæa, seu Negroponti Bassa, ut fama referebat, confirmaretur, aggreditur, quem etiam bis mille classiarii à Mauroceno illuc destinati in altero castrorum latere adoriuntur; nec impiger Seraskierus 4000. equitum, & tribus peditum millibus tam in fronte quàm latere in Venetos irruit, spe ordines illorum turbandi & perrumpendi; hi autem generosè constanterque impetum excipientes, tormentorum ope illos confundunt, perfringunt, & cæsis plurimis Corinthum relicto Argo castello, à Venetis postmodum occupato, in fugam abigunt, paucis Venetis, sexaginta circiter, desideratis, & equo Konigsmarckii trajecto. quam victoriam sperabatur secutura Naupliæ traditio, à Mauroceno literis postulata; sed Præfectus Mustapha Bassa præsidio militari 2000. sufficienti commeatu & apparatu bellico provisus; præterquam quod cum quinque fratribus sibi præsentibus multa ibidem possiderent latifundia, pervicaciter eam rejicit, & explosis omnibus urbis in castra tormentis Venetorum explodebat comminationes, qui iteratis econtra continuo tormentis, & quingentis quotidie pyrobolis præsidiarios miserè coangustabant.

His Seraskierus omni modo & studio succursurus insigni confirmatus augmento, cum X. millibus priorem Argi portum & castellum repetens, & Venetorum castris approximans,

mans, asperum & vix superabilem præter omnium opinionem conscendit montem, castrorum latus tegentem, mox pleno impetu, & horribili Turcis consueto ululatu in Venetos devolutus ordines confundit, & perfringit; sed fortitudine Ultramarinorum, suam ibidem stationem defendentium detentus, usque dum Konigsmarckius alios sine mora condensatis ordinibus succenturiaret pedites, tunc pugnacibus utrimque animis certatur acerrimè; quod cùm ex fumo suspicaretur Maurocenus, ipse cum tot, quot poterat classiariis, illuc provolat, animos suâ certantibus præsentiâ additurus, ideoque prælium durat per tres horas valde ambiguum, victoriæ tandem palmam Turcarum fuga Venetorum fortitudini, & generosæ Konigsmarckii prudentiæ & dexteritati summa cum laude consecravit: de qua victoriæ laude multum quoque participabant Maximilianus Dux Brunswicensis, & Turennius, magnum victoriæ pondus addentes, trajectusque rursum equus Konigsmarckio, ubique locorum præsenti & adhortanti. Cæsis itaque & læsis Turcarum mille quadringentis Mustapha Præfectus urbem omni spe subsidii destitutam, ultroneâ Mauroceno submittit deditione, præsidiarii quater mille Tenedos in Asiam transvecti, relictis æneis 61. tormentis bellicis: Præfectus Mustapha & frater ejus Assan, qui & Chielafam tradiderant, metu mortis inevitabilis Venetias, inde Livornum, demum Mahometismi colendi gratia in Africam sunt profecti. Reman-

Naupliam deditione occupant.

ſerunt in urbe bis mille Græci, & quadringenta Chriſtiana mancipia libertati ſunt reſtituta. Hæc ardua, & tot præliis glorioſa hujus anni expeditio æviternam Mauroceno peperit laudem, & Venetæ Reipublicæ gaudium & tripudium, quæ hoc gratiarum Franciſco Mauroceno tribuit, ut ex Laurentio ejus fratre nepoti Petro, ejuſdemque Maurocenæ deinceps ſucceſſivè familiæ primogenito perpetuus equeſtris ordinis primatus fuerit decretus; Konigſmarckio autem auream donavit virgam prætoriam 6000. ducatorum; atque ita in Græcia eſt finita expeditio. In Dalmatia multis actum eſt utrimque excurſionibus, & depopulationibus; Turcis autem in Ungariam evocatis Cornarus validum munimentum Sing, magnâ ſuccurrentem Seraskierum celeritate præveniens, generosâ Ducis Parmenſis, & Comitis de S. Polo operâ & ductu quinque dierum ſpatio feliciter occupat, cum non exiguo Venetæ reipublicæ emolumento, & Ottomannicæ Portæ detrimento. *Vid. num.* 232.

Maurocenæ familiæ prærogativa.

In Dalmatia Cornarus Sing capit.

216. Quæ graviſſimis ubique coanguſtata neceſſitatibus, militum viribus exuta, nervo militari exhauſta, belliducibus militari arte & ſcientiâ claris orbata, hoſtium cladibus & internis civium tumultibus afflicta, iteratò pacem à Cæſare & Venetis, miſſis per Maurocordatum, ſupremum Soldani quondam interpretem, ad Hermannum Badenſem bellici conſilii præſidem literis deprecabatur; eandemque Vezirius petebat à Venetis, illam omninò favente ſibi adhuc Marte rejicientibus, & ut falſam, doloſamque explodentibus, nullis utpote conditionibus ab Otto-

Turcæ pacem enixè rogant.

Ottomannis limitatam, sed ut vires colligendi, & confœderatorum animos dissolvendi tempus lucrarentur; eam quoque Viennæ Hispanus suadebat Legatus, ob imminens certò gallicum bellum: utpote Rex Galliæ neglectis Imperii Rom. constitutionibus, & pactis 20. annorum induciis Montem-Regalem, & munitionem Ludoviciam extruxit; contra quem in Rom. Imperii securitatem, & pacis Westphalicæ, & induciarum conservationem nova inter Cæsarem, Hispanum, Suecum, Bavarum, Saxonem, Batavorum rempublicam, aliosque Imperii ordines & circulos Augustæ Vindelicorum Calendis Augusti facta est confœderatio, quâ imprimis Dauphini filii sui in Regem Rom. electionem omni præcavendam studio, & 60000. militum delectus fuit decretus. Unde etiam multiplici legatorum missitatione Cæsar idipsum apud eundem Ludovicum fuit questus. Ex adverso Ludovicus conceptam ideo confœderatorum unionem dicebat, ut sibi non à se quæsitum bellum intentarent. Hoc certum, quòd ea fuit luctuosi, & internecini belli veluti fecialis, à Ludovico concepta, quo bello paulò pòst Europa fermè universa miserrimè flagravit.

Ludovici statua & ærea victoriarum.

Aperta est Lutetiæ Parisiorum ingens area victoriarum, in qua insigni opere fabrefactum Regis Ludovici simulacrum erectum est; è pegmate à victoria coronatum, & circa illud paris operis columnis duodecim, terno complexu in quatuor angulos distributum, cum appensis nummismatibus æreis, in quibus præcipua ejus gesta, & victoriæ sculpta & scripta referebantur.

Velut Sanctus honoratur.

Magnifico operi & lychnis igne continuo circa Regis simulacrum lucere destinatis, expensas destinavit Franciscus Aubussonius Foliadeus Dux, & Franciæ Par, ut singulari Regis Ludovici favore ad amplas dignitates & divitias evectus, sic ejus gloriæ cupidus, quâ se eximio grati animi monumento insignem exhiberet. Ludovicus quoque Rex Versaliæ [quam urbem à fundamentis cum insigni ad aulæ regiæ usus palatio extrui jam ab annis aliquibus curabat] intentus ea omnia addi, quæ seu voluptati, seu necessariis commodis forent opportuna, Auram fluvium eo deduci imperavit, viginti quinque millibus hominum adhibitis, ut incile & alveum novum ei sternerent, ; ad quem procurandum aliquot montes deprimi, & valles oppleri erat necessarium. Portentosi hujus cœpti operis gloria famam se æquasse antiquorum Ægypti Regum jure Ludovicus præsumebat, Francique cum Ægyptiis contendunt cœca tributorum collatione ad tot dispendia necessariâ de pari erga suos Reges affectu. Idem Rex Ludovicus ulcere jam diu in natibus formato cùm laboraret, inutilique hactenus arte illud medici vivificare tentassent, tandem XV. Calend. Decembris illud sibi à chirurgis secari permisit, invictâque constantiâ septies sibi novaculam admoveri passus est. Incredibili virium animique robori est attributum, quod tantum vitæ discrimen & periculum illæsus obiret, relatis ob id in tota Gallia, immo Romæ à Gallis sospitatori Deo gratiis, & patefacta omnis generis tripudio lætitia, quam de recepta Regis sui salute populi conceperant.

Versaliâ portentosè ædificat.

Sectionem corporis patitur.

Ter-

Tertium peperit Delphino filium Maria Anna Bavara conjux pridiè Calend. Septembris, cui attributum est nomen Caroli, & Titulus Ducis Biturigensium. Regiam aulam novâ lætitiâ cumulavit Siamensium Oratorum adventus, qui Regi Ludovico Idibus Septemb. se sistentes non solùm illi potentissimi Regis sui amicitiam & fœdera spoponderunt; sed donis etiam illum, regiamque ejus familiam honestaverunt. Siamensis Reg. legatio ad Lud.

Viennæ 5. Decembris obiit Eleonora Gonzaga, Ferdinandi III. Cæsaris quondam conjux: mulier æquali pietate, comitate morum, artiumque, & liberalium scientiarum amore insignis, quæ ut aulam Cæsaream præcipuæ prudentiæ laude honestate per annos fermè 30. visa est, sic eam eruditorum asylum & theatrum effecit. III. Idus ejusdem fatis pariter concessit Ludovicus Borbonius Princeps Condeus, ut bellicâ virtutis gloriâ inter ævi sui Duces nulli secundus, ita irrequieti animi sui motibus per plures annos, quibus bella civilia aut movit, aut promovit, patrio Galliarum regno funestus; mores tamen, quos per tot bellorum vices aliquo feritatis contagio exasperate visus erat, mitissimæ patientiæ studio in extremis pacavit: isque inter religiosorum choros mortuus est, qui nihil præter mansuetudinem & sæculi contemptum spirasse aliquando videretur. Eleonoræ Gonzagæ mors. Obitus D. Condei.

217. Romæ ipso Budæ à Christianis receptæ die Innocentius XI. Pontifex XXVII. creavit Cardinales, & diem hunc singulari festivo officio Nominis Mariæ (sub cujus nominis symbolo Buda fuit occupata) per universalem per-

petuò Ecclesiam dominicâ infra diem ipsius natalem celebrari instituit.

Hamburgi civium discordia.

Hamburgi ad Albim in Holsatia exortam inter cives & senatum, incentore Hieronymo Schnittgero discordiam jussu Cæsaris Dux Cellensis compositurus, militem ejus territorio imponens, Hyeronymum cum uxore extra urbem obambulantem intercipit, quem Hamburgenses in territorio Saxo Lawenburgico assecuti, simul cum Cellensi milite in urbem reducunt, & ob violatum capti sui civis jus, 9. Luneburgo-Cellenses officiales militares capite minuunt, quâ injuria Dux Cellensis offensus Hamburgensem munitionem Heckkatze vi occupat; quam protribunus Maneck cum 700. Hamburgensibus recuperaturus, metu potiùs quàm vi repulsus, globo militari modo in pœnam trajicitur.

Danus Hamburgum cingit.

Rex Daniæ in aqua turbida piscando ob antiquam urbis in suo Holsatiæ Ducatu municipalis (licet Luneburgenses Duces ejusdem sint protectores, nunc autem ob simultatem invasores) prætensionem, civium exigendo homagium, urbem quindecim armatorum millibus cingit, refractariam ignibus vastaturus. quæ res civium cum senatu discordiam demum sopivit, & pactâ cum Luneburgensibus conventione, aliquot eorum legiones in præsidium admittens, intentatam Regis Daniæ vim illusit, cui Schnittgeriana Dano clam favens factio aliquot noctibus urbis portas patefecerat, sed incauti Dani neglexerant, immo urbem ignibus domuissent, nisi fœderis violationem cum Brandeburgo & Luneburgo Rex metuisset, stellatam quidem simulanter

lanter invasit munitionem, sciens occupatu sibi impossibibilem. Res demum interpositione Principum Brandeburgici, Luneburgici & Hassiæ composita est juxta recessum Pinnebergensem anno 1679. factum. Solutâ obsidione ambo proditores Schnitgerus, & socius Conradus Gastram proditionis convicti, decollati, & eorum capita publicè ad urbis portas sunt exposita, juxta Ducis Cellensis in novem Officialium suorum decollatione præsagium: In hoc conorum ludo duos deesse globos, hos sperare Schnitgerum & Gastramum futuros.

Annus 1687.

218. Quartò Idus Januarii 1687. solemni pompâ Romam est ingressus Castelmenius Comes, Jacobi II. Anglorum Regis orator, ejus, & Catholicorum, qui in Anglia versabantur, nomine Innocentio XI. Romano Pontifici obedientiam & obsequia contestaturus. Jam pridem Londini idem legati munus pro Pontifice & Sede Apostolica obierat, & in aula versabatur Ferdinandus de Abdua, Archiepiscopus Amasiensis, publicâ religione ibi fidem suam profitentibus, & sacris suis operantibus Catholicis. Unde spes erat, pacatis animis propediem inter Romanam Ecclesiam & Regnum Anglicanum ea fœdera instauratum iri, quæ tantâ utriusque gloriâ quondam viguerant. Eandem Romam ad finem hujus anni XVI. Calendis Decembris non more amicabili, sed castrensi ingressus est Henricus Carolus Marchio Lavardinus, Regis Ludovici XIV. ad Pontificem orator, ducentis fermè stipa-

Legatio Jacobi II. R. Angliæ ad Pontificem.

Lavardini Romæ legatio pro asylis.

patus armatis absque promiscua tubicinum, ephebòrum, familiarium, & impedimentorum multitudine, quæ penè exercitum referret, ad defendenda Oratorum asyla, seu Franchitias, ab Innocentio abolitas, quibus cum cæteri Oratores jam ab initio cessissent, permissum tamen fuerat Estreo Mareschallo [qui jam ante Innocentii Pontificatum Ludovici Oratorem agebat] illis ad mortem usque uti, vulgato post ejus mortem pontificio diplomate, quod illa abolebat, latâque auctoritate spirituali excommunicationis sententiâ in omnes, qui dicta jura quovis retinere titulo præsumpsissent, de quo exactius & latius *infrà num.* 235.

Ludovici à Cæsare petitio.

Bellum, quod altâ animorum suspicione concipiebatur, futurum obstetricatus est Ludovicus Rex triplici petitione, quam fieri nomine suo Cæsari jussit Idibus Mart. per suum ablegatum, scilicet armistitii, seu induciarum vicennalium conversionis in pacem perpetuam; variarum ditionum cessionis, quas Ducissæ Aurelianensi debitas prætendebat; & fœderis Augustani dissolutionis, quod quasi infensum sibi foret & minax aboleri annitebatur. Cùm nulli ex his petitionibus suâ responsione eo sensu Cæsar obaudiret, quo poscebatur, novo fermento concepta odia acessunt. *Vide num.* 251.

Fames in Ungaria.

Continuatis adhuc in annum 1687. hybernis illud maximè sollicitabat Christianos, quod Budenses præsidiarii domibus & tectis destituti, intensum sub Jove frigido gelu sustinentes ita enervarentur, & QuinqueEcclesienses fame, panis & molarum inopiâ deficerent: Jamque aliquot

quot Turcarum & Tartarorum cohortes apud Essecum confluentes, duce Tartarorum Principis filio ultra Danubium excursionem meditantes, ubi Tungenus Quinqueecclesiarum præfectus intellexit, suam illis haud obscurè significaturus vigilantiam, Sigethensia suburbia, omnigeno commeatu & pecoribus repleta expilat, & flammis subjicit; quem urbani sine mora insequentes cæde suorum 120. repelluntur. Laborabat interim Soldanus Tartarorum principem, seu Chamum & singularis affectûs significatione allicere, & muneribus etiam impellere ac promissis, tum ad maturanda copiosiora subsidia, tum ut fœdus Polono-Moscoviticum quovis Chamus modo dissolveret. Supremus etiam Vezirius ipse literis 6. Martii Albæ Græcæ datis pacem submississimè ab Hermanno Badensi petebat, Tôckelium ligatum in manus Cæsaris traditurus; cui Caraffa Cæsaris rescripsit imperio, pacem cum Porta Ottomannica non sperandam, nisi pro illatis Austriæ & provinciis hæreditariis prius damnis sex æris milliones refunderet; omnes deinde civitates, loca & provincias Hungariæ Cæsari restituendo, omnem Turcicam militiam toto Ungariæ Regno evocaret & extraheret: Confœderatis demum plenariè satisfaceret; Töckelium autem læsæ majestatis reum & rebellem præter hæc extradendum. Ex his Vezirius & Ottomannica Porta Cæsaris facilè mentem, & fervidam belli continuationem intelligentes consternuntur, & maximo percutiuntur terrore, quod legatus Moscoviticus pacto Leopoli cum Polonis fœdere

Pacem iteratò Turcæ petunt irritò.

Viennam appulerit, idem contra Turcas fœdus cum Cæsare percussurus; ideoque Vezirius Essecum, Belgradum & Albam Regalem, proximo expositas periculo assiduo jubet communiri robore: Erlaviæ autem esurienti propter exactam Christianorum vigilantiam succurrere vix poterat.

Heuslerus annonam Erlaviā destinatam intercipit.

Initio tamen hujus anni præfectus Temeswariensis & Tôckelius, ut annonarios Varadini expeditos currus eidem Erlaviæ inferrent, congestitiis tumultuariè copiis, ut fallerent Christianos, hinc & inde vagabantur, donec opportunam nacti occasionem Erlaviam provolant; sed in omnem intendens partem vigilantissimus Heuslerus opportunè eos irruit, & carragine, seu carpentario munitos castro incendiariis sphæris dissipat, fundit, fugatque, & copioso commeatu intercepto suas, & proximas in hybernaculis copias famescentes reficit; Quinque-ecclesias, Siclosiam & Caposwarium Tungeni curâ, & Cæsaris imperio sufficienti Croatæ & Styrii commeatu instruebant, earumque ruinæ, sicut & Budæ hiatus ac scissuræ reparabantur, sublatis ubi ruderibus ingentem Comes Rabatta, Budæ præses, bellicum apparatum, & domesticum miles supellectilem, prædamque haud exiguam deprehendunt: Comes etiam Caraffa eo Abaffium Transylvaniæ principem adegit, ut pro redimendis hybernaliis pactam pecuniæ summam in militare stipendium extraderet, quòd ægerrimè ferebat Tôckelius hactenus ibidem refugium, & à Varadinensi præfecto metuens posthac intercludendum sibi fore subsidium,

um, Mongacio suo admodùm necessarium; plures enim illud arctius occludendum cæsareæ accesserant centuriæ, quæ excurrentes in se Mongacianos cæde 50. illorum rejecerunt, illi captos econtra Cæsareanos manibus remiserunt crudeliter truncatos nullibi ad quidquam idoneos & miseros. Pungebat præterea Tôckelium non tam quod plures suorum Mongacio fugientes Cæsaream induerent militiam, (*Vid. n.* 237.) quàm quòd ejusdem clandestinæ ad uxorem conspirationis literæ fuerint interceptæ, quibus præter omnes alias superioris Ungariæ civitates Cassoviam imprimis Tôckelio propediem ab ejusdem cum eo religionis Lutheranæ consortibus, cæsis ubique urbium præsidiariis Cæsareis extradendam significabatur; cathedrali idcirco ecclesiâ heterodoxi in pœnam exturbati, eaque Romano-Catholicis reddita, & decem proditionis rei binis publicè vicibus capitis, & dexteræ manûs amputatione à rerum capitalium præside Barone de Wallis condemnati, & quadripartiti in totidem urbis Eperiessi compitis ad saniorem aliorum terrorem 5. & 22. mensis Martii prostituebantur.

Congatium arctatur

Cassoviensis proditio

219. Similis Budæ per dimacham Georgium Buttner emanavit proditio, qui lytri defectu per cujusdam Saraceni commutationem è captivitate Alba Regali eluctatus suo vigiliarum magistro Paulo Pissesko detulit, sibi ab adolescente, quo Albæ Regalis præfectus utebatur interprete, ibidem concreditum, quòd Budensis quidam centurio prætextu lytri pro duabus puellis Turcicis sibi solvendi clandestinam fortè literis

Budæ proditio emanat.

ris foveret urbis proditionem; lectis enim 20. Februarii proditoris literis gaudio exultans præfectus Bassa, plenâ manu aurum bajulo donabat rustico, factionemque vicinis protinus communicabat Bassis seu præfectis. Pisseskius rem supremo militarium Præsidi Hermanno Badensi, hic Melchiori Leopoldo Beckio Budensi præfecto sine mora committit, qui Salmensis legionis succenturionem Conradum Finckium de Finckenstein Borussum, ex prædictarum cohabitatione puellarum suspectum in quæstionem vocat; sed ille pernegans, testimoniis bajuli filii, & unius ex puellis de literarum cum Turcis commercio convictus sponte confessus, se pretio bis mille ducatorum Turcis Budam tempore excubiarum, quo sibi urbis ad magnam circularem munitionem claves tradebantur, sopitis vino excubitoribus prodere, & Turcas admittere voluisse. Idem responsoriæ præfecti Albæ Regalis literæ biduo pòst à bajulo rustico in ocrea allatæ confirmabant evidenter, nec diu morati Turcæ, jam tum de occupatione certi Danubium transituri, aggerem ibidem congestitium ab Heiducis defensum tumultuariè involant, & cæsis eorum triginta intercepissent, nisi Tungenus hac de re monitus opportunè vigiliarum magistrum Baronem de Orlick eo submisisset, qui illos captis 5. signis fortiter retudit, cæsis, captis, & Danubio submersis plurimis: ac sic paulò pòst Finckius læsæ majestatis & proditionis reus in publico Budæ pegmate minutus capite, dexterâ truncatus manu, & corpus in par-

partes divisum per urbem expositum est: rusticus autem literarum bajulus cuspide transfixus, infames ambo sexto idus Aprilis perierunt.

220. Æstate veri paulatim succedente, ad magnum Viennæ bellicum venit consilium Carolus Lotharingus, de proxima belli expeditione consultaturus, quæ omnino varia proponebatur: quidam ad securandam Budam tentandam existimabant Albam Regalem, haud captu difficilem; tum occupato Temeswario, atque ita occluso refrenatoque Varadino, facilem in Transylvaniam patere aditum. Plures intercepto facile Esseco secludi & avelli Albam Regalem, Sigethum & Canisam, sumptisque per Sclavoniam hybernis tutiorem proximè commodioremque Belgradum aggrediendi viam sterni posse. Alii Varadinum recuperando universam haud ægrè Transylvaniam subjiciendam, & in majorem superioris Ungariæ securitatem Erlaviam seu Agriam invadendam. Pauci beneficio danubii post captum Essecum, ceterasque adjacentes urbes, arces & munimenta, tentandum suadebant Belgradum, Ungariæ, Sclavoniæ, Bosniæ & Serviæ domitricem, & circumlato Constantinopolim usque terrore Turcicum concutere imperium. Multi huic contrarii sententiæ periculosum fore maximè ajebant, Ottomannici viscera regni penetrare, relictis tot post tergum munitionibus, robore & præsidio validissimis, quæ militare omnino subsidium, commeatum, apparatumque bellicum impediendo totum possent destruere exercitum; nec ita fa-

Variæ hujus anni expeditionum sententiæ.

facilè Savum Dravumque posse transiri; & iis superatis Ungariam milite destitutam funestissimis hostium exponi excursionibus, & amittendo illa periculo, quæ tanto labore, & Christianorum parta sunt sanguine. Carolus postremò omnem urbis & munimenti alicujus dissuadebat obsidionem, antequam hostis campestri & decretorio superatus prælio, & terrore fuerit dejectus: quo devicto gravissimas etiam expeditiones fore facillimas, urbesque ad nutum vincentium flexibiles. Placuit hæc ultima Cæsari sententia Caroli, cujus prudentiæ militarique scientiæ omnem committit expeditionem.

Mensis igitur Maji initio evocantur legiones ad diribitorium ex provinciis hæreditariis Barckanum, ex superiori Ungaria Zolnockum: pluresque viri graves ad proximam Caroli expeditionem confluebant Viennam, ex Anglia Principes Berwick, & S. Albani, ex Hispania multi Grandes, & equestris ordinis filii, ex Belgio Carolus Lotharingus Vaudemontii filius, & plures alii volones Cæsaris militiam amplexi. Copiis ita confluentibus Albæ Regalis præfectus sibi metuens 30. Spahos seu equites Belgradum subsidium petendi causâ mittitat, qui omnes, quatuor exceptis ab Ungaris interempti. Segethenses etiam 400. boves Albam Regalem deducentes, tribunus Straffer opprimit: Agrienses fame per hyemem vexati dum frumentatum excurrunt, tribunus Semsejus eos ad oppidi portas persecutus, abreptis 100. bobus majori subjicit necessitati, & pluribus per Caraffam submissis centuriis arctius includit. Supremus

Agria arctius includitur.

in-

interea Vezirius omni qua poteſt cura Belgradum & Eſſecum novo robore, & duplici militari ſepe circumvallat, conaturque fœdus Cæſareo-Moſcowiticum ratum & confirmatum infringere; verùm ſurdis canebat auribus; eorum namque archiſtrategus Baſilius Galiczynus ingentem quidem 90000. exercitum in Præcopenſes ad Boriſthenem Tartaros, ſed abſque ſingulari movet effectu.

Interea temporis Carolus Lotharingus militariter Budæ exceptus, viſis ibidem reſtauratis mœnibus, vallis & propugnaculis Tolnam luſtraturus exercitum pergit, quo etiam Bavarus & Caraffa Zolnocko cum altero ſuperioris Ungariæ tendunt exercitu; unde Carolus conjunctum exercitum verſus Danubium jubet progredi, & haud procul, uno & dimidio milliari, Mohacio ponte eundem ſublicio inſterni, quòd referentibus exploratoribus Turcas Petrowardini ſimilem Danubio impoſuiſſe audiret, ut fameſcenti ſuccurrerent Giulæ; jamque in procinctu videntes Bavarum appropinquantem, fugam ocyſſimè capiunt. Dardenſes etiam non expectato Chriſtianorum adventu Eſſecum transfugiunt, quos dum eo ſecutus Carolus, illico magnus operariorum numerus pontis Eſſeckienſis loco aggerem concædibus, cæſpitibus & quercubus intermixtâ humo (ne igne læderentur) congeſtitium à Danubii litore Dardam uſque, latitudine quatuor ſimul caruccarum capacem ab octo jam menſibus extruentes, ad tutiora ſe recipiunt: declinante autem die audacius equitum agmen navalem Dravi pon-

tem

tem explorans, ob continuas tormentorum ex urbe & arce ejaculationes vix humicubantes eundem vallaribus sudibus, & altâ præmunitum foveâ cognoscunt. His licet obstantibus bis mille pedites ductu Guidonis Starrenbergii & Souchesii pontis munitionem invasuri, furioso prius Janizarorum impetu & igne aggrediuntur: illum Cæsareani confertis ordinibus fortiter sustinentes, ad furcatos usque stipites illos repellunt, succenturiatique mox pyrobolarii perruptis sudibus ad oppidi portam rejiciunt, inde novo Janizarorum globo erumpente dum Cæsareanorum ibi sistitur impetus, Carolus ignem ponti admoveri jubet, præcisisque anchoraliis totus in flammas abit & cineres.

Esseckensem pontem reparatū Carolus incendit

221. Vezirius Cæsareum intelligens Dravum inter & Essecum considere exercitum, Siausium Aleppi præfectum cum copiis Petrowardini commorantibus eò amandat, ut castrenses vastæ longitudinis & latitudinis fossas ab apostata Marchione Persano suggestas, & loricis subdibusque vallatas appropinquanti suo octoginta millium exercitui præpararet inaccessibiles, quod Carolus ægerrimè ferens, prælio cum hoste decertare magis cupidus, Ottowari Dravum nivalibus Styriæ & Carinthiæ montium aquis nimium intumescentem magno cum labore & difficultate, cautâ simul etiam vigilantiâ trajicit (Vezirio id plures errori, dolo alii vertebant, quòd trajectâ exercitûs Christiani parte, alteram haud difficulter in tam rapidi fluminis & paludum discrimine potuisset opprimere) ubi in convocato bellico consilio periculosum admodùm

modùm videbatur hostem numero superiorem, & tam validis communitum loricis & sudibus aggredi; attamen provocare ad certamen, eundemque lacessere & prolicere gloriosum esse, & conandum. Quare unitis exercitûs viribus Walpo arcis, Savum inter & Dravum sitæ deditionem postulat; sed contumacem, ne detineretur exercitus, præterit, & circa vesperum hostilem offendit exercitum, duplici, ut prædictum, vallo, fovea, sudibus, campestribusque ultra centum tormentis probe communitum, & die altero instructa in hostem acie movet: Vezirius autem in suo securè delitescens latibulo, decretoriam declinabat pugnam, id subdolè intendens, ut tumultuariis sæpè velitationibus vires minueret Christianorum, cunctandoque commeatus eorum deficeret, & totus demum exercitus noxiis aëris, palustrisque loci humoribus planè enervatus, elapso sine fructu bellandi tempore abire cogeretur, & plurimi interea iteratis tormentorum ictibus cadere possent christiani. Cùm horis plusquam 46. plenis Carolus ordinibus hostem proditurum frustra expectasset, quid bellicum suaderet consilium percunctatus, omnes abitum expedire potius, quàm invitum ad prælium hostem, omni annonæ, pabuli, apparatusque copia abundè provisum, & in suo securum latibulo prolicere asserebant, quibus Christianus econtra exercitus multo tœdio noxioque aëre affectus deficeret. Commendatis igitur Piccolomino impedimentis, instructâ acie exercitus Siclosiam versus contendit, & primâ nocte dimidio Esseco

Turcis in castris inaccessibiles pugnam declināt

milliari confidens, die altera tardis licet ad Dravi pontem passibus procederet, plurimos tamen in itinere homines, equos & pecora fame admodùm enervatos stagnantes ubique paludes, & hostiles crudeliter harpes consumpsere: Spahi enim seu equites turcici & Tartari postrema continuò carpentes Christianorum agmina plures neci aut captivitati mancipassent, nisi singularis Electoris, Badensis, & Eugenii Sabaudi ubique præsentium vigilantia & fortitudo eorundem compescuisset invasionem. Pontem assecutus tandem Carolus Dravum cum exercitu vix pertransierat, cùm Vezirius quatuor mille equites Mohacium versus amandat annonarias Christianorum naves & apparatûs carrucas diripere, quas Orlickius baro sexcentis equitibus defendens circumcingitur; confertis tamen ordinibus rem ita fortiter gerit, ut servatis victualibus centum amiserit equitum capita, hastis in trophæum castris illata. Prosperas hasce velitationes, & studiosam Christianorum fugam arrogans Solimannus Vezirius tanquam ignominiosam & turpem magno suo velocissimè Soldano, & præfectis Albæ Regalis, Agriensi & Sigethensi significans gloriosam ubique ciebat victoriam, tormentorum boatu exceptam; atque ita è suis prodiens latibulis, Dravum quoq; cum exercitu Esseci transmittit, & Bornewarii inter paludes, uno à Christiano exercitu milliari considet, loricis & castrensi ita circumdatus sepimento, ut nec inde in publicum provenire campum, aut prælium velle videretur. Mohacium verò celebre oppi-

Exercitum Christianum carpunt, fugam simulantem.

Mohacii descriptio.

dum inter Batham & ostia Dravi fl. ad ripam Danubii (qui supra Batham in duos dividitur alveos, insulam conficiens) situm, episcopatûs Quinqueecclesiensis, habet circa se quaquaversum ingentem planiciem, nullis collibus vel silvis; locis tamen hinc inde palustribus, & Krasso lacu ab incolis appellato impeditam.

222. Ne igitur inanis recideret hujus anni expeditio, & florentissimus Christianus exercitus ab exitioso aëre, indeque morbis indies invalescentibus conficeretur, Albæ Regalis, vel alterius obsidionem urbis Carolus meditatus, eversis igne Quinqueecclesiis & Siclosiâ arce, Budam versus quasi moturus, alam dexteram ad radices montis Harscham, sinistram Bavarus ad Bornewarii colliculos in campis Mohacianis, unico ab hostibus & Siclosia milliari collocant. Vezirius secundam hanc fugam interpretatus meticulosiorem, Persani transfugæ consilio, & Rebellium hortatu Christianum aggredi exercitum, antequam loricaretur, omnino statuisse transfuga adolescens græcus deferebat, eorundemque jam tum stativa sex mille equites speculaturi, & prima Caroli agmina invasuri prævolabant: sinistram quoque Electoris Bavari alam debiliorem existimantes, octo Spahorum millia à tergo, & à latere sex Janizarorum millia furioso invadebant impetu, spe Electorem capiendi, & honestiores pacis conditiones hoc ipso obtinendi, collemque à Bavaro pridie desertum occupantes, omni quo poterant conatu illum à dextera Caroli ala submovere ac separare, sicque illum

Prælium Mohacianum.

circumcingere intendebant; sed generoso Bavari, audacius ad aciem prævolantis, atque ita saucii, hortatu & adminiculo (Fidite, nam justi comes est victoria belli) omnem eorum retundebant fortiter vim & impetum; Badensisque prædicto Turcas depellens colle, insignem prælio addit virtutem; nam locum repetentes, tormentis longè sunt rejecti. Carolus ubi jam prælium cernit inardescere, submissis extemplò ad proximum saltum aliquot agminibus (ubi maximam Turcæ vim in alam exerebant sinistram, quemque ideo saltum Dunwaldus jussu Caroli ad hostis tergum & latera perrumpenda ob densitatem penetrare non poterat) toto simul in hostem fortiter vadit exercitu, tantoque aggreditur impetu, ut subito Spahi terrore confusi trepidare, Badensis & Commercius acrius instare, perrumpere Bavarus; illi loco cedere & fugam capessere, quam Janizari sistere contendentes, majorem Spahis incutiebant terrorem, & celeriores fugiendi alas addebant; uti & ipsi equitatu destituti, octo eorum millia abs ceteris disjuncta cum suo Aga internecivè deleta, & in turpem se reliqui fugam conjiciunt Essecum petentes. Persequitur eos ad castra usque Eugenius Sabaudus, primus eorum sepimenta transcendens, & Comes Castellus, quos pone secutus Bavarus castra involant & diripiunt. 3000. aquis & paludibus sunt submersa, 2000. capta, dicunturque universim cæsa 16000. reliquis nox per saltus, nemora & paludes dedit effugium: Christianorum circiter mille desiderari. In vincentium manus

Turcæ cæduntur & castris spoliantur.

castra

castra devenerunt cum 66. tormentis, quorum quatuor ingentis magnitudinis, mortaria X. ultra 40. vexilla, castrense grammatophylacium, magnus papilionum numerus, trium horarum latitudine extensus, & in pretiosissimo bis septem turrito Vezirii papilione 50000. imperialium æstimato, imperatorium supremæ potestatis vexillum, dives auri, vestium, arcuum, harpiumque auro & gemmis expolitorum copia, impedimenta omnia, amplus bellicus pro recuperanda Buda apparatus, & annona omnis generis abundantissima, exhaustis per triduum fame & labore militibus (qua ex causa hostis etiam ulterius persequi non potuit) admodùm delitiosa, tantaque rerum omnium, & pulveris nitrati erat affluentia, ut aliquo tempore totus exercitus ali poterit: aurum quinque milliones æstimatum, unde gregarii milites lixæ & calones fussertis pileis insigniter sunt felicitati. 7000. boum, 6000. equorum & mulorum, 1500. camelorum, & infinitus aliorum jumentorum numerus. Die alterâ, quæ erat 13. augusti, pijssimus, & in Europa sanctimoniæ famâ celebris P. Marcus ab Aviano Capucinus ad Vezirii papilionem concione publicâ sub Davidis *psal.* 30. themate: *In te Domine speravi, non confundar in æternum.* Ad referendas armipotenti Deo gratias totum exercitum, cantatoque cum trino tormentorum jubilo epinicio *Te Deum laudamus*, Carolus gloriosæ hujus Mohocianæ victoriæ trophæa & nuntium Eugenium Sabaudum, de hac optimè meritum, dimisit Viennam, Venetorum victoriis adhuc

Ingens spoliorũ commeatûs & apparatus copia.

ovantem, & exclamantem : Felix, faustusque ille duodecimus Augusti dies! qui Christianum tandem & regium Ludovici II. Ungariæ Regis XXXII. sanguinem in hisce Mohacianis olim campis anno 1526. crudeliter effusum ultricibus vindicavit armis, & Ottomannicum iniquissimo perfidiæ suæ gladio propagatum hucusque imperium fatali concussit tremore, quemadmodum binis Solimannus Vezirius literis ad electorem Bavarum & Carolum Lotharingum datis, & meritam præsidiæ suæ pœnam agnovit, & pacem humillimè est deprecatus, qui recollectis quidem tumultuariè 23. Spahorum seu equitum millibus, 3000. Janizarorum, & tribus Rebellium sub Tôckelio millibus Carolo aditum in Transylvaniam obpessulare moliebatur; sed magna inter Vezirium, Janizarorum Agam, & exercitum discordia omnia confundens & dissipans, periculosum spectabat tumultum & seditionem, Vezirii tamen eloquentiâ & remonstrationibus demum mitigatam; neque enim loco suo inaccessibili egressus prælium tentasset, nisi biduo antè magnus Soldanus per cursorem imperasset, & Christiani aliqui persuasissent, quorum tria post pugnam cadavera in Vezirii papilione sunt inventa: Consilium consultoribus pessimum. Æternum profectò gloriosa hæc victoria Carolo per Europam universam gloriæ pondus addidit, ejusdemque participem fecit Electoris Emmanuelis generositatem cujus toga plumbeo Janizari alite perforata manum leviter perstrinxit.

Post hæc Henricus Joan. Comes Dunwaldus

dus

dus & Souchesius cum XIV. legionibus ad tuendos augendosve Croatiæ fines sunt destinati; reliquus verò exercitus in alteram danubii partem translatus est ad ceteras arces & oppida in potestatem Cæsaris redigenda. Jussus etiam Erdödus Croatiæ Banus turcica in Ungariam submittenda impedire & cohibere subsidia, armaque promovere. Hic igitur trajectâ Unnâ fl. Castanowitzam & Dubizam capit, diripit & tradit vulcano: Dunwaldus autem bis mille Ungaris sub Comite Budiano auctus arcem Butschinam Dravum inter & Savum altæ insidentem rupi deditione occupat.

223. Et Carolus Petrowardino exercitum in Transylvaniam traducturus, Abaffium principem sui admonet adventûs, ut hospitia hybernaque militi itineribus morbisque exhausto designaret (plurimi enim tùm homines, tum jumenta salebrosis palustribusque viarum difficultatibus fracta decedebant) ubi Debrezinum venit, refecto affatim exercitu aliquot Marchioni Doriæ agmina ad includendam arctius agonizantem Agriam, seu Erlaviam submittit, & duas Posonium legiones equestrem loricatam Palffii, & pedestrem Starrenbergii pro instanti Josephi Regis Ungariæ coronatione: cum reliquis Semblium attingens, oblatam quidem Abaffii per Commissarios fidem excipit hucusque inconstantem, & Cæsaris voluntati insufficientem, quæ ut firmiori stabiliretur pacto, Scherffenbergum & Falckenheimium ad Principem amandat; inde Claudiopolim petit, ægrè admodùm in urbem, terrore tandem incusso admissus, *Carolus cum exercitu transit in Transylvaniã*

 qua-

quatuor sub Guidone Starrenbergo legiones immittit: & quia Princeps & Transylvaniæ status in Cæsaris adhuc fugiebant postulata descendere, metropolim adit Hermenstadium, vim illaturus. Pactis tandem sic utrimque conventum; Transylvania Cæsareano exercitui subministrabit hyberna, annonam, pabulum, & militarem æris collectam, certis terminis solvendam; liberum quatuor religionum permittetur exercitium: jura, libertates, bona civium, commeatus & apparatus urbium maneant inviolata: hostem Transylvaniam invadentem Cæsareani avertent, & defendent, fœdusque idcirco Cæsareo-Transylvanicum defensivum juramento utrimque roborabitur: Princeps & filius ejus successor Michaël Abaffius in sua manebunt jurisdictionis, dignitatis & regiminis possessione: proximo vere Transylvania Cæsareano evacuabitur præsidio, nisi aliud belli exegerit necessitas: universalis denique omnium sit amnestia. Rebus sic ad votum confectis Carolus copiis Croji & Scherffenbergi imperio commissis, per superiorem Ungariam (cujus præfecturam Caraffæ tribuerat) Viennam contendit victoriarum palmis & lauris gloriosissimus.

Pacta cum Transylvanis inita.

224. Interea Ariezaga Leopoldopolis præfectus cum limitaneis copiis Czokaviam validam arcem ad voluntatis suæ coegerat deditionem, annonâ & XX. tormentis bellicis divitem, & paulò pòst Palottam, oppidum non invalidum. Henric. Joan. Comes Dunwaldus etiam arcem Walpo frustra à Carolo nuper tentatam, dum adhuc contumacem impugnat

pugnat

pugnat, Hoffkirchium Comitem cum aliquot centuriis jubet Essecum excurrere, cujus approximatio tantum præsidiariis incussit terrorem, ut clausis à Præfecto portis per muros se, bonaque sua dimiserint, & adultâ lunâ aufugerint: quam fugam referenti rustico nullam DUNWALDUS fidem adhibens, dum intentatâ morte constans nihilominus rusticus asseveraret, aliásque fidelem Heuslero probasse operam audiret, Ladronum tribunum justo cum equitatu ad occupandum locum revera vacuum ablegat, 52. tormentis, & ingenti commeatu, apparatuque bellico instructum. Vix illud Ladronus tenuerat, cùm serâ ducti pœnitentiâ Turcæ, vexillationibus aliquot reversi jam captum indolentes, abs appropinquantibus Germanis in fugam sunt conjecti, verê experti, quod ait *Cicero ad Torq.* Plus in metuendo esse mali, quàm in eo, quod metuatur. Hæc insperata Esseci sine ulla jactura occupatio etiam Walponibus videbatur incredibilis; at ubi Esseckensibus verberabantur tormentis, captivos se tradunt DUNWALDO, qui Essecum ingressus lautè reficit exercitum, gratiisque DEO pro catenatis hucusque victoriis, omnium tormentorum boatu actis, illud Stratego Comiti Aspermontio commendat, prædictoque rustico intentatæ loco cuspidationis insignem confert remunerationem. Faustum verò illud tormentorum Esseci jubilum horrendum fuit in vicinis Turcarum præsidiis tonitru, quod illos Walkowario, Satino, Ormiza, Zwovicza, Slanckano, Carlowizo,

Essecum Dunwaldus fugiente præsidio occupat.

Dein Sclavoniæ regnum subjugat

dejectus & Solimannus III. exaltatus.

no est dejectus, in quem frater ejus Solimannus III. ex quadraginta annorum carcere urbis & exercitûs gaudio & acclamatione est elevatus, in cujus locum Mahometes cum Mustapha filio viginti annorum principe est detrusus, postquam paulò antè Vezirium Ibrahimum Caram, Rhodum, ut dixi, relegatum, & Abdulam Muffiium, ac postremò Solimannum Vezirium laqueo sustulisset.

Restabat inter Cæsareanos undecim legionibus, seu 14. circiter millibus citra hæreditariarum provinciarum damna & molestias assignare hybernacula: sollicitæ hac de re Viennensi aulæ promittit Caraffa illis non solùm hyberna, sed etiam vestimenta & stipendia &c. affatim subministrare, modò Cæsar plenam illi permitteret dispositionem; quâ concessâ, uni Debrecino decem millium domorum oppido, opibus & mercaturâ opulento, sed in utramque hucusque partem clandestinis subdolè factionibus claudicanti Caraffa prædicta 14000. imposuit, & finitis hybernis hic miles plenè stipendiatus, & militari habitu, ærarioque campestri optimè instructus, cum omnium admiratione prodiit in campum; quo tamen oppidum ita exhausit & enervavit, ut ad stipem omnino redactum, & ab Ragotzianis postmodum Rebellibus ita est devastatum, ut ab omnibus desertum & vacuum versum sit in solitudinem.

Debrecinum oppid. plane enervatũ.

226. Recuperatâ jam Buda regni metropoli, devicto in campis ad internecionem inimico, subactâ Transylvaniâ, & toto, exceptis paucis, Ungariæ regno in potestatem Cæsaris fausto armo-

armorum ſucceſſu redacto, Cæſar Regni Ungarici patres Viennam convocans mentem ſuam, primogenitum ſcilicet ſuum Joſephum I. coronæ ungaricæ Regem hæreditarium inaugurandi aperuit, qua de re ſæpius Cardinalis Collonitſchius cum Patribus conſulens, circularibus literis omnes regni Ordines & Comitatus ad generalia Presburgi comitia accerſendos fore neceſſarium conſenſerunt; quo Cæſar etiam cum conjuge, magnoque legatorum & aulicorum ſyrmate ad finem menſis Octobris profectus, Wolffsthalii ab Agrienſi Epiſcopo, Georgio Fineſio, Pannonico miræ eloquentiæ & prudentiæ Cicerone Patrum nomine eſt exceptus: *Vix ſacra Majeſtas Veſtra*, ajebat, *Auſtriæ egreſſa fines, & luctuoſam hactenus ingreſſa Ungariam, deſideratiſſimus ejuſdem aſſertor finem cunctis impoſuit miſeriis & calamitatibus; mihi proinde ab Ordinibus delatus eſt honor & officium ſalutandi illum, qui tot provinciarum victor, & regni conſervator novum daturus eſt nobis ſalvatorem, Joſephum Archiducem, nomine ſalvatorem: uti enim Pharao Ægyptiis olim Joſeph donando omnem conſervavit populum; ſic ſacra Majeſtas cum Joſepho Archiduce hæreditario omnem apoſtolico ſuo ſubmiſſiſſimo ſibi ſubjecto regno confert felicitatem. Fauſtâ igitur veniant congratulatione, hilarique animo Sacræ Majeſtates; & cùm nunc in Regni hujus ingreſſu Archiducis veneremur parentes, in egreſſu Regis effectores cum plauſu & jubilo congratulemur.* Tum ad Archiducem: *A te autem Sereniſſime Archidux, ob triumphales parentis victorias*

Cæſar in comitiis ungaricis filiũ Joſeph. Regem inaugurari poſtulat.

ctorias austriacâ virtute partas, ad te propagatas, plura & illustriora quàm à prædecessoribus auguramur & expectamus trophæa. Die alterâ 31. Octobris Cæsar absoluto in capella aulica divino officio, ad Senaculum à Patribus comitatus, Maholanus regni cancellarius comitiorum indictionem ungaricâ lingua proponit, latinè breviter à Cæsare repetitam, & supremus aulæ cancellarius Comes Stratmannus Patribus clausis sigillatisque tradit literis: Quòd quia Cæsar tot regnum Ungariæ periculis, sumptibus, laboribus, & tanto Germanorum sanguine Turcarum feliciter faucibus eripuerit, jure sibi proinde belli imposterùm vendicaret hæreditarium, primogenitumque suum Josephum (urgente id summo per Nuntium Apostol. Cardin. Bonvisium Pontifice) hæreditarium ungarica inaugurarent coronâ. Tum illam Andreæ II. Regis legem anno 1222. latam: *Statuimus etiam, quòd si nos, vel aliquis successorum nostrorum aliquo unquam tempore huic dispositioni nostræ contraire voluerit, liberum habeant, harum auctoritate, sine nota alicujus infidelitatis, tam Episcopi quàm alii Jobagiones, ac Nobiles regni nostri universi & singuli, præsentes & futuri, posterique resistendi & contradicendi nobis & nostris successoribus in perpetuum facultatem.* Hanc, inquam, legem & statutum non humanæ solum rationi, sacro codici, & politico contravenientem regimini; sed omnium hactenus factionum nutricem exitiosissimam tollerent, unde indubitata regni quies, salus & augmentum sint proventura. Commendatâ denique imprimis justitiâ dies intra quindenos absolvenda postulat comitia. Con-

Legem Andreæ II. abrogat.

Consensere Ordines omnibus unanimes, factoque publicò sublatæ legis Andreæ, regnique in perpetuum hæreditarii instrumento confirmarunt, & decreverunt coronationem: quam Töckelius publico libertatis tuendæ Manifesto, sed frustra, impedire conabatur; imo addiderunt Patres, ut deficiente Leopoldi stirpe, quod Deus avertat, virilis Austriacæ Hispaniæ hæres in hoc Ungariæ regnum succederet, Et sic Josephus Archidux decennis Posonii 9. Decembr. die, altera post immaculatam Virginis Mariæ Regni Patronæ ac Dominæ conceptionem, in templo S. Martini in præsentia Cæsaris, Imperatricis, Card. Bonvisii Nuntii Apostolici, Card. Collonitschii, aliorum legatorum, & regni Ordinum solemni & consueto patriæ ritu S. Stephani Regis pallio & corona à Georgio Szelepcheno, alii legunt Szechino, Primate & Archiepiscopo Strigoniensi, & Palatino Esterhasio, assistentibus Stephano Ciako, Croatiæ Banno, Joanne Drascowicio regio aulæ Præfecto, & Adamo Serino Regni Mareschallo coronatur. Szelepchenus 86. annorum senecio facundam orationem suam gaudio illacrimans concludebat: *Nunc dimitte servum tuum Domine, quia viderunt oculi mei salutare tuum, & sedente Romano Pontifice Innocentio, hanc in throno innocentiam, Josephum, coronaverim,* Tum ad reconciliandos regnicolarum animos generalis omnium amnestia per Carolum Lotharingum anno 1684. Presburgi publicata, rursus fuit confirmata, (excepto Tôckelio & contumacibus ejus consortibus) & criminale judicium Eperies

Ungaria nunc regnum hæreditarium.

Joseph Rex Ungariæ coronatur.

riesi in regiæ Majestatis reos & regni proditores hucusque continuatum, neo-Regis clementiâ sublatum est & rescissum. Peractâ coronatione in Franciscanorum templo creavit neo-Rex Equites aurei calcaris sexaginta Germanos & Ungaros, & extra S. Michaëlis portam præsentibus Archiepiscopo Strigoniensi, Regni Palatino, & supremo suæ aulæ præfecto Comite Salmensi consuetâ aliàs formâ, excepto Andreæ II. statuto, præstat juramentum, vibratoque in monte regio in quatuor orbis partes ense, ad regium 28. mensarum convivium se confert: utque Badensis Cæsaris animum, morte Comitis Rabattæ, indefessi generalis Commissarii bellici exulceratum deliniret, equestres hippomachias ludos instituit; sed lætius recreavit Agriensis fame coacta deditio.

Agria sive Erla fame coacta.

227. Quam Marchio Doria occupatis montensibus arcibus Czerepo, Sirocko, & Sarvaska, omni spe subsidii & annonæ sublatâ in sextum jam mensem tam arctè incluserat, ut arborum folia, maceratum corium, humana cadavera, aliaque abominanda fuerint in delitiis. Rusteinus enim præfectus, insignis homo temeritatis & feritatis, lentâ potius cum præsidiariis morte se invicem consumendo, quam Christianis urbem tradere maluerunt: quorum pertinaciam captus confirmabat Ungarus, palam mendaciter asserens, Christianos ad Essecum fusos penitùs fugatosque esse. Hos convincendi gratiâ quatuor in Mohaciano captos prælio Janizaros in urbem Doria dimisit, ut captum referrent Essecum, & Turcarum in campis Mohacianis

cianis internecionem; sed præfecto eos non admittente, infelicem suorum stragem narrant vigilibus; quâ passim per urbem vulgata, tumultuantes præsidiarii urbem tradi postulant, ad quos Rusteinius: *Qui sunt hi tumultuosi sermones vestri? ergone commilitones mei falsus & dolosus hostium sparsus rumor vestram hactenus inconcussam dejiciet constantiam? an urbem armis invincibilem hostili cedetis dolo? cogitate urbem ab ipso Mahomete III. cruentâ satis duorum exercituum strage occupatam non ita facile extradendam: paucos sustinete fortiter dies, quibus vel adveniente subsidio hostium ferro liberabimur, vel ut generosi milites viriliter pugnando gloriosam potius subibimus mortem, quàm truculentis Germanorum manibus tradamur.* Quâ erecti oratione præsidiarii resumunt animos; sed cùm nuntius ad Vezirium missus à Doria interceptus, & in urbem remissus, cunctos referret aditus subveniendi arctius interclusos, terrore percussi Rusteinium vi ad deditionem adigunt, qui impetrato à Caraffa libero discessu, pactisque ab ipso Cæsare subscriptis, præsidiarii fame ad terrorem enervati Varadinum sunt traducti, postquam Ottomanni urbem ab anno 1596. hucusque possedissent. *Vid. num.* 239.

Eodem hoc anno Leopoldus Cæsar, votum flagrante Viennæ peste Deo factum exsoluturus, primum Columnæ lapidem posuit sic aureo nummo inscriptum: *Sacrosancta Trinitati votum exsoluturus columnæ hujus primum lapidem posuit* 30. *Julii* 1687. *Benedicta & laudata sit Ss. & individua Trinitas Pater, Filius, &* Ss. Trinitati Cæsar columnam erigit.

Spiritus ſanctus, Amen. In altero latere inſculptũ Cæſaris nomen & titulus. Vigeſima ſecunda Auguſti Joſephus quoque Archidux primum Carmelitarum templi lapidem poſuit ad foſſam limoſam ſic inſcriptum: *Joſephus Archidux Auſtriæ.* In altero latere: *Pro gloria Dei cedat, primum poſuiſſe lapidem in domo Domini 22. Auguſt. A.* 1687.

Ingens Moſcorum exercitus plus damni quàm commodi fuit.

228. Ingentem Moſcorum bellicum apparatum, & numeroſiſſimum 300000. exercitum in Tauricam Cherſoneſum, ſeu Præcopenſes & Crimenſes Tartaros à Baſilio Galiczyno educendum mirabantur & ſtupebant omnes; immo non ſine rationabili fundamento prævidebant Confœderati Galiczynum græcâ fide, multisque ſpecioſis ſubdolè prætextibus nihil effecturum, & plus ſuo ac Polonico quàm hoſtico nociturum ſolo; Poloni namque numeroſiſſima Moſcorum potentiâ nimium ſiſi, dum expeditionem more ſuo differunt, Tartari majori ſolitò temeritate & feritate Volhiniam, Ucraniæ provinciam invadentes omnia ferro & flamma, & regia imprimis bona crudeliter devaſtant:

Tartari Volhiniam vaſtant.

Polonis eam ob cauſam apud Moſcum conquerentibus hoc retulerunt reſponſum. Hæc ſuæ Poloni imputent inertiæ & cunctationi, comitiorum & animorum diſcordiis, expeditionem continuò impedientibus, quam ſi in Tartaros maturaſſent, non hi Moſcorum etiam granaria ignibus ſubjeciſſent, & ad patriæ ſuæ defenſionem, exercitûsque conſervationem impuliſſent. Hæc tamen Tartarorum in Poloniam incurſio, ad maturandam tandem expeditionem Polonos inci-

incitavit, quam turcicus Seraskierus præveniens magno Caminecum commeatu & apparatu instruxit. Et tartarorum Chamus ut dejectos Turcarum animos aliquantulum erigeret, transmissis aliquot Constantinopolim mancipiorum millibus Soldano significat, se ingenti Moscorum non terreri exercitu, sed non exiguum se contra illos ducturum non numero, sed animo fortiorem, iterataque in Poloniam prius incursione, non contemnendum Vezirio in Ungariam militare suppeditaturum subsidium, quod haud gravate poterat, Galiczyno exercitum eo tempore ad hyberna dimittente, quo alii in campum solent producere; nec Polonorum diffidentium metuere poterat aggressionem, quòd Rex nobilitatem Javoroviam, & supremus campi Mareschallus Jablonskius ad alium locum ad diribitorium convocaverit; Polonorum itaque frustranea hujus anni fuit expeditio, velut corpus recedente animâ elanguet. Ita Sarmaticus absente Rege sexdecim millium exercitus fuit sine vegetativo motu & viribus: Rex enim infirmâ corporis valetudine, & gallici dehortatione medici, uxorisque denique lacrimis domi detinebatur, & Jacobus Regis filius Caminecum quidem pyrobolis septingentis infestabat; sed audito Turcarum & Tartarorum adventu, ponteque Boristhenis intumescentiâ fracto, domum re infecta rediêre. uti & numerosissimus Moscorum exercitus deflagratis ultra Boristhenem per Tartaros campis ad sua coactus fuit remeare; quem Samoelovicius Cosaccorum Zaporovensium Generalis prodere moliebatur: de-

Polonorum socors in Caminecum expeditio irrita

ovantem, & exclamantem : Felix, faustusque ille duodecimus Augusti dies ! qui Christianum tandem & regium Ludovici II. Ungariæ Regis XXXII. sanguinem in hisce Mohacianis olim campis anno 1526. crudeliter effusum ultricibus vindicavit armis, & Ottomannicum iniquissimo perfidiæ suæ gladio propagatum hucusque imperium fatali concussit tremore, quemadmodum binis Solimannus Vezirius literis ad electorem Bavarum & Carolum Lotharingum datis, & meritam præsidiæ suæ pœnam agnovit, & pacem humillimè est deprecatus, qui recollectis quidem tumultuariè 23. Spahorum seu equitum millibus, 3000. Janizarorum, & tribus Rebellium sub Tôckelio millibus Carolo aditum in Transylvaniam obpessulare moliebatur; sed magna inter Vezirium, Janizarorum Agam , & exercitum discordia omnia confundens & dissipans, periculosum spectabat tumultum & seditionem, Vezirii tamen eloquentiâ & remonstrationibus demum mitigatam ; neque enim loco suo inaccessibili egressus prælium tentasset, nisi biduo antè magnus Soldanus per cursorem imperasset, & Christiani aliqui persuasissent, quorum tria post pugnam cadavera in Vezirii papilione sunt inventa : Consilium consultoribus pessimum. Æternum profectò gloriosa hæc victoria Carolo per Europam universam gloriæ pondus addidit, ejusdemque participem fecit Electoris Emmanuelis generositatem cujus toga plumbeo Janizari alite perforata manum leviter perstrinxit.

Post hæc Henricus Joan. Comes Dunwaldus

dus & Souchesius cum XIV. legionibus ad tuendos augendosve Croatiæ fines sunt destinati; reliquus verò exercitus in alteram danubii partem translatus est ad ceteras arces & oppida in potestatem Cæsaris redigenda. Jussus etiam Erdödus Croatiæ Banus turcica in Ungariam submittenda impedire & cohibere subsidia, armaque promovere. Hic igitur trajectâ Unnâ fl. Castanowitzam & Dubizam capit, diripit & tradit vulcano: Dunwaldus autem bis mille Ungaris sub Comite Budiano auctus arcem Butschinam Dravum inter & Savum altæ insidentem rupi deditione occupat.

223. Et Carolus Petrowardino exercitum in Transylvaniam traducturus, Abaffium principem sui admonet adventûs, ut hospitia hybernaque militi itineribus morbisque exhausto designaret (plurimi enim tùm homines, tum jumenta salebrosis palustribusque viarum difficultatibus fracta decedebant) ubi Debrezinum venit, refecto affatim exercitu aliquot Marchioni Doriæ agmina ad includendam arctius agonizantem Agriam, seu Erlaviam submittit, & duas Posonium legiones equestrem loricatam Palffii, & pedestrem Starrenbergii pro instanti Josephi Regis Ungariæ coronatione: cum reliquis Semblium attingens, oblatam quidem Abaffii per Commissarios fidem excipit hucusque inconstantem, & Cæsaris voluntati insufficientem, quæ ut firmiori stabiliretur pacto, Scherffenbergum & Falckenheimium ad Principem amandat; inde Claudiopolim petit, ægrè admodùm in urbem, terrore tandem incusso admissus, Carolus cum exercitu transit in Transylvaniam

quatuor ſub Guidone Starrenbergo legiones immittit: & quia Princeps & Tranſylvaniæ ſtatus in Cæſaris adhuc fugiebant poſtulata deſcendere, metropolim adit Hermenſtadium, vim illaturus. Pactis tandem ſic utrimque conventum; Tranſylvania Cæſareano exercitui ſubminiſtrabit hyberna, annonam, pabulum, & militarem æris collectam, certis terminis ſolvendam; liberum quatuor religionum permittetur exercitium: jura, libertates, bona civium, commeatus & apparatus urbium maneant inviolata: hoſtem Tranſylvaniam invadentem Cæſareani avertent, & defendent, fœdusque idcirco Cæſareo-Tranſylvanicum defenſivum juramento utrimque roborabitur: Princeps & filius ejus ſucceſſor Michaël Abaffius in ſua manebunt juriſdictionis, dignitatis & regiminis poſſeſſione: proximo vere Tranſylvania Cæſareano evacuabitur præſidio, niſi aliud belli exegerit neceſſitas; univerſalis denique omnium ſit amneſtia. Rebus ſic ad votum confectis Carolus copiis Croji & Scherffenbergi imperio commiſſis, per ſuperiorem Ungariam (cujus præfecturam Caraffæ tribuerat) Viennam contendit victoriarum palmis & lauris glorioſiſſimus.

Pacta cum Tranſylvanis inita.

224. Interea Ariezaga Leopoldopolis præfectus cum limitaneis copiis Czokaviam validam arcem ad voluntatis ſuæ coegerat deditionem, annonâ & XX. tormentis bellicis divitem, & paulò pòſt Palottam, oppidum non invalidum. Henric. Joan. Comes Dunwaldus etiam arcem Walpo fruſtra à Carolo nuper tentatam, dum adhuc contumacem impugnat

pugnat, Hoffkirchium Comitem cum aliquot centuriis jubet Effecum excurrere, cujus approximatio tantum præsidiariis incussit terrorem, ut clausis à Præfecto portis per muros se, bonaque sua dimiserint, & adultâ lunâ aufugerint: quam fugam referenti rustico nullam Dunwaldus fidem adhibens, dum intentatâ morte constans nihilominus rusticus asseveraret, aliásque fidelem Heuslero probasse operam audiret, Ladronum tribunum justo cum equitatu ad occupandum locum revera vacuum ablegat, 52. tormentis, & ingenti commeatu, apparatuque bellico instructum. Vix illud Ladronus tenuerat, cùm serâ ducti pœnitentiâ Turcæ, vexillationibus aliquot reversi jam captum indolentes, abs appropinquantibus Germanis in fugam sunt conjecti, verè experti, quod ait *Cicero ad Torq.* Plus in metuendo esse mali, quàm in eo, quod metuatur. Hæc insperata Effeci sine ulla jactura occupatio etiam Walponibus videbatur incredibilis; at ubi Effeckensibus verberabantur tormentis, captivos se tradunt Dunwaldo, qui Effecum ingressus lautè reficit exercitum, gratiisque Deo pro catenatis hucusque victoriis, omnium tormentorum boatu actis, illud Stratego Comiti Aspermontio commendat, prædictoque rustico intentatæ loco cuspidationis insignem confert remunerationem. Faustum verò illud tormentorum Effeci jubilum horrendum fuit in vicinis Turcarum præsidiis tonitru, quod illos Walkowario, Satino, Ormiza, Zwovicza, Slanckano, Carlowizo,

Effecum Dunwaldus fugiente præsidio occupat.

Dein Sclavoniæ regnum subjugat

wizo, Petrowardino, Erdœdo, Mitcovizo, Marcowizo, Janwiva, & reliquis Sclavoniæ arcibus & præsidiis expulit. Inde in Comitatum Possegam se confert, inter Savum & Dravum 30. milliaria continentem, Sclavoniæ regni metropolim, cujus Bassa seu Præfectus Christianorum percipiens adventum, arctum & validum ad hanc aditum intercludit; sed ubi alio per montes diverticulo urbem à Dunwaldo peti intelligit, magnis præveniens passibus urbem, opulentasque mercatorum ædes expilat, & tantâ cum spoliis aufugit celeritate, ut expeditus properè protribunus Leonida Bisartus præter paucula carpenta offenderit nihil. Urbe novis munita aggeribus & præsidio (unde haud parum ejus diminutus exercitus) accersitisque duabus Bani & Trautmansdorffianâ legionibus, validam petit Czernit civitatem, cujus præsidium fama appropinquantis Dunwaldi territum, relictis omnibus fugam capessit, deseruntur que pariter Bachras, Siras, Camminigradum, & Cralowertha; atque ita exiguo planè temporis intervallo abundantissimum frumentis & fructibus Sclavoniæ regnum felicissimè recuperavit. Plus ultra: Zagrabiæ Comitatum petiturus, & captâ Gradiscâ Bosniæ sibi aditum aperturus, Hoffkirchium cum aliquot Croatarum vexillationibus vias, aditusque explorandi causâ præmittit, qui obvios excursores Turcas repellens, globo secundum brachium transfixus Dunwaldo significat, Gradiscam valido intra & extra præsidio munitam, vias salebrosas, palustres & silvestres, pontes ruinosos, expeditionemque
sole

sole præsertim nimiùm in hyemem inclinante haud facilem dissuadet: consilio acquiescit Dunwaldus, militemque per Croatiam ad hyberna dimittit.

225. Dum Cæsareus interim exercitus transmisso Danubio, ut supra memini, pergeret in Transylvaniam, Vezirius Spahos & Janizaros pontem Petrowardini transeundo Christianorum jubet impedire progressum; detrectarunt imperium omnes, instigatoribus Osmanno, alias Jeyen, & Siausio Bassis, magno stipendia tumultu exigentibus: ille profligatæ temeritatis & audaciæ in Asia antehac prædo nequissimus, hic abjectissimus Vezirii Kiuprogli primùm stabularius, postmodum coquus, ambo Solimanni Vezirii inimici, quòd illius invidiosè vitam, hujus prostituerit fortunam. Solimannus à milite in tentorio circumventus, clam tamen navi subductus, audiens Mahometis Soldani se gratiâ excidisse, eidem imperiale sigillum, & viride Mahometis Prophetæ vexillum remittens, Conjusmum ad Bosphorum, privatam acturus vitam, secedit. Rebellem interea exercitum Adrianopolim properantem, ut Soldanus componeret, Siausium turbarum auctorem constituit Vezirium, & Mustapham Kiuprogli filium Kaimakam, seu Gubernatorem Byzantinum; sed cum præsentissimo vitæ periculo; hic enim factionem, & Soldani depositionem subdolè fovens suadet, urgetque exercitum tendere Constantinopolim, ubi inter mutuas Bassarum cædes & æmulationes tumultuosè Janizaris postulantibus Mahometes IV. octavâ Novembr. die throno

Turcarum in Vezirii seditio.

Vezirius demittit Veziriatum.

Mahomet IV. throno

Dejectus & Solimannus III. exaltatus. no est dejectus, in quem frater ejus Solimannus III. ex quadraginta annorum carcere urbis & exercitûs gaudio & acclamatione est elevatus, in cujus locum Mahometes cum Mustapha filio viginti annorum principe est detrusus, postquam paulò antè Vezirium Ibrahimum Caram, Rhodum, ut dixi, relegatum, & Abdulam Mufftium, ac postremò Solimannum Vezirium laqueo sustulisset.

Restabat inter Cæsareanos undecim legionibus, seu 14.circiter millibus citra hæreditariarum provinciarum damna & molestias assignare hybernacula: sollicitæ hac de re Viennensi aulæ promittit Caraffa illis non solùm hyberna, sed etiam vestimenta & stipendia &c. affatim subministrare, modò Cæsar plenam illi permitteret dispositionem; quâ concessâ, uni Debrecino decem millium domorum oppido, opibus & mercaturâ opulento, sed in utramque hucusque partem clandestinis subdolè factionibus claudicanti Caraffa prædicta 14000. imposuit, & finitis hybernis hic miles plenè stipendiatus, & militari habitu, ærarioque campestri optimè instructus, cum omnium admiratione prodiit in campum; quo tamen oppidum ita exhausit & enervavit, ut ad stipem omnino redactum, & ab Ragotzianis postmodum Rebellibus ita est devastatum, ut ab omnibus desertum & vacuum versum sit in solitudinem. **Debrecinum oppid. plane enervatũ.**

226. Recuperatâ jam Buda regni metropoli, devicto in campis ad internecionem inimico, subactâ Transylvaniâ, & toto, exceptis paucis, Ungariæ regno in potestatem Cæsaris fausto armo-

armorum successu redacto, Cæsar Regni Ungarici patres Viennam convocans mentem suam, primogenitum scilicet suum Josephum I. coronæ ungaricæ Regem hæreditarium inaugurandi aperuit, qua de re sæpius Cardinalis Collonitschius cum Patribus consulens, circularibus literis omnes regni Ordines & Comitatus ad generalia Presburgi comitia accersendos fore necessarium consenserunt; quo Cæsar etiam cum conjuge, magnoque legatorum & aulicorum syrmate ad finem mensis Octobris profectus, Wolffsthalii ab Agriensi Episcopo, Georgio Finesio, Pannonico miræ eloquentiæ & prudentiæ Cicerone Patrum nomine est exceptus: *Vix sacra Majestas Vestra*, ajebat, *Austria egressa fines, & luctuosam hactenus ingressa Ungariam, desideratissimus ejusdem assertor finem cunctis imposuit miseriis & calamitatibus; mihi proinde ab Ordinibus delatus est honor & officium salutandi illum, qui tot provinciarum victor, & regni conservator novum daturus est nobis salvatorem, Josephum Archiducem, nomine salvatorem: uti enim Pharao Ægyptiis olim Joseph donando omnem conservavit populum; sic sacra Majestas cum Josepho Archiduce hæreditario omnem apostolico suo submississimo sibi subjecto regno confert felicitatem. Faustâ igitur veniant congratulatione, hilarique animo Sacræ Majestates; & cùm nunc in Regni hujus ingressu Archiducis veneremur parentes, in egressu Regis effectores cum plausu & jubilo congratulemur.* Tum ad Archiducem: *A te autem Serenissime Archidux, ob triumphales parentis vi-*

Cæsar in comitiis ungaricis filiū Joseph. Regem inaugurari postulat.

ctorias austriacâ virtute partas, ad te propagatas, plura & illustriora quàm à prædecessoribus auguramur & expectamus trophæa. Die alterâ 31. Octobris Cæsar absoluto in capella aulica divino officio, ad Senaculum à Patribus comitatus, Maholanus regni cancellarius comitiorum indictionem ungaricâ lingua proponit, latinè breviter à Cæsare repetitam, & supremus aulæ cancellarius Comes Stratmannus Patribus clausis sigillatisque tradit literis: Quòd quia Cæsar tot regnum Ungariæ periculis, sumptibus, laboribus, & tanto Germanorum sanguine Turcarum feliciter faucibus eripuerit, jure sibi proinde belli imposterùm vendicaret hæreditarium, primogenitumque suum Josephum (urgente id summo per Nuntium Apostol. Cardin. Bonvisium Pontifice) hæreditarium ungarica inaugurarent coronâ. Tum illam Andreæ II. Regis legem anno 1222. latam: *Statuimus etiam, quòd si nos, vel aliquis successorum nostrorum aliquo unquam tempore huic dispositioni nostræ contraire voluerit, liberum habeant, harum auctoritate, sine nota alicujus infidelitatis, tam Episcopi quàm alii Jobagiones, ac Nobiles regni nostri universi & singuli, præsentes & futuri, posterique resistendi & contradicendi nobis & nostris successoribus in perpetuum facultatem.* Hanc, inquam, legem & statutum non humanæ solum rationi, sacro codici, & politico contravenientem regimini; sed omnium hactenus factionum nutricem exitiosissimam tollerent, unde indubitata regni quies, salus & augmentum sint proventura. Commendatâ denique imprimis justitiâ dies intra quindenos absolvenda postulat comitia. Con-

Legem Andreæ II. abrogat.

Conſenſere Ordines omnibus unanimes, factoque publicò ſublatæ legis Andreæ, regnique in perpetuum hæreditarii inſtrumento confirmarunt, & decreverunt coronationem: quam Töckelius publico libertatis tuendæ Maniteſto, ſed fruſtra, impedire conabatur; imo addiderunt Patres, ut deficiente Leopoldi ſtirpe, quod Deus avertat, virilis Auſtriacæ Hiſpaniæ hæres in hoc Ungariæ regnum ſuccederet, Et ſic Joſephus Archidux decennis Poſonii 9. Decembr. die, altera poſt immaculatam Virginis Mariæ Regni Patronæ ac Dominæ conceptionem, in templo S. Martini in præſentia Cæſaris, Imperatricis, Card. Bonviſii Nuntii Apoſtolici, Card. Collonitſchii, aliorum legatorum, & regni Ordinum ſolemni & conſueto patriæ ritu S. Stephani Regis pallio & corona à Georgio Szelepcheno, alii legunt Szechino, Primate & Archiepiſcopo Strigonienſi, & Palatino Eſterhaſio, aſſiſtentibus Stephano Ciako, Croatiæ Banno, Joanne Draſcowicio regio aulæ Præfecto, & Adamo Serino Regni Mareſchallo coronatur. Szelepchenus 86. annorum ſenecio facundam orationem ſuam gaudio illacrimans concludebat: ***Nunc dimitte ſervum tuum Domine, quia viderunt oculi mei ſalutare tuum, & ſedente Romano Pontifice Innocentio, hanc in throno innocentiam, Joſephum, coronaverim.*** Tum ad reconciliandos regnicolarum animos generalis omnium amneſtia per Carolum Lotharingum anno 1684. Presburgi publicata, rurſus fuit confirmata, (excepto Tôckelio & contumacibus ejus conſortibus) & criminale judicium Eperieſi

Ungaria nunc regnum hæreditarium.

Joſeph Rex Ungariæ coronatur.

ries

riesi in regiæ Majestatis reos & regni proditores hucusque continuatum, neo-Regis clementiâ sublatum est & rescissum. Peractâ coronatione in Franciscanorum templo creavit neo-Rex Equites aurei calcaris sexaginta Germanos & Ungaros, & extra S. Michaëlis portam præsentibus Archiepiscopo Strigoniensi, Regni Palatino, & supremo suæ aulæ præfecto Comite Salmensi consuetâ aliàs formâ, excepto Andreæ II. statuto, præstat juramentum, vibratoque in monte regio in quatuor orbis partes ense, ad regium 28. mensarum convivium se confert: utque Badensis Cæsaris animum, morte Comitis Rabattæ, indefessi generalis Commissarii bellici exulceratum deliniret, equestres hippomachiæ ludos instituit; sed lætius recreavit Agriensis fame coacta deditio.

Agria sive Erla fame coacta.

227. Quam Marchio Doria occupatis montensibus arcibus Czerepo, Sirocko, & Sarvaska, omni spe subsidii & annonæ sublatâ in sextum jam mensem tam arctè incluserat, ut arborum folia, maceratum corium, humana cadavera, aliaque abominanda fuerint in deliciis. Rusteinus enim præfectus, insignis homo temeritatis & feritatis, lentâ potius cum præsidiariis morte se invicem consumendo, quam Christianis urbem tradere maluerunt: quorum pertinaciam captus confirmabat Ungarus, palam mendaciter asserens, Christianos ad Essecum fusos penitùs fugatosque esse. Hos convincendi gratiâ quatuor in Mohaciano captos prælio Janizaros in urbem Doria dimisit, ut captum referrent Essecum, & Turcarum in campis Moha-

cimis internecionem; sed præfecto eos non admittente, infelicem suorum stragem narrant vigilibus; quâ passim per urbem vulgata, tumultuantes præsidiarii urbem tradi postulant, ad quos Rusteinius: *Qui sunt hi tumultuosi sermones vestri? ergone commilitones mei falsus & dolosus hostium sparsus rumor vestram hactenus inconcussam dejiciet constantiam? an urbem armis invincibilem hostili cedetis dolo? cogitate urbem ab ipso Mahomete III. cruentâ satis duorum exercituum strage occupatam non ita facile extradendam: paucos sustinete fortiter dies, quibus vel adveniente subsidio hostium ferro liberabimur, vel ut generosi milites viriliter pugnando gloriosam potius subibimus mortem, quam truculentis Germanorum manibus tradamur.* Quâ erecti oratione præsidiarii resumunt animos; sed cùm nuntius ad Vezirium missus à Doria interceptus, & in urbem remissus, cunctos referret aditus subveniendi arctius interclusos, terrore percussi Rusteinium vi ad deditionem adigunt, qui impetrato à Caraffa libero discessu, pactisque ab ipso Cæsare subscriptis, præsidiarii fame ad terrorem enervati Varadinum sunt traducti, postquam Ottomanni urbem ab anno 1596. hucusque possedissent. *Vid. num.* 239.

Eodem hoc anno Leopoldus Cæsar votum flagrante Viennæ peste Deo factum exsoluturus, primum Columnæ lapidem posuit sic aureo nummo inscriptum: *Sacrosanctæ Trinitati votum exsoluturus columnæ hujus primum lapidem posuit* 30. *Julii* 1687. *Benedicta & laudata sit Ss. & individua Trinitas Pater, Filius, &* Spi-

Ss. Trinitati Cæsar columnam erigit.

Spiritus ſanctus, Amen. In altero latere inſculptũ Cæſaris nomen & titulus. Vigeſima ſecunda Auguſti Joſephus quoque Archidux primum Carmelitarum templi lapidem poſuit ad foſſam limoſam ſic inſcriptum: *Joſephus Archidux Auſtriæ.* In altero latere: *Pro gloria Dei cedat, primum poſuiſſe lapidem in domo Domini 22. Auguſt. A.* 1687.

Ingens Moſcorum exercitus plus damni quàm commodi fuit.

228. Ingentem Moſcorum bellicum apparatum, & numeroſiſſimum 300000. exercitum in Tauricam Cherloneſum, ſeu Præcopenſes & Crimenſes Tartaros à Baſilio Galiczyno educendum mirabantur & ſtupebant omnes; immo non ſine rationabili fundamento prævidebant Confœderati Galiczynum græcâ fide, multisque ſpecioſis ſubdolè prætextibus nihil effecturum, & plus ſuo ac Polonico quàm hoſtico nociturum ſolo; Poloni namque numeroſiſſima Moſcorum potentiâ nimium fiſi, dum expeditionem more ſuo differunt, Tartari majori ſolitò temeritate & feritate Volhiniam, Ucraniæ provinciam invadentes omnia ferro & flamma, & regia imprimis bona crudeliter devaſtant: Polonis eam ob cauſam apud Moſcum conquerentibus hoc retulerunt reſponſum. Hæc ſuæ Poloni imputent inertiæ & cunctationi, comitiorum & animorum diſcordiis, expeditionem continuò impedientibus, quam ſi in Tartaros maturaſſent, non hi Moſcorum etiam granaria ignibus ſubjeciſſent, & ad patriæ ſuæ defenſionem, exercitûſque conſervationem impuliſſent. Hæc tamen Tartarorum in Poloniam incurſio, ad maturandam tandem expeditionem Polonos inci-

Tartari Volhiniam vaſtant.

incitavit, quam turcicus Seraskierus præveniens magno Caminecum commeatu & apparatu instruxit. Et tartarorum Chamus ut dejectos Turcarum animos aliquantulum erigeret, transmissis aliquot Constantinopolim mancipiorum millibus Soldano significat, se ingenti Moscorum non terreri exercitu, sed non exiguum se contra illos ducturum non numero, sed animo fortiorem, iterataque in Poloniam prius incursione, non contemnendum Vezirio in Ungariam militare suppeditaturum subsidium, quod haud gravate poterat, Galiczyno exercitum eo tempore ad hyberna dimittente, quo alii in campum solent producere; nec Polonorum diffidentium metuere poterat aggressionem, quòd Rex nobilitatem Javoroviam, & supremus campi Mareschallus Jablonskius ad alium locum ad diribitorium convocaverit; Polonorum itaque frustranea hujus anni fuit expeditio, velut corpus recedente animâ elanguet. Ita Sarmaticus absente Rege sexdecim millium exercitus fuit sine vegetativo motu & viribus: Rex enim infirmâ corporis valetudine, & gallici dehortatione medici, uxorisque denique lacrimis domi detinebatur, & Jacobus Regis filius Caminecum quidem pyrobolis septingentis infestabat; sed audito Turcarum & Tartarorum adventu, ponteque Boristhenis intumescentiâ fracto, domum re infecta rediêre. uti & numerosissimus Moscorum exercitus deflagratis ultra Boristhenem per Tartaros campis ad sua coactus fuit remeare; quem Samoelovicius Cosaccorum Zaporovensium Generalis prodere moliebatur: de-

Polonorum socors in Caminecum expeditio irrita

prehensus autem & convictus cum filio vinculis innodatus in Moscoviam est traductus. *Vid. num.* 246.

229. Maurocenus interea Venetorum Architalassus classe novo apparatu, commeatu & germano milite instructa, Naupliâ, seu Napoli di Romania Zazyntum jam navigaturus, adest etiam pyrotechnites Petrus Duedus, ut aliquot navium classe Africanos & Albanenses piratas compesceret, qui plurimos homines & totas sæpe familias miserè in mancipatum abducebant: ad quod Pontifex Venetis permittebat licentiam levandi ex bonis ecclesiasticis certam pecuniæ summam, eorum oppressioni & debellationi adhibendam. Naupliam quoque Mauroceni imperio insularum Generalis Jacobus Cornarus cum navibus aliquot advenit, quarum una gallica Byzantinis mercibus peste infectis capta, quatuor alias etiam inquinavit; Maurocenus igitur eductâ ex hoc portu classe ad rupem sapientiæ, ut vocant, omni eam studio solertissimè purgat & disjungit. Fervens interim Venetorum ad futuram expditionem apparatus Turcas admodùm perterrebat, ut novus Peloponnesi Seraskierus consulto & assentiente turcico Divano reliquos insulæ incolas in Livadiam & Rumeliam transferre moliretur; quo intellecto omnes turcicam fugientes servitutem Venetorum capessunt protectionem, quos Seraskierus irâ frendens ferro & igne persecutus, vicos eorum & oppida deserta devastat, mulieribus & liberis vincula injicit, & matribus ubera præscindit: quâ indigenæ exulcerati tyrannide, suc-

Classis Veneta peste infecta, purgatur.

Peloponnesi turcicâ fugiunt tyrannidem.

cenfis quoque fociati Albanenfibus conjugum fuarum ulti funt fanguinem. Idem poftmodùm Seraskierus in provinciam Argos excurrens juxta Naupliam ad montem Palamedem fexcentos aggreffus Albanenfes, non fine fanguine in fugam convertitur, in qua oppidis aliquot flammâ confumptis, multisque ditatus fpoliis, uti ex Rovarini vicinia plures in captivitatem duxit. Ut autem Turcæ majorem colligerent militum numerum, per totam Afiam exiguum Chriftianorum exercitum fpe Budam recuperandi fpargunt, expofitisque ab Architalaffo turcico Negroponti tribus Ægyptiorum millibus, ejus præfectus Ibrahim Baffa ad pontem Euripi confilio apoftatæ Galoppi novam erexit munitionem, pluribus roboratam bellicis tormentis.

Maurocenus interea in defignato Climini deribitorio auxiliares ad menfem ufque Julium fruftra naves expectabat; Pontifex enim Melitenfibus fub Herberfteino Fanum & Corcyram jam tum pervenris, Venetam adire claffem pefte infectam prohibuerat, ideoque viam relegens Herberfteinius Vallonam facilè, ut audierat, expugnabilem adortus; fed vifo robore & defenfione territus parat abitum. Florentinæ pariter ad finem Maji jam eo provolabant, quarum una noctu ab aliis feparata in quinque piraticos incidit Algierienfes jam tum eam tranfcenfuros, cùm ecce fummo mane aliis accedentibus navibus fit acris velitatio, & in fugam repellendo piraticas, quamprimum Moriæ & claffis Venetæ peftem intelligunt, domum remigant. *Naves fubfidiariæ Venetas nolunt accedere.*

230. His quamvis Maurocenus deftiturus,

gatâ tamen à peste classe in maritimum Patrassi sinum procurrens,ingentem in colle, cui Patrassum inhæret, hostilium cernit papilionum copiam, ubi Seraskierus Mehemet Selictar Bassa binis considebat castris, uno infra Patrassum, altero prope castellum Romeliam sub Cusseldern Mehemet Bassa decem armatorum millibus validis; tertium præterea fixerat Mustapha Epiri Bassa ad castellum Molicream ad mare usque se extendens: Mauroceno autem ad littus versus dexteram Patrassi & silvam absque ullo impedimento aut Turcarum resistentia appellente, primi generosis animis exscendunt Konigsmarckius, Maximil. Dux Brunschwicensis, Princeps Turennius & Sclavones, quibus succenturiati Luneburgenses rectâ ad silvam densatis ordinibus procedentes, à 300. Spahis, seu equitibus aggrediuntur, quos magnâ repellunt strage; ubi vero totus Venetorum 9000. peditum & 1300. equitum advenit exercitus, Konigsmarckius illum sine mora in aciem unius lineæ disponit, dexteram peditum committit Duci Brunschwicensi, equitum Marchioni Corbono & Turennio; sinistram peditum Jacobo Davilæ, equitum tribuno di Cugny, cujus frontem & latera defendebant bellica tormenta & ericii militares: Maurocenus præterea ut hostium disjungeret vires, & imprimis Mustapham Epiri Bassam à Seraskiero divideret, jubet Benedictum Sanudum cum parte classis noctis beneficio per parvas dardanellas seu duo castella Romeliam & Molicream in sinum Corinthiacum penetrare, quem ultra C. annos nulla Venetorum

Patrassũ Maurocenus invadit.

rum

rum navis transierat, ideoque hosti non exiguũ incussit terrorem, & varia intercepit navigia in portu Naupacti fluctuantia. Seraskierus igitur Venetorum dispositum in aciem cernens exercitum approximantem, relictis castris, disposito que exercitu dexteram Venetorum magno irruit furore; quem quidem primi agminis Sclavones & Brunschwicenses fortiter excipiunt, sed numero superiores Turcæ strictis harpis ordines perrumpere tentantes, tormentis, ericiis & sepimentis sistuntur & arcentur, quare iteratò impetunt furore equitatum & dimachas; qui licet numero multò inferiores, viribus & animo fortiores insigni illos virtute non modò repellunt, sed etiam peditatum seu Janizaros insiliunt, & in fugam conjiciunt. Cæsi Turcarum sunt 600. mille capti, & ultra mille vulnerati, capta quoq; castra cum majori impedimentorum parte, sex tormentis, multis signis, & prætorio Seraskieri equino; Christianorum cæsi & sauciati solum quinquaginta. Præsidiarii urbis Patrassi sociorum fugam ex prælio spectantes injectis pulveri nitrato ignibus crassi beneficio fumi desertâ urbe fugiunt: bina Dardanellæ castella Romeliam justo robore validam terrore exanimes derelinquunt; alterum Molicream Mustapha Bassa in aërem evibrans relictis papilionibus, tormentis & bellico apparatu fugam quoque arripit: immo Naupactum seu Lepantum ipsum terrore & flammis Molicreæ concussum deseritur, in quo tres Judaicæ Synagogæ & sex Turcarum fana seu Mosqueæ more Christiano purgata, & præcipuum Divo Jacobo Apostolo, cujus die

Seraskierum succurrentem repellit.

Patrassum, Naupactum &c. occupat.

festo occupatum, est dedicatum. **Inventa in** eo sunt viginti sex ænea tormenta bellica, & plura ferrea, ingensque bellicus apparatus: sic Lepantum vino per totam Europam pretiosissimo, frugibus, fructibus fœcundissimis, omnibusque affluens deliciis ab orientali olim Cæsare Emmanuele Venetis traditum: sed à Bajazethe anno 1489. acerrimâ terra marique oppugnatione illis ereptum, ultroneè Venetis sine ulla vi rursum cedit, totumque regnum unico devictum prælio in eorum venit potestatem. Seraskierus interea plenus timore & terrore aufugit Corinthum, cujus inferioris urbis, & superioris arcis domos incendens, inde per angustum fretum elabitur in Beotiam; Bassa etiam Mustapha,& Ismaël Bassa Thessalonicensis illi conjunctus eodem correpti timore Salonam versus salutem in pedibus quærunt. Maurocenus verò Corinthum ultra 100. milliaria Italica Moreâ distans contendit, ubi varia adhuc antiquitatis rudera & reliquias, Jani statuam, amphitheatri columnas, templi Veneris reliquias, marmoreum Diogenis sepulchrum invenit, & tam urbem inferiorem, quàm superiorem Acrocorinthum loco & defensioni commodum occupat, præsidio & apparatu bellico valide communit, ut Saracenis in Moream seu Peloponnesum reditum oppressularet. Tum intercepto Tornese ab hostibus derelicto, mittit Bolanum ad occupandam Misitram, dictam olim Spartam, sedem Regum Lacedemoniorum, & Lycurgi legibus celebrem. Misitrenses ultroneam offerunt deditionem, si liber illis cum impedimentis permit-

Item Corinthum & Acrocorinthum Misitrâ &c.

mittatur egressus, & extra regnum abitus, denegante illud Bolano, per literas rogant à Mauroceno, qui pro redimendo mancipatu duo ducatorum millia postulavit, quæ impotentes solvere, ut mancipia triremibus sunt partim astricta, partim carceribus inclusa, ubi plurimi peste infecti perierunt, alii in varia postmodum loca dispersi sunt, ne omnes occumberent.

231. Classe tandem Napolim di Malvasiam seu Epidaurum velificantem maris tempestas in varias dissipat partes, alia ad insulam Cervi, alia ad insulam Cerigo rejicitur, ut ante septembrem classis Epidaurum non tenuerit, ubi jam tum Venierus & Pisanus suis cum navibus hærentes in anchoris aditum urbis occludebant, qui usque huc archipelagum pervagantes archistrategum turcicum in fugam Negropontum usque compulerant, Missoroglim Bassam cum 14. navibus in portu urbis Rhodi concluserant, & jam moliebantur totam Ottomannicam classem ope apostatæ Agrigenti ignibus devastare; sed Mauroceni imperio omissis aliis ad Epidaurum comparere debuerant. Hæc urbs in rupe inaccessibili sita est, cujus pes & fundamentum omnino lapidosum in mare usque procurrit, quod montem velut foveâ aut vallo cingit; mons ipse quidem est infœcundus sterilis, adjacens tamen colliculus in sinu suo tantum annuè per scaturigines graminis & frugum profert, quantum 500. sufficit præsidiariis; hanc Maurocenus ipse anno 1655. frustra tentaverat; sperabat tamen Turcarum animos huc usque immobiles, aut nimio nunc terrore, aut victoriarum famâ movendos

Classis Turcica in fugam agitur.

Epidaurus frustra à Mauroceno cingitur.

& devincendos; verum illi tormentis licet, pyrobolis & spæris igneis acerrimèin nonum vexati diem; postulatam illudunt deditionem; quo irritatus Maurocenus, omnia totius classis tormenta in urbem evomi jubet, & quatuor globorum millibus plurimas urbis domus funditus evertens, inde per Sinum Ægeum ad Isthmum navigat, dejectoque Epidauri ponte, quo in terram firmam itur, per Mainottas & alios Græcos, omnem urbis aditum, commeatum & subsidium occludit, fame debellaturus. Ad Isthmum Corinthiacum 8. Septemb. appulsus, inde in Atheniensi Leonis portu, olim Piræo capacissimo, quinque milliaribus Athenis distante exercitum exponit, & urbi applicat: Athenæ olim potentiâ, arte & scientiâ gloriosissimæ, orbis oculus, Atticæ caput, uti Græciæ, sic orbis, si Xenophonti credimus, meditullium, à Bajazethe II. anno 1455. captum, & hucusque possessum. Turcæ Christianorum adventu territi, desertâ urbe ad arcem confugiunt, adversus quam castrenses promoventur tumultuariè fossæ, tormentis muri diruuntur, injectoque in templum victoriæ pyrobolo, pulvis nitratus ibidem conservatus & accensus non solùm idem templum, & bellicum apparatum; sed etiam templum Minervæ Parthenonem totius Græciæ miraculum funditus evertit; rupis autem duritiam difficillimè poterant cunicularii penetrare: destituti igitur præsidiarii bellico apparatu septimo obsidionis die, festo S. Michaëlis Archangeli Angelorum archistrategi ultroneam offerunt deditionem, pactâ Smirnam usque cum familiis suis in-

Mauroceno Athenæ se submittunt.

columitate. Remanſerunt in urbe præter alias incolas quinque Græcorum millia armis apta, qui fortunis valentes magno Maurocenum jugi Turcici liberatorem, & libertatis ſuæ aſſertorem excipiebant gaudio & tripudio: & quia urbs quatuor adhuc ſtadiorum, mercaturæ aptiſſima, interque duos capaciſſimos portus ſita, Maurocenus ibidem hyberna tam claſſi quàm militi conſtituit, quem dum crudelis Ottomannorum hactenus non potuit ſuperare ſævitia, mulierum græcarum libidinoſa interim venuſtas & humanitas viribus & opibus enervavit, unde quidam:

Debilitat, perdit, necat, impedit, inficit, aufert
Corpus, opes, animam, ingenium, famam, atque virtutes.

Græcarũ mulierum libido hyemantem exercitum enervat.

Moabitæ & Madianitæ *Numeror.* 25. 1. ut vitæ ſuæ conſulerent, ne ab Hebræis ſuperarentur, & occiderentur, non armatas turmas, inquit *Cornel. à Lapide hic.* Sed pulchras fœminas inſtrui præcepit Rex Balac, idque ex conſilio Balaam, quem *Origenes* ita loquentem inducit: Non virtute militum, ſed mulierum decore pugnandum eſt; nec armatorum vigore, ſed mollitie fœminarum: procul amove armatorum manum, & electam formoſamq; congrega ſpeciem puellarum; forma vincit armatos, ferrum pulchritudo captivat; vincentur ſpecie qui non vincuntur prælio. Ideoq; Dalilæ iſtæ & Poppææ aliò ſunt dimiſſæ. Viri autem ut olim ex puro & ſalubri aëre, temperatoq; ſiderum influxu ſapientiſſimi, ita adhuc ſapientiâ, viribus & ætate vegeti, unus 118. alter 130. annos coram Mauroce-

roceno numerabant, quod hisce temporis tempestatibus rarum videtur & mirum; superioribus autem seculis multos superasse annos plures, scribunt auctores. Galenus vixisse perhibetur annos centum quadraginta, semper prosperâ usus valetudine, ut refert *Bapt. Fulgosius lib.* 8. Titus Fullonius Bononiensis centum quinquaginta annos superasse, ait idem *Fulgosius ibid.* Caroli Magni armiger Joannis de Temporibus vixit annos trecentos, ut ajunt *Vincentius lib.* 27. *cap.* 16. *& Nauclerus in Lucio Pont.* S. Severus agebat annum 297. cùm factus est Episcopus Tungrensis, seditque Annos 76. unde vixisse comperitur trecentis septuaginta tribus annis, ut refert *Pet. de Natalibus in ejus vita, & Martyrolog. Leod.* Præsumitur illos excellentis fuisse complexionis, perfectæ sympathiæ, & proportionis humorum, causantium illis tam sanam & longævam vitam. Adde summam antiquorum temperantiam in cibo & potu, tum qualitate, simplicitatemque cibi apud protoparentes nostros, & illis viciniores, consistentis solummodò in fructibus & herbis, pro tunc longe melioris substantiæ ac virtutis; juncto quòd Adam noverit omnes virtutes herbarum, plantarum, fructuum ac lapidum, à quo multa dedicêre ejus viciniores posteri: nam qui ante diluvium vixit, minimum ad septingentos quinquaginta annos pervenisse ait *S. Augustinus lib.* 15. *de civit. cap.* 8. Nunc

Ver breve, flos brevior, sed vita brevissima nostra est;
Ast bene si utimur, vita perennis erit.

Turcæ

Turcæ Athenas captas audientes, omnia duobus ab hinc milliaribus ferro & igne sunt depopulati.

232. In Dalmatia Bosniensis Bassa Mehemet Attlavichus furore frendens sibi munimentum Sing ereptum, omni illud recuperare studio moliebatur, cujus expeditionem supremo Veririo consultando aperiens, non solum cum laude consensum, sed amplum etiam impetrat subsidium; Vezirius namque mille quingentos pedites, & 200. equites illi mox submittit, imperatque Sinani Bassæ Arcigovinæ, ut suas militares copias sine mora Attlavicho conjungeret; & ut generosiores adderet animos & stimulos, septem camelos cum militum stipendio, & soldani nomine Attlavicho vestem pretiosam auro intertextam, harpemque gemmis exornatam, singularis inter Turcas honoris & amicitiæ signum. Collecto igitur 13000. peditum, & 4500. equitum exercitu, præmissisque centenis aliquot fossoribus, qui salebrosas montium vias complanarent, Aprilis mensis initio munimentum Sing cingit, sed sine fossis castrensibus, excitatis solùm suggestibus, tormentis flagellat, quasi levi manu penetraturus; At periculum præveniendo Cornarus 500. Veteranos pedites 60. munitores & Marchionem del Borro Florentinum militem emeritum præfecto Antonio Bolano præmiserat. Et quia turcici balistarii inexpertes globos aut nimis demissè, aut nimis altè supra & ultra munimentum in suammet castrorum stationem, non sine exiguo Turcarum detrimento explodebant; præsidiarii econtra exercitati

Plurimorum annorũ homines.

Turcæ in Dalmatia Sing irrito cingunt.

citati

tati turcarum prosternerent plurimos,ipsos adeo Attlevicho astantes, nihil omninò efficiebant. Dum Cornarum interea temporis collecto undequaque milite obsidionem soluturum, aut prælium tentaturum audiret Attlevichus, furibundam imperat impressionem, in qua cum strage rejectus, ad secuudam fustibus & harpibus adurget; sed insigni 500. vulneratorum, & totidem cæsorum strage adeo fuit afflictus, ut quatuor horarum armistitium pro sepeliendis mortuis petierit. Tum primùm suam in omissis hactenus fossis castrensibus advertens temeritatem, craticias gerras, corbes loricales, & sepimenta adhibet, aggeres erigit, tormentis indesinenter flagellat, petitque cisternas, aquarum defectu ad deditionem compulsurus; sed frustraneo quoque labore: quid? quod cœlum aquarum eluvionibus castra, & adjacentem ubique terram adeo inundabat, ut equos privaret pabulo, & milites mansionibus ejiceret. His non obstantibus incredibili accessus suos obsidionales promovent labore ad aggerem Corlatt, ubi quo propiores,eo fœdiore per ferreas grandinis bracteas è tormentis & bombardis strage prosternuntur, præsidiariique Aprutenses factâ excursione Turcarum operas & lineas destruunt: qua generosa defensione & fortitudine sibi per nuntium delatâ Cornarus summè lætatus, obsidionis solutionem assiduo urget Salonæ studio, audiens præsertim à præmisso illuc comite Leonardo Cestarino latam murorum versus cisternas ruinam: cui licet famæ Attlevichus vix fidem adhiberet, insultum tamen iteratò tentat,

&

& ad veſperum alterum in ſudes vallares priore furioſiorem, ſed fortiori manu & graviori ſtrage Baſſæ etiam Chiecaji, Attlevicho chariſſimi, rejectum; quo ille tantâ fremuit indignatione, ut evulsâ ſibi barbâ in Chriſtiana barbarè deſævierit necando mancipia: Cornarius collecto jam 8400. exercitu aut obſidionem ſoluturus, aut prælio cum hoſte decertaturus, Comitem Zaram cum 500. armatis præmittit, ut hoſtilia recognoſceret caſtra, obſeſſisque ſuppetiarum adproximationem indicaret, quas tota nocte hoſtis inſtructa acie expectans, die altera bino impetu in aggerem Corlat, & verſus ciſternas (utrobique erat ingens murorum ruina & hiatus) inſilit, & feliciter ad Bolani & Borri adhortationem dejicitur; quare ſtratagemate utendum ratus Attlevichus, jubet ſigna abdere, militem in viis foſſilibus occultare, accurrentem quaſi ſuccurſum metuendo proliceret. Bolanus dolum ſubodoratus quibusdam in inſidiis poſitis, alios emittit in hoſtem, qui illos disjuncturus, ex inſidiis inſigni cæde affligit. Cornarum cum ſubſidio jam appropinquantem Attlevichus ex montibus cernens feſtinantiſſimè confuſis ordinibus ad pontem Cettinæ fluminis fugam arripit, quam Achmet Boſtangus equitum, & Mamuth peditum generales ob tormentorum & impedimentorum jacturam caſtigantes, illi collectis ordinibus viam relecti, poſtquam tormenta & impedimenta ultra Cettinam ſecurè traduxerant, ulteriorem fugam continuant, & in ſui ſecuritatem anguſtum quendam aditum oppeſſulant, ut perſequi ulterius, Cettinâ imprimis nimi-

Illos Cornarus agit in fugā.

nimium intumescente, consultum non fuerit; sed sufficiebat hostem viribus diminutum, turpissimâque fuga deturbatum, & gloriosissimâ Sing ad extrema redactum propugnatione conservatum, quam Cornarus merita laude deprædicans Bolanum in majoris senatûs Veneti membrum assumpsit, & exercitum Salonam ad classem reduxit. In altera ad tractum Narentæ fl. parte Cornarus munitioni Opus vim à Solimanno Bassa Arcigovino inferendam metuens, illuc binas militares & alias destinat naves auxiliares; Montenegrini econtra, prædarum spe & desiderio Turcarum jugum abjicientes, uti & alii indigenæ in hostium iterato versus Neocastrum excurrentes, oppida incinerant, jumenta & homines magno numero in prædam abducunt.

233. Hoc Neocastrum prædonum raptu viventium spelunca, incredibile hucusque damnum toti sæpius intulerat Italiæ, ideoque Pontifex jam pridem ejusdem unicè desiderabat destructionem, aut saltem occupationem: quare Venetus ad aulam pontificiam legatus Lando opportunâ hac occasione interpellat Pontificem, ut suas & Melitenses naves à Peloponnensi classe ob pestis infectionem revocatas Neocastrensi huic expeditioni applicaret: annuit Pontifex, ejusdemque jussu pontificiæ & melitenses naves sub Generale Comite Herbersteinio ad Cornarum Spalatri militem colligentem navigat; hoc autem non sub alio quàm Architalasso militare recusante, Senatus Venetus Architalassi titulum adjecit Cornaro, qui Herbersteinum mo-

monuit, ne ad Ragusæ litora appelleret, dubiæ fidei urbem, Neocastro amicam, & Venetos ob potentiam & vicinitatem suspectos habentem. Conjunctis igitur viribus classis 130. navium in sinum Cattari influit, visaque à Neocastrensibus ingentem incutit terrorem.

Ceterum Neocastrum Comitatûs Sansabæ metropolis rupi insidens, urbs inferior muro ab superiore distincta, validâ in rupe arce roborata, & è regione castello Cornigrado in rupe inaccessibili defensa & confirmata est. Illuc confœderatus 9. millium exercitus contendens antequam ad urbem penetraret, tribus inter rupes accessibus hostem prius debuit, non sine utriusque partis sanguine, ejicere. Tum terrâ marique urbs mille quingentis instructa præsidiariis arctè circumcincta, sphæris igneis, pyrobolis & tormentis acriter est quassata, & suburbium insigni Comitis della Motieri, march. Horologii, Loredani & Joan. Bapt. Calbi fortitudine interceptum: pontificiæ & melitenses copiæ ad usque urbis muros etiam approximantes, præsidiarios ad urbis portas insequentes simul ingredi tentabant; sed tormentis & iteratâ excursione abacti; Bernardini di Neira hispani hortatu hostem rursus in fugam compellunt, & stationem illam jacturâ tamen Bern. di Neira, obtinent, cujus caput Turcæ in oblonga pertica publice exposuerunt; plures tunc etiam melitenses cæsi sunt equites: Ottomanni enim loci firmitate, & subsidii securitate nixi desperatè se defendebant, appropinquante præsertim succursu, quem Hussaim Tobal bassa Bosniensis

Cornarus Neocastrum cingit.

loco depositi Attlavichi, & Solimannus bassa Arcegovinus, quatuor scil. armatorum millia jam modò Tupzchum adduxerant, exp-ctabantque suis cum copiis Sangiakum Scutari bassam, urbem tunc penetraturi: moræ autem apostata Pastrovicus impatiens, suadet non differendas, sed inferendas quamprimum omni modo suppetias urbi miserè coangustatæ, ipseque per invia montium loca noctis beneficio in congestitium Venetorum aggerem, & stationem Petrini improvisò illapsus, confundit, & capto vexillo in fugam adigit; quo tumultu excitatus Cornarus accurrit, strictoque gladio & auctoritate fugientes coercet, pedem in hostem referre cogit: succenturiat mox Comes Moties pyrobolarios, suos eques Andemana bombardarios, & Barbarus Morlacos adducunt, fitque cruenta utrimque per horam velitatio, nec Hussaim bassa aliquot vulneribus licet fauciis copiosum effunderet cruorem, cedere tamen noluit, Turcarumque furiosa tandem rabies Venetorum generosæ cedere debuit fortitudini, cæsi Turcarum 700. capti 40. & 8. vexilla: Pastrovici temeritas, hujus stragis causa, laqueo est mulctata, ceterorum capita palis infixa, victoriæ testes, in urbis sunt exposita conspectum, & postulata urbis traditio; quâ denegatâ, crebriori licet fulmine prostrata mœnia, contumaciores præsidiarii, ruinarum intervalla obstruere, muros restaurare recessus parare & reductus, frequentiusque temere excurrere; Veneti econtra in aquæ defectu scaturiginem Turcis obstruere, crebrioribus ignibus vexare, & plurimos in urbe

urbe prosternere, unde ob fœtorem intolerabilem cadavera urbe ejiciunt, præfectusque & alii primarii uxores suas inferiori securè rupi includunt, in quam incidens pyrobolus correpto ibidem pulvere mulieres prædictas, apparatum bellicum,& magnum auri gemmarumq; thesaurum ibidem securitatis causâ depositum consumpsit.

Sub idem tempus duo præsidiarii Albanenses profugi referebant Cornaro, plures in urbe fugam meditari, eamque relinquere, modò illis vitæ immunitas, & liber permitteretur abitus: quare Cornarus ad rupem in mare procurrentem, ubi alii effugerant,confidens, plures ad abitum, & spe præmii ad deditionem sollicitabat; hanc tunc abnegantes, plures nocturno tamen tempore per scalas muris à Cornaro applicatas 130. cum uxoribus & liberis fugâ sunt elapsi. Fama interim percrebuit Sangiakum Scutari bassam pluribus auctum copiis interfecti nuper Husslaimi bassæ mortem ulturum adventare; hujus robur divertendo, talassus Duodo cum aliquot navibus Olcinium ad mare adriaticum piratarum speluncam infestandam est expeditus, simulquê vigorosa in urbem decreta est cum bis mille ducentis impressio: ad dexteram ibant primipilares pyrobolarii, Cornari prætoriani & 200. Veneti; his sunt succenturiati Brandeburgici, pontificii pyrobolarii & bombardarii, & tres melitenses vexillationes; ad sinistram sub ductu Marchionis de Borro procedebant Venetæ & Florentinæ copiæ, reliquum exercitûs in omnem occasionem in aciem erat dispositum;

utque hostis diverterentur vires, alter in adversa urbis parte fingebatur impetus: signo dato Veneti primi conscensis murorum ruinis turrim occupant, quo ulterius progredi declivis prohibebat profunditas; urbem tamen cum dimachis penetravit generosi animi capitaneus Santoninus, quo ex domibus cum multis aliis trajecto abscedere sunt coacti: à sinistris difficilis ad murorum ruinas ob rudera erat accessus, tum etiam propter continuum globorum telorumque nimbum ultra procedere melitenses vetabantur, sed ad occupatam circularem munitionem pedem referebant, hos Marchio Borrus ad resumendos animos, & repetendum impetum graviter, vehementerque hortabatur; jamque ultra murorum ruinas generosè progressos retardabat recessus, & lata retro illas fovea sudibus vallata, desperatusque præsidiariorum, immo & mulierum accurrentium furor illos sphæris igneis, pyrobolis, bulliente aquâ &c. ad ingentem rejecit turrim, ex qua quòd facilior in urbem daretur accessus, vallis & loricis per noctem circumvallant; sub hæc tamen tribus vexillationibus urbem penetrantibus, prædasque referentibus, jam se extra periculum quidam existimantes, resumptis ab hoste animis repelluntur, & in magnam aguntur confusionem; adsunt autem mox tribuni Balbus, Barbarus, Comes Soppe, eques Bolizza, capitaneus Buccia, ordines restaurantes, & tam adhortatione quàm exemplo hostem sustinent & rejiciunt; unus cum paucis in urbe relictus Marcovicius, & ab hostibus circumcinctus fortiter tam diu se retro domorum ruinas de-

defendit, usque dum ab accurrentibus 40. Aprucentibus periculo sit exemptus. Hac irruptione territi præsidiarii turris versus orientem in mare procurrentis, & rupis adjacentis, ultroneè Cornaro se tradunt. Cùm demum Turcæ spectarent Venetorum turmas prædictam sinistri lateris foveam fascibus & virgultis expletam ad urbem transire, fugientes frustra in arcem, deque ulteriori defensione desperantes, spontaneam post cruentam 27. dierum oppugnationem offerunt pactâ incolumitate deditionem, die D. Hieronymo sacro, architalassi Hieronymi Cornari Patrono; qui præter mille indigenas mulieres & liberos 400. præsidiarios cum unica sarcinula demisit in Albaniam, repertaque ibidem sunt præter ferrea quinquaginta ænea tormenta, incredibilis commeatus & bellicus apparatus. Neocastrum mox subsecuta est cum eisdem conditionibus Cornigradi traditio. Atque ita Cornarus Comitem Herbersteinium cum auxiliaribus navibus melitensibus, pontificiis & Florentinis domum remisit. Pontifex Innocentius XI. audito Neocastrum deterrimam latronum speluncam, & perpetuum Italiæ piratam subjugatum præ gaudio est lacrymatus. *Vid. n.* 237.

Neocastrum deditur & Cornigradū.

234. A Jacobo II. Angliæ Rege equitum S. Andreæ in Scotia Ordo est restitutus, frendentibus licet Angliæ Ordinibus, à quibus postmodum Batavis cooperantibus regno expulsus fugit in Galliam. *Vid. num.* 247. Nascitur Viennæ Cæsari Archiducissa Maria Josepha; *Salisburgi* autem moritur Germaniæ Primas Archi-

Ordo S. Andreæ à Jacobo Angliæ R. restitutus.

chiepiſcopus Maximilian. Gandulphus S. R. E. Cardinalis è Comitibus Khuenburg, cui ſucceſſit Joannes Erneſt. è Comitibus de Thun. Oratores Moſci, & clam ſub eorum perſona Dux ipſe Petrus per Hollandiam, Germaniam, Italiam, Poloniam &c. compluresque Europæ aulas, Viennenſem imprimis peregrinantur, de quo infra. Nuptiæ ſolenniſſimè Ulyſſipone celebratæ ſunt inter Petrum Luſitaniæ Regem, & Mariam Sophiam Palatino-Neoburgicam, Imperatricis Eleonoræ Magd. ſororem.

Mors archiep. Salisb. Kluenburg, ſucceſſit Com. Thun. Moſcus Europā perluſtrat. Nuptiæ Petri R. Luſit.

235. Auctæ interim Romæ Henrici de Beaumonoiro Marchionis Lavardini turbæ, ob denegatum jus aſylorum, nihil Innocentium terruêre, conſtantem minarum omnium contemptorem; cujus latè periodum non exiguæ æſtimationis auctor ſic deſcribit. Innocentius XI. ſummus Pontifex altero pontificatûs ſui, & 79. ætatis anno cernens Romam omnium gentium, Religionis, & pietatis arcem, omnis nunc impietatis & ſcelerum factam ſpeluncam, nullumque eſſe tam nefandum ſcelus aut crimen, cui non continuò palatium aliquod, imo totus aſyli vicus pateret; ubi ſecura ſine metu eſſent flagitia, ipſi adeo Principi inſultantia, ingemiſcit ſimul & excandeſcit. Quod jus aſyli, ſeu, ut vocant, Franchitia, omnibus non tantùm Cardinalium, Legatorum & Magnatum palatiis & domiciliis; ſed pro legatorum arbitrio vaſtis etiam areis viciſque palatio vicinis & confinibus erat permiſſa, ut tota fermè Roma in aſylum, aramque tranſierit impietatis, & omnium impunè ſcelerum fœdiſſima & ſcandaloſiſſima eſſet

Innocētius jus aſyli Gallo denegat

ſet colluvies, & Roma tunc Romæ ſepulta jaceret, nec tamen corrigi abuſus delerique aliter poſſent, quàm ſublata causâ, hoc eſt jure aſyli plurimorum quidem odio, juſtitiæ tamen debito.

Plures ideo ſummi Pontifices hanc impunitam in Regia ſua Chriſtianæ Religionis metropoli impietatem ſeveriſſimis ſæpè edictis, pœnis, & cenſuris caſtigarunt, & quodammodò ſuſtulerunt, anno nimirum 1460. Urbanus V. 1552. Julius III. 1561. Pius IV. 1573. Gregorius XIII. 1585. Sixtus V. 1626. Urbanus VIII. 1649. Innocentius X. Nec Alexander VII. Anno 1664. prætenſum illud jus aſyli plateæ areæque Farneſiæ (ubi legati gallici ſolet eſſe palatium) unquam, quamvis à Ludovico XIV. Rege admodùm coanguſtatus & fermè coactus, voluit concedere: Nec illud anno 1667. permiſit Clemens IX. anno verò 1670. ſub Clemente X. Franchitiarum abuſus rurſum invaluit, omnesque tunc Legatorum domeſtici, familiares, opificesque eàdem potiri volebant, quotquot legatorum inſignia, quamvis ab iſtorum palatiis remotiſſimis ædibus præferrent, magno domeſticorum quæſtu, & lucro; ſed ingenti Cameræ Apoſtolicæ damno, & ſcandaloſo juſtitiæ, religioniſque Romano Catholicæ deſpectu.

Plures illud pontifices ſuſtulerunt.

Quare Anno 1677. prima Innocentii XI. fuit cura, ut tam ſcandaloſas aſyli profligaret corruptelas; utque tanto malo ſuavius, minoreque dolore mederetur, non legatis, ſed ipſis Regibus ac principibus, & Chriſtianiſſimo impri-

mis Regi Ludovico XIV. per Varesium Nuntium suum Apostolicum validissimis & irrefragabilibus demonstratum est rationibus, quàm multa & ingentia mala ex hujusmodi nefandis provenirent immunitatibus: tantumque etiam est effectum, ut pollicitus Rex Ludovicus fuerit, se hac in causa non minus pontifici, quàm alios Reges gratificaturum, nec inter illos se fore ultimum; adeoque indubitatus promissi sperabatur effectus: sed rescripsit paulò pòst Varesius Ludovicum proposuisse pertinaciter asyli immunitatem tueri, & hanc inter jura Galliæ debita, longisque retro annis possessa; videbatur autem verosimiliter hanc Româ mutationem abs legato Estreo Duce provenisse, cui non pauca inde emolumenta à delinquentium patrocinio obtingerent. Pecuniæ namque cupiditas omnis flagitii est magistra & ministra. *Nihil est* iniquius ait Ecclesiasticus c. 10. v. 10. *quàm amare pecuniam; hic enim animam suam venalem habet.* Tunc prædicto hoc anno 1677. suum Innocentius pontifex edictum Romæ solemniter evulgavit, quô illis vita adempta, & bona forent confiscata, quippe læsæ majestatis reis, qui ad hujusmodi asyla profugerent. Illud postea edictum anno 1680. multò quàm antè severiùs cum prædecessorum Pontificum pœnis, censuris, & excommunicatione latæ sententiæ soli pontifici reservata repetitum. Quando itaque anno 1679. Romæ innotuisset legatum gallicum Parisiis adventurum Romam, pontifex per Nuntium suum Apostolicum Abbatem Laurum Regiis ministris Pomponæ & Colbertio

Gallus illud exigit frustra.

tio, ac ipsi Regi insinuavit, nunquam abs se admissum iri ullum legatum, qui non prius juri asyli ac immunitatibus cederet, injustè occupatis, additæque à Lauro invictæ rationes: sed nihil apud aulam effectum est, prætensi juris tenacissimam.

Cùm itaque præter nefandissima scelera magno Pontificis dedecore (qui ea videre patique cogeretur, quæ nollet) magna etiam pars urbis supremo Pontificis Imperio subduceretur, dominio inter tot legatos, velut inter tot Principes [O quanta servitus!] diviso, nullibique terrarum hujusmodi licentia permissa vel audita esset, cur summus Pontifex pateretur, quod nullus Principum? aut cur Romæ liceret, quod Parisiis, quod Londini, quod Viennæ, quod nullibi unquam licuit? ideo in tam sancta causa, à tam sancto Pontifice justè decretum diploma omnes alii Principes & legati ratum acceptumque habuerunt, omnesque præsentes Cardinales 31. Estreo & Maidalchino exceptis, subscripserunt. Causæ negationis.

Hisce omnibus neglectis & contemptis, dum Lavardinum Pontifex in Italiam advenisse intelligeret, denuntiari iterum jussit Cardin. Estreo, se nunquam Lavardinum pro legato habiturum, si jure asyli potiri vellet: omnesque Cardinales & Prælati Romæ speciatim moniti sunt, ut Pontificii memores diplomatis ab ipsis subscripti, ab omni cum Lavardino societate sub censurarum pœna abstinerent, qui contra omnium principũ gentiumque jura toties recusatus, armatâ tamen vi, & in contemptum Principis legatum ageret, seq; in censuras & anathemata spontè indueret.

Ejus jus Lavardinus Romæ tuetur.

236. Tandem Lavardinus anno 1687. die Dominicâ 16. Novembris ingenti armatorum globo & curribus stipatus, & ab Estreo & Maidalchino Cardinalibus associatus, Romam ingressus, argenteos in plebem nummos dispergens, apud Estreum cœnavit, ac statim palatii seu domicilii sui aream & plateam excubiis, tuendi asyli causâ occupavit. Pontifex pompam audiens militarem, dixisse fertur: *Hi in curribus & in equis, nos autem in nomine Domini ambulabimus.* Psal. 19. 8. Deinde Lavardinus ad Cardinalem Cibum, postea ad Pontificem admitti petiit; sed ab utroque non admissus rejectus est. Festum S. Luciæ in Lateranensi, in memoriam Henrici IV. solemniter celebraturo Pontifex faces extingui, sacrum abrumpi, & cantum cessare jubet, quòd censuris Lavardinus esset astrictus; hinc distulit solemnitatem. nocte Nativitatis Christi in templo S. Ludovici S. Epulo refectum audiens Pontifex, jubet Cardinalem Vicarium gallicæ ecclesiæ affigere interdictum, adjectâ causâ, *Quòd Lavardinus notoriè excommunicatum ad sacra admisissent.* Lavardinus autem negabat se censuras meruisse, quòd legati jure gentium violari non deberent: sed malè supposuit se legatum, cùm non esset: nam *Wicquefortius & Grotius de jure pac. & bel. l.* 2. *c.* 18. *n.* 5. ajunt: *Duo requiruntur ut quis legatus constituatur, auctoritas videlicet mittentis, & principis, ad quem mittitur: Si autem aliquis principum eum respuerit, dici quidem poterit aliquid contra modernum morem fecisse, nihil autem contra jus gentium.* Uti antiquissimæ docent

Lavardinus Legatus rejicitur & excomunicatur.

Legatus quis propriè sit.

cent historiæ; & infinitæ hodiernæ. Multò autem justius Lavardinus legatus est rejectus, qui non pacis legatus, sed ut hostis, aliena militariter invasurus advenerat, postquam toties à Pontifice per Varesium, Laurum, & Card. Ranuccium esset rogatum, ursumque, ne Lavardinus tanquam legatus non admittendus mitteretur. Quòd si Regis Imperio dicatur Lavardinus asylum occupasse, audiant Apostoli, in omni foro, humano divinoque receptam sententiam: *Digni sunt morte non solùm qui ea faciunt, sed etiam, qui consentiunt facientibus.* Rom. 1. 32. Hæc omnia & singula Pontifex ipsi Regi Ludovico per suum Parisiis Nuntium imperterritè significari curavit: voluit enim solus Romæ dominus imperare. Rex econtra pontificiæ excommunicationis bullam rejiciens, ad proximum frustra appellavit concilium; subditisque suis omni cum Romanis commercio &c. interdixit. Pontificis tamen animum nullis unquam minis aut terroribus à sua valuit dimovere constantia, Angliæ licet Regis ad fidem recens Catholicam summo Pontificis gaudio conversi mediatione implorata; ab excommunicatione tamen illum demum absolvit. Rei catastrophen *Vid. num.* 262.

Annus 1688.

237. Ad finem anni præcedentis, & initio hujus Hungariæ Ordines viduæ Tôckeliæ submissionem, & 12. Januarii Mongaciæ, arcis in rupe inexpugnabilis, traditionem sub spe gratiæ Cæsareæ persuadent; quæ discordante potissimùm

Tôckelia se & Moncatium Cæsari submittit.

mùm, & dilabente inde præsidio se submittens, cum duabus prolibus Viennam ad Cæsarem à Caraffa remissa, immobilibus nudatur bonis, mobilia cum dote sibi constituta restituuntur, omnibusque ei adhærentibus, excluso Töckelio, concessa est amnestia. Arx cessit Cæsari cum ducali pileolo, turcicis investituræ literis, vexillo, Spatha, veste, aliisque turcicis supremi in Hungariam aut Transylvaniam dominii signis à Sultano submissis, ibidemque loco tutiore hucusque cum ampla gaza conservatis; robur enim munitionis vivo in lapide fundatum, versus septentrionem Cassoviam, Unguariam & Transylvaniam respicit, cui etiam antehac proprietariè fuerat subjecta, jure belli à Lazaro Schwendio 1567. occupata, ad Ragotzianum demum Principem devenit, cujus viduam sibi Töckelius desponsavit. In ea reperta est rerum omnium copia, quæ præter commeatus in prædam cessit militibus. Arci interim Caraffa Comitem Terzy, Cæsar postmodùm Comitem Jörgerum præfecit. Töckelius autem contumax ad pagum Teleged cum 2. Rebellium millibus, & centenis aliquot Turcis confidens, vicinisque comitatibus admodùm exitiosus, 9. Februarii ab Hâusslero strage 600. captis 250. & interceptis II. signis est oppressus.

Cornarus Dernim capiens Montenegrinos recipit in fidem Venetã.

Circa idem tempus Morlaci, Istriam inter & Dalmatiam ad mare Adriaticum pugnaces populi, dum continuis Turcas excursionibus, vastationibus & prædationibus divexant, Cornarus Venetorum his in partibus providitor seu Archistrategus in omnem intentus occasionem tur-

turcicum in Chrim præsidium continendi, vix urbem Dernis 20. Januar. circumcingens spontaneâ capit deditione, unde factum, ut Montenegrinos Venetorum tutelam expetentes in fidem recipiens, imposito validiori Gerhovo dominii Risani præsidio, Turcarum excursiones adeo coercuit, ut plures Christianæ ex Arcegovina familiæ eo securitatis causâ confugerint; quod ægerrimè turcicus Arcigovinæ præfectus ferens, expeditè Alibegum Gozzi præfectum 26. Februar. cum aliquot armatorum millibus eo destinat, qui ad pristinam refugos fidem aut reduceret, aut ferro cuncta & flammis ipsum etiam Gerhovum devastaret. Sed opportunè protribunus Rizzo Bevilaqua cum Ottomarinorum vexillatione Risano adveniens Gerhovum ingressus, & vicinis indigenis Nipichis & Bagnanis confirmatus, Alibegum non sine strage rejicit, tribus potitus vexillis. Cornarus etiam collectam ex Spalatro, Clissa & Sing turmam Dnuoum versus emittens, ingentem pecorum numerum prædatus, prodeuntem Clivano Alpunichum turcam conjicit in fugam. Faustis hisce victoriis allecta Arcigovina provincia (cujus metropolis Castelnovum à Venetis nuper captum, nullis præterquam Mocronazio & Braskia arcibus turcicis firmata civitatibus, 50. tamen familiarum millibus dives) tota Venetorum tutelam amplexa est, quam subsecuti Montenigrini, Clementini, aliique ex Albanis montibus populi, qui Venetorum armis induti in fidei suæ probationem cæteros Albanenses Turcas infestarunt. Hæc ægerrimè ferens Scutari Præfectus

Arcigovina provincia &c. se Venetis submittit.

fectus Solimannus Bassa Albanensis, ne plures ad defectionem sollicitarentur, benignis primum literis & liberalibus promissis ad fidei erga Ottomannicam Portam constantiam confirmans, ad ultricem in transfugas & perfide deficientes, excursionem & devastationem hortatur; sed spe suâ frustratus, septem armatorum millibus eò properat; Cornarus autem collectis raptim copiis Clementinis, Cuzzirinis, Piperinis &c. illum profligat, & præter mille sexcentorum cædem 19. signa & impedimenta, arcem quoque Medunam extorquet.

Cornarus Turcas profligat.

238. Maurocenus autem arcem Atheniensem urbe infirmâ demolitâ, sufficienti roboratam præsidio deserens, Chalcidem, nunc vulgo Negropontum eminus intercludit, quem Turcæ cum adjacentibus archipelagis insulis Metellino, seu Lesbo, Chio, & Candia commeatu & bellico apparatu abundante, vallis & propugnaculis gnaviter muniebant; Thebas vero deserebant, terrore ubique Turciam invadente, ubi, Constantinopoli imprimis rebus turcicis inter incertas seditiosorum libidines jactatis, Vezirius dum officiorum & dignitatum oblatione animos & consilia divertere satagit, ab illis male habetur, insultante præ cæteris, uno, qui necem intentare ausus est. Elatus hic secreto supplicio in temeritatis vindictam mortem concivit Janizarorum præfecto, qui necis illatæ auctor à seditiosis est creditus. Unde cùm ferventibus odiis sibi magis magisque Vezirius metueret, Architalassum Imperii, & eos, qui sibi favebant, in sui defensionem evocavit, seseque domi continuit, à rebus

Constantinopoli seditio

Turbæ Constantinop. in Vezirîû necatû.

bus gerendis temperaturus, donec turbæ deferbuissent. Sed frustra; impetitus enim à furiosis rebellibus effracta & expoliata domo necatus est 1. Mart. cujus dilapidationis felicitate ad pronam prædarum cupiditatem allecti, jam præcipuorum urbis Magnatum palatia vastare cœperant, quum opportuno consilio Sultanus Mahumetis vexillum exponi jussit, evocatis hac arte ad signa centum millibus hominum, qui facto agmine in prædatricem rebellium turmam procedentes, eorum partem obtruncarunt, reliquos in fugam coëgerunt. Suffectus est in summa rerum procuratione trucidato Vezirio Ismaël, homo ætatis provectæ & placidæ mentis; ast dum sub ejus auspiciis meliora expectantur, fortuitò 19. Februar. incendio Byzantii domorum 4. millia, & amplius cum ingenti præcipuè omnis generis mercium, & granariorum jactura conflagrarunt; nova è Cypro auditur seditiosorum unio, qui imperio reverentiam detrectabant; tertiusque in Asia Rebellium consensus, qui Solimanno extruso rerum summam Mustaphæ, exauctorati Mahumetis filio, deferri pari protervia insistebant, de quo *infrà*.

Sedatæ.

Succesfit Ismaël.

Incendium Constantinop.

Ad Savum & Tibiscum diversis velitationibus pugnatum est inter Cæsareos & Turcas, in stativis hybernis degentes, felici ut plurimum Christianorum sorte; sed famoso præcipuè congressi sunt prælio Epirotæ, vulgo Albanesi, qui quòd eorum pagi Leuctrorum (Maynoti) in Peloponeso sese Venetis dedidissent, à S. Sabæ (Przegovinæ) præfecto aliquot primum incursionibus lacessiti, inde ab Ascriviensi [Scutari] Bassa justo ferè exercitu

Epirotarum prælium.

ercitu impetiti, hostes longe lateque auxiliaribus Venetis adjuti fundunt, reductâ ingenti prædâ ex papilionibus, equis, armis, & cæteris manubiis, quam sibi dividendam domum asportant.

Maurocenus Naupliæ factionē castigat. Inter hæc Generalis Maurocenus XII. navibus militaribus Napolim di Romania ob certam sub cinere Misitrensiũ Turcarum cum Malvasiensi Bassa conspirationem velificans, lustratis novis hujus urbis fortificationibus, omnes Misitræ Turcas [quorum mille Christianam amplexi religionem conservabantur] numero universim 2414. viros ad triremes condemnat; 770. senes vero, mulieres & pueros in ulteriorem relegat Turciam, quorum tantus ob maritorum & parentum orbitatem fuit ejulatus & consternatio, ut abeuntibus viris mulieres plures in mare se vivas præcipiraverint, sarcinis eorum, utpote peste infectis, Vulcano traditis. *Vide num.* 278. 279.

Justiniani defuncti successor in Ducatũ Maurocenus Negropontum cingit. Dum interim 23. Mart. Venetiis Marcus Antonius Justinianus Dux fato cedit, in ejus locum ob præclara merita & insignem prudentiam, communibus Senatûs votis 3. April. electus est Dux Joannes Franciscus Maurocenus, cui pro dignitate & assistentia Senatores aliquot adjuncti, & Zuccatus Reipublicæ Secretarius Cornu, seu pileum ducalem ad navalem defert classem & castra, Negropontum oppugnantia, & dignitatem summo jubilo Duci suo congratulantia, dum Venetiæ, Amilia, Neapolis, Campania, Romandiola & tota fermè Italia II. Aprilis horribili terræ motu non sine miserabilibus hominum, ædium & templorum ruinis per 15. continuas

Terræ motus per Italiam, Asiam &

tinuas horas concutiuntur, & Smyrnæ in Asia minori urbes ferè integræ eodem terræ motu conciderunt. Subsecutæ mox sunt fluminum exundationes, agrorum inundationes, & marium tempestates, incredibili utrobique damno.

Nec ad votum succedebat Negroponti obsidio morbido impedita aëre, quo omnes ferme Generales Strategi, Principes Turennius, Brunswicensis &c. Marchio Combonus &c. & ipse adeo invictus aliàs Archistrategus Kônigsmarckius robur exercitûs infectus, maximo omniũ, & imprimis Mauroceni dolore devictus 15. Septemb. obiit, taceo plurimos tribunos, & gregarios milites passim deficientes, accedebat vigorosa præsidiatiorum pertinacia indefessè imperterritéque propugnantium, quamvis miles Germanicus, Melitensis, Florentinus, Romanus &c. non minore fortitudine & generositate ad ipsas urbis fossas indefesso pervenerint labore, muros cuniculis per lata satis intervalla dejecerint, & validos iteratò tentarint insultus, urbis tamen præsidiarii novo sæpe per pontem subsidio confirmati, & præfecti sui Ibrahimi Bassæ verbis & exemplo animati eos semper rejecerunt. 20. tandem Septembr. accensis cum effectu cuniculis ultimam Maurocenus tentat impressionem, qua Sclavoni, Florentini & Hanoverani milites muri quidem ruinas occuparunt, sed propter latum internum recessum, & desperatam Turcarum defensionis constantiam, cæsis potissimùm Sclavonis vi repulsi sunt, quòd succenturiati ad hoc delecti tædio laboris & periculi succurrere recusarint, quos Maurocenus di-

Konigs marck. obitus.

ob morbos Negropontum deseritur.

gnis afficiens pœnis, adhibito demum bellico consilio obsidionem solvens, exercitum ad X. millia redactum (cujus etiam media pars morbis afflicta, & XI. millia mors devoraverat) relictâ non urbe, sed lapidum potius cumulo ad classem cum omni bellico apparatu traducit, & 24. Septemb. Naupliam, seu Neapolim de Romana pervenit; inde dimisso ad hyberna milite Zazyntum pervenit, ad futuram expeditionem cuncta maturè dispositurus, quo Veneta etiam Respublica octo millium augmentum cum necessario bellico apparatu transmisit. Felicior in Dalmatia Cornarus Clinum, duplici muro munitam urbem armatâ manu, & arcem ob aquæ defectum deditione occupat. *Vid. num.* 259.

Cornarus Clinum intercipit.

Constantinopolitana seditio.

Constantinopoli ad Augusti initium Vezirius Janizarorum & Spahorum conspirationem in ipso adhuc partu opportunâ quidem extinxit celeritate; sub hac tamen alia gliscebat atrocior, ab Jenghino Bassa, & Sultana Hasseck, Mahometis IV. uxore clandestinè fotâ, qua propter dilatum stipendium, & ineptum monarchiæ regimen percusso Vezirio, & Sultano in carcerem retruso Mustapham Mahometis filium throno volebant imponere, proditos tandem auctores Janizarorum Agam, & Kiajam Bay seditionis & perfidiæ scelere acriter castigatos hunc ad castellum maris nigri, illum Scodram, seu Scutarum Vezirius Sultani jussu relegavit, perque octiduum cum 800. equitatu urbem circumvolans 500. necavit conspiratores.

Alba Regalis fame cogitur ad deditionem.

239. Cæsareani ab aliquot jam mensibus Albam Regalem arctè cingendo miserâ urbem fa-

famis premebant calamitate; Husain Bassa cum 7. sociis Danubii beneficio Belgradi media & succursum imploraturus, socii in flumine, ipse Walcowarii (quod turcicæ adhuc esse potestatis existimabat) cum literis capitur: & quia præfectus liberam exeundi urbem civibus dabat potestatem, 20. Mart. 120. viri & mulieres, paulò pòst ultra 130. urbem egressi lautam deplorabant famem, ideoque Marchio Badensis Præfectus Jaurinensis, & rerum militarium præses præfectum Leopoldensem Baronem Ariezagam cum milite germano, & Com. Buthianum cum Hungaris ad urbis impugnationem destinat, antequam Turcarum succursus, ut fama spargebat, adventaret. Ariezaga nulla licet tormenti explosione urbem, uti prohibitum ipsi erat, flagellaret; Turcæ tamen aliquoties non sine utrimque cæde excurrentes, opportunam per hoc propius urbem accedendi dabant Christianis occasionem: sexto igitur Maji eisdem ad modum Erlaviensium conditionibus, ab ipso Cæsare Leopoldo subscribendis, deditionem offerunt. Quibus ex singulari Cæsaris clementia (quod urgentibus alii causis & argumentis dissuadebant) ex Badensis intercessione [cui postmodum literis Turcæ egerunt gratias] subscriptis & signatis, præsidium turcicum 1100. fame & morbis potissimè afflictum liberè dimissum, & Illocum navibus deductum, quod quatuor utriusque sexûs millia comitata sunt, Christiana autem muliebris sexûs mancipia, Turcis maritata, traditis Patri infrà 18. annum liberis, Cæsareanis tradi debebant, & qui 18. annum

ſuperaverant, liberè vel abire, vel remanere permiſſum. Reliqui infra 18. annum utriuſque ſexûs liberi à Cæſareanis detinebantur. Nec impediri tamen potuit etiam ſub comminatione ignis, quin plures chriſtianæ mulieres maritos ſuos Turcas fuerint ſubſecutæ. Et quia ſpes nulla innatam plurium Turcarum adverſus Chriſtianos malevolentiam cicurandi manebat, non ſine regionis damno ſunt dimiſſi; quibus excedentibus, qui ad arva colenda erant apti, ſoli præſidiarii milites armis, non aratris tractandis idonei ſubſtituebantur. In armamentario ingens & ſplendidus repertus eſt bellicus omnis generis apparatus, & præter alia 79. tormenta bellica, quinque etiam mortaria, quorum unum 200. librarum pyrobolum evibrabat, ſub Maximiliano II. 1571. fuſum &c.

Albæ Regalis deſcriptio.

Cæterùm Alba Regalis Budæ & Strigonio collata, trianguli formam reddit, pari fere intervallo, ac loci celebritate, duas illas alluente Danubio, hanc Albam perpetuis paludibus mirabili naturæ munimine præcingentibus; nam intra duas utrimque ampliſſimas paludes, incertæ altitudinis, equiti pariter & pediti invias collocata, duos tantùm habet aditus, unum qui ad Budam, alterum qui ad Balatonem lacum ſpectat; harum paludum uni Soſto, quæ orientalior eſt, alteri Ingovano nomen eſt, quæ ambo ex flumine Sarviſio æquè paluſtri ac cœnoſo, carectisque, & arundinetis impedito (qui è Balatone lacu, quem fluvius Sala efficit, prorumpens prope Bacham oppidum Danubio miſcetur) occultis & ſubterraneis quibuſdam meatibus ortum

tum ducere, ac in latis cavarum vallium spatiis perpetuò stagnare creduntur. Ab urbe tres aggeres admodùm lati se extendunt, quibus templa, & publici privatique juris ædificia, suburbanæ domus, ac horti irrigui, & prata intercedunt, frequentiorem in iis, quàm in urbe civiū, & variorum hominum concursu & habitatione. Urbem interiorem, ubi major S. Stephani Regis Basilica nobilissima, & Mathiæ Regis sumptibus superbissima, in qua Reges olim diademate insigniri, & morte obitâ sepeliri consueverant, murus haud invalidus, & fossa profunda, perpetuis è palude aquis plena satis munitam reddunt, ut ajunt *Bonfinius*, & *Isthuanfius hist. Ungar. lib.* 1. & 15.

240. Sub hæc Ottomannica Porta pressa æris inopia, non ordinariūm, sed extraordinarium à Transylvanis exigit tributum: Abaffius Princeps, cæterique Ducatûs status id non solùm nunc, & in perpetuum denegant; sed publico etiam scripto seu manifesto turcicum abjicientes servitutis jugum, omni fœderi, correspondentiæ & communicationi cum Turcis abrenuntiant, & Romano Cæsari, Leopoldo & Josepho I. hæreditario Ungariæ Regi, ejusque successoribus se obedientissimè submittunt, pro nunc & semper Ungariæ & Transylvaniæ Regem ac Ducem agnoscentes, omnes eidem urbes, arces & munitiones in fidem & tutelam committunt: Ottomannicam verò Portam & Turcas capitales declarant hostes.

Transylvani abjiciunt jugum turcicū.

His per Antonium Caraffam in Transylvania peractis, occupatisque Lugos, Caranzebes & Som-

Caraffa Lugos, Lippam &c. occupat.

& Somlos, Hungariæ limites Walachiam usque extendit, & decem armatorum millibus Lippam, à Georgio Marchione Brandeburgico olim muris & propugnaculis communitam cingit, 20. Jun. urbem vi capit, & arcem deditione; præsidium & virilis ætatis armigeros 2050. detinet captivos, cæterum vulgus 3000. Temeswarū relegat, & urbem militum direptioni permittit. Præter bellicum apparatum non exiguum repertæ ibidem sunt centum mille salis glebæ, totidem ducatorum pretio. Inde Caprara Essecum, paulò pòst Illocum contendit, quod, licet novis Turcæ roboraverant munitionibus, eo tamen adveniente accensâ urbe Belgradum fugiunt, bellico relicto apparatu, clavatis 18. tormentis, 12. mortariis, & 200. pulveris centenaria à flammis illæsa.

Caprara Illocum

241. Ludovicus autem Badensis, ut hostium vires dividerentur, delecto milite, & Carlstadiensibus Croatis Gradiscam iteratis excursionibus permaximè vicinis locis damnosam occupat, ut commodius pontes navales insternendos ad Belgradi obsidionem disponeret, quo totus jam exercitus Cæsareus vadens, & 18. Jul. Petrowardini consídens locum pro navium annonariarum securitate, quantum fieri potuit, roborant. Hinc Hoffkirchius cum Zrino & Juanowicio Possegam versus, Dravum inter & Savum jacentem [ubi opportunum Savi transitum totumque ejus tractum duo Turcarum millia cautè custodiebant] cum 800. germanis equitibus & 200. peditibus demissus, binis per noctem naviculis 500. Ungaros in alteram Savi par-

Badensis Gradiscam,

Hoffkirchius Possegam, &

partem transmittit, qui hostem castris loricatis fortiter ejiciunt, ejusdemque navibus potiti, omnes reliqui subitò transmissi fugientem hostem persecuti, cæsis eorum 300. capti plures, etiam mulieres, & insignis præda, ducentique Germani & Croatæ captivi sunt liberati; locus autem transitioni percommodus, sepimentis & foveis gnaviter est roboratus. Bosniæ Præfectus Depet Bassa & Hasan Bassa atrociora inde metuentes, cum 5. armatorum millibus 17. Jul. noctu Hoffkirchii sepimenta aggressi, à trecentis germanis equitibus & peditibus, ac C. Ungaris solummodo defensa repelluntur (nam reliquos Possegam pro commeatu & apparatu adferendo emiserat) hos altero die revertentes, cùm Turcæ existimarent succursum, desperato iterum ante eorum conjunctionem impetu irruunt, & beneficio vasorum, & asserum foveam transeuntes vallum occupant, eidemque tria infigunt victoriæ vexilla; sed Christianorum fortitudine iteratâ cæde suorum 500. rejecti, maiora videbantur tentare; Hoffkirchius igitur factâ excursione eos suis ad Savum sepimentis ejicit, & advenientibus Possegâ emissis turmis Pfefferkornius copiosius excurrens hostem omnino agit in fugam, quorum in hac 24. horarum velitatione 1200. Christianorum verò 200. cæsi & vulnerati sunt. Inde ne ulteriori exponerentur periculo, dum Badensis tam subitò nequiret subvenire, ejus jussu Petrowardinum sunt reversi, ubi exercitus Bavarorum auctus est accessu, & 23. Jul. supremus vigiliarum Præfectus Wallis pontem Danubio vix instratum cum

Bis cædens Turcas.

Capit Titulii. duabus equitum, totidemque peditum legionibus transiens Titulium, tribus Petrowardino leucis ad Tibisci & Danubii confluentiam situ percommodum spontanea mox deditione cum 18. tormentis occupat, validoque firmat præsidio.

242. Tum 28. Jul. Maximiliano Electore Bavaro Petrowardinum adveniente, die altera exercitus inde movet Belgradum, postquam Ludovico Badensi postulatum quatuor millium qua equitum, qua peditum augmentum in Bosniam submisisset, qui conjuncto sibi Hoffkirchio ulteriùs in Bosniam progressus, superatâ difficulter Unnâ fl. Castanovizam decimâ quintâ Augusti occupat, inde Dubizam & Gradiscam invasurus audit Bosniæ Bassam Topol in valle ad montis radicem cum VII. armatorum millibus, ut referebat rusticus, considere, ipse cum ter mille equitibus, 300. Croatis, & 4. tormentis castrensibus transmisso Savo per totam noctem per montes ductore rustico hostem haud procul Trevenizo invenit, sed illucescente die 15000. valentem, generoso nihilominus animo in eum movet jam in armis paratum, qui victoriæ quasi certus 12. raptim millibus in Christianos, pusillum veluti gregem facilè devoraturus, in sinistram Comitis Castelli alam tumultuariè irruit, & copioso suo implicat numero. Stant intrepidi Badensi hortatore Christiani, clausisque ordinibus non jam excipiunt & sustinent, sed accedente cum dextera ala Piccolomino ita fortiter vim inferunt, ut dexterum hostile cornu cederet, cedendoque sini-

Badensis in Bosnia intercipit Castanovizâ, Dubizam & Gradiscam.

ftri fui ordines diffiparet, mox totum in fugam verterent Turcarum exercitum. Urgent Christiani ad castra eos insecuti; hic Ottomanni desperatè decertantes, sed animis paulo post & viribus deficientes fugam effusè capiunt, quam fovea castris latè obducta plurimum interrumpens vix ulli, nisi expeditis equitibus dabat effugium; magna verò IX. millium cædes est secuta, inter quos ipse Selimus Bassa, capta 2. millia, reliquus dispersim exercitus per saltus & avia relictis castris, impedimentisque omnibus & 40. signis turpiter est elapsus, desideratis tantum 150. Cæsareanis. *Insolens certè hac victoria plus fiduciæ in belli causa, quàm in apparatûs robore posuit. Dio. l. 20. Stultum autem est maximam victoriæ fiduciam in numero reponere. Veget. lib: 2. quia nimiùm copiosi exercitus magis propriâ multitudine, quàm hostium virtute deprimuntur. Id. l. 1. c. 1.* Turcarũ 15000. fudit & castris exuit.

Habuit Alexander M. in exercitu peditum 32000. equitum 4500. naves 182. hac tam parvâ manu universum terrarum orbem, utrum sit admirabilius, vicerit, an aggredi ausus fuerit, incertum est. At plerosque emeritæ militiæ elegit, ut non tam milites, quàm militiæ magistros electos putares: ordines quoque nemo nisi sexagenarius duxit, ut ajunt *Justin. Lib.* 11. *Plutarch. & Diodor. &c.* Aut quod olim Fabiorum legioni tribuitur, unumquemque ex ea militem potuisse partes imperatoris digne sustinere.

243. Plus ultra Badensis Bagnialucam Bosniensis Bassæ residentiam, & ferri fodinâ divi- Capit Bagnialucam.

& Breskam. tem occupat: hinc tanto metropolis Setraglium trepidabat terrore, ut civium & præsidiariorum pars deditionem jam tum pararet, pars verò fugam. Sed urbem in hostico longiùs dissitam, & nullo firmatam robore, sine alio tutiore post tergum securitatis munimento occupare, expedire non videbatur; relicto igitur Serraglio Breskam (aliis Brussam) urbem nobilem à Turcis derelictam, sed commeatu victualibusque ditissimam capit, ac propter opportunam loci commoditatem, & regionis fertilitatem, in eminentiori loco vallis, aggeribusque communire, & bis mille præsidio jubet firmare, Thüngenumque ejusdem, & omnium ad Savi Tractum locorum præfectum & inspectorem constituit; Piccolominum deinde ad Cæsarem mittens, Situm Bosniæ & constitutionem significat, montosam, inviam, nullis roboratam munitionibus, ideoque militum hybernis ineptam, præterquam ad SavüKrapuam, Kazovam & Breskam alicujus roboris peditatum admittere, & hybernari posse, non equitatum, in Sclavoniam remittendum. Ad hæc Cæsar, hostem Bosniâ expellendum, ut salvis provinciis hæreditariis sex insuper legiones ibidem hybernarentur: quibus eo destinatis auctus Badensis validam in rupe arcem Zwornickam, arctum ad fl. Drinam transitum, foveis, aggeribus, & bis mille præsidiariis munitam, tormentis etiam ex montium obstaculo haud facilè impetendam, atq; ad omnem strenuam defensionem idoneam, vi aggressus, ex mulierum lamentatione, & tormentorum defectu per traditionem 25. Octobris capit,

Item Zwornickam.

pit, pactâ incolumitate 30. solùm præsidiarii armati cum 40. præfecti equis, ceteri omnes inermes relictis omnibus abscedebant. Ubi verò innotuit cunctos latè accolas pretiosiora navibus maturè curribusque abduxisse, Styrumia & Piccolomina legiones propere insequentes, duabus abhinc leucis transfugas assecutæ naves, & fœmineam haud procul turmam, insignem sustulerunt prædam. His feliciter peractis Badensis Viennam profectus Bosniam Piccolomini commendat vigilantiæ, milites que ad assignata deducuntur hybernia.

244. Interea temporis Bavarus exercitum versus Belgradum promovet, Savum ad Sebaciam insulam transiturus; quod Seraskierus Jeghenus, & Tôckelius in illa 2000. armatorum impedituri, egregiâ & cruentâ utrimque velitatione repelluntur, & decimâ augusti die totus recta exercitus petit Belgradum. Incolæ terrore perculsi, sexdecim incolarum millia quadringentis paratis navibus pretiosiora sua in Turciam ulteriorem devehunt, & Seraskierus Jeghenus accensis superiori & inferiori suburbiis plenus timore fugit Semendriam, quâ etiam à militibus direptâ & combustâ se proripuit Sophiam. Durantem Belgradi suburbiorum incensionem delectâ Bavarus turmâ extincturus, illi spoliorum avidiores dum flammarum negligunt impetum, totum ferme ignis suburbium, & ingentem annonæ, aliarumque rerum copiam devoravit; quater circiter mille Rasciani & Judæi suburbiorum inhabitatores obtentâ à Bavaro securitate (quæ omnibus etiam provin-

Bavarus Belgradum obsidet, Seraskiero aufugiente

ciæ incolis tam Christianis quàm Ottomannis est stipulata) ad sua redierunt. Tum Bavarus 12. Augusti castra urbi applicat, obsidionales vineas & accessus promovet, tormentorumque suggestus ad Serini Comitis dispositionem adeo fervidè erigit, ut paulo post rejectis feliciter iteratis Turcarum excursionibus, 26. curules machinæ è singulis quatuor Tormentariis aggeribus horrendè in muros fulminaverint. Deinde Bavarus spontaneam urbis æquis sub conditionibus exigit traditionem, quam præfectus Okius Ulderenus Achmet resolutè denegat, 10. præsidiariorum millibus eam propugnaturus, mox, ut sperabat, à Jegheno Seraskiero subsidio confirmandus. Hic autem urbis per tormenta muris denudatæ advertens periculum, festinum à Soldano petit subsidium, & præter aliquem stipendiorum nervum, quatuor tantùm Janizarorum millia impetrat; plura enim submittere cùm militum inopia, tum adulta conspirantium vetabat seditio, quæ etiam Solimannum coegit Constantinopoli fugere Adrianopolim. Et quia Jegheni exercitus Nissæ considens plurimorum fugâ erat admodùm diminutus, succurrendi, confligendive aleam tentare non est ausus. Cæsareani igitur cuniculos subterraneosque furnulos magno promovent studio & æmulatione, ut dejectis latius mœnibus, completisque foveis decretorium propediem tentarent insultum, haberentque spectatorem Carolum Lotharingiæ Ducem, & fortitudinis suæ laudatorem, qui perlustratis vallis castrensibus ob recrudescentem infirmitatem reversus est Viennam.

Sextâ

Sextâ demum Septembris die generalis in urbem quinis in locis decretus est cum sex expeditis armatorum millibus impetus, cujus ante signani Com. Scherffenbergus, Steinavius, Commercius, Hauslerus, & Pinus sub directione Serini, & militari tessera *Emmanuel*, hoc est *Nobiscum Deus*, omnes generosè vallum murumque firmiter occupant; sed Scherffenbergus globo petitus, in momento gloriosè expirat, magnanimæ resolutionis heros. Steinavius loco dejectus, sed mox subsidio confirmatus recuperat quidem, ulteriorem tamen in urbem gradum interior prohibebat alta, lataque fovea, vallo, loricis, validoque cincta milite, ut loci iniquitati, & hostium furori cedentes, accurrentis demum Bavari adhortatione (agite fratres, quod me videtis facere, sequimini generosi Martis filii) animati, & succenturiatis roborati legionibus, turmatim in foveam, non sine plurimorum lumbifragio, præcipites, hostem expellunt, & urbis interiora penetrant. Hauslero simili muro interiori impedito succurrit cum dimachis Eugenius Sabaudus, & alii alibi irruentes miserabili utrobique strage præsidiarios prosternunt; parcitum vulgo, fœminis ac liberis ad aquam confugientibus: armati Janizari arcem petentes christianos ibidem captivos velut Scutum & vallum victorum furori objiciunt, & retro Turcæ plurimi, urbis præfectus, vice præfectus, aliique Bassæ latebant incurvati, captivis clamore & gestu enixe deprecantibus, ut sibi Christianis parcerent. Cessatum igitur à cæde, turcæ mancipantur, captivi libertate donantur, &

In urbē insultus & obitus Scherffenbergi

Belgradum vi capitur, & magna Serviæ pars

& Christiani in mancipatu malè habiti, mensuram talionis bonam & coagmentatam suis retulêre dominis; Judæi verò & alii Turcæ cadaveribus urbem purgare debebant; magnus enim præsidiariorum fuerat numerus 16000. quorum potissima hîc pars occubuerat, Christianorum 2459. tribuni autem, aliique Officiales 28. gloriosam ibidem mortem obiêre.] Vulnerati sunt Principes Eugenius, Commercius, & ipse in vultu Sagita Bavarus, aliique 1483. Repertæ in urbe machinæ bellicæ 77. quarum una 440. altera 329. liberas ejaculatur: Spoliorum vix quicquam notabile inventum, quòd maturè Danubii beneficiò aliò fuerint transmissa. Sic Belgradum celeberrimum Serviæ, imo totius Europæ, ob tot fluminum confluentiam, & loci opportunitatem emporium, turcico 167. annorum jugo subtractum, ungaricæ tandem coronæ restitutum, Guidoni Starrenbergo cùm 25. peditum vexillationibus est commendatum.

Turcæ petunt inducias & amittunt Barnowizam.

Occupato Belgrado 7. Septemb. pacis caduceator, seu legatus turcicus Sulficar Effendi cum Maurocordato interprete armorum inducias, simulque maturam itineris sui Viennensis ad cudendam pacem petit expeditionem, quia jam omnes ultra XX. milliaria arces & oppida in Christianorum cedere potestatem, & ad ulteriorem Turciam liberum patere aditum prævidebat, sed lautæ adhibitus mensæ, comiter dimissus est. Nam Comes Cziackzus cum Husaris suis, Rascianis & Græcis Barnovitzam tumultuariè opprimens, præsidiarios in ore gla-

dii

dũ occidit, & liberatis 1500. mancipiis Christianis sat divitem retulit prædam: conjunctis postmodùm cum Hauslero copiis latius in hosticum excurrerunt.

245. Durante adhuc Belgradi obsidione Generalis Veteranus Karansebem & Sicklowarium arces intercipit, præsidiariis Orsovam, turcico adhuc præsidio ut putabatur, firmatam, salvo conductis; sed quia Rasciani & Walachi Cæsaris amplexi partes illam interea vi occupaverant, hos præsidiarios delevrunt. Veteranus autem ad veterem pontem Trajanum Danubio instratum cum 4000. transgressus, excubias Novigradum usque (quod frænum & pessulum erat, quo continuum ibidem turcicum præsidium Walachiam continebat & Bulgariam) ad fluminis ripam, & in ejusdem insula, ut arctius illud includeret, militem imposuit. Novigradenses territi amicam offerunt vicinitatem; sed Veteranus præter arcis possessionem exigebat centum ducatorum millia, & in horum securitatem 24. obsides, quos Turcæ ad castra miserunt, & Veteranus vicissim è suis quosdam Novigradum. Dum hæc pacta rata videbantur, Töckelius Novigradum vi tumultuarie transcendens, quos primo furore non necaverat, tam Turcas quam Christianos omnes cum ingenti præda captivos Widinam abducit, arcemque incendit.

Veteranus occupat Karansebes, Sicklowarium.

Et tentat Novigradũ

Quod transcẽsum Töckelius incendit.

Inter hæc Bulgariæ & Serviæ episcopus turcicum abjecturus jugum, Cæsaris petit tutelam & subsidium, quo etiam Hauslerus cum 6. legionibus fuit expeditus; in cujus opportunius auxi-

Bulgariæ & Serviæ episcopus Cæ;

ſaris ſpe- auxilium Caprara haud procul Kulitzio arce-
tit tute- pontem Danubio impoſuit, & ultra 20. millia-
lam. ria omnes circa Belgradum arces & oppida, ut dixi ſuæ fecit poteſtatis. Veteranus autem in Tranſylvaniam rediit contra Walachos defendendam. Hauslerus Poſarewitzum aſſecutus, audiens Jeghenum Niſsâ contendiſſe Dobranizam, & mille Chriſtianos in via peremiſſe, adoleſcentiores abduxiſſe, & ultra 150. vicos & oppida redegiſſe in cineres, Poſarewitzum vallis & aggeribus ad hujus provinciæ, Semendriæque urbis ſecuritatem quamprimùm communit, auctusque à Caprara copiis Reſovam vadit Jegheni latrociniis obicem objecturus.

Töckelius Chriſtianos cædit. Raſciani quoque, Græci & Ungari Töckelium Widlni tumultariè oppreſſuri convenerant; ſed Ungaro rem maturè prodente, Töckelius 1500. Turris confirmatus, eosdem inopinatè obruens, præter mille cæſos, totidem in captivitatem abſtrahit, & reliquos diſſipat.

Ceterum Cæſareanus exercitus ad diverſa in Ungaria diſtributus loca, legiones quædam vigilantiùs Varadinum majus, Caniſam & Sigetum eminus obſeſſa, & ad extremas famis neceſſitates redacta obſervabant: duo prima ſubſidii & commeatûs ſpe adhuc lactabantur,

Sigetum fame cogitur. Sigetum penitùs deſperando, ultroneam ſub anni ſequentis initio 15. Januarii offert traditionem ſub eiſdem conditionibus & modo, quibus Agrienſes & Albæ-Regales, Turcæque Widinam 15. Februarii ſunt dimiſſi magnus ibidem inventus eſt bellicus apparatus, & 85. bellica tormenta. *Vid. num.* 255.

Po-

Polonica hujus anni expeditio propter Ordinum in Comitiis Grodnensibus (ubi Palatinus Vilnensis votum Dombrowskii improbans ejecit comitiis) discordias evanescit, quas nec senatûs consilium postcomitiale, nec bellicum à Rege convocatum potuit sanare; ideoque à Nuradino Tartarorum Sultano variis excursionibus depopulationibus, & oppidorum vastationibus graviter afflicti, 12. Christianorum millia abducta, & velitatione devicti, amissis 18. signis 2000. Polonorum occubuerunt. Crinslius tandem 2000. hostium cædendo repulsit. *Vid. n.* 259. — Poloni discordes magna strage vastantur.

Nova vindicta in Algerienses sævire coactus est Ludovicus Rex Galliæ, dum piratæ nihili pensis pacis toties pactæ conditionibus, in novas quotidie offensiones irrumperent. Cœpta est Kalend. Jul. civitatis oppugnatio grandioribus ignivomis globis, quos ad 1200. per dies aliquot classis regia non destitit evibrare. Ast ut leviùs id Barbari paterentur, in continentem urbi montem imbellis turbæ, & pretiosæ supellectilis impedimenta transtulerant, trucidatis interim horribili lanienâ Gallis omnibus, quos aut captivos, aut hospites habebant, quorum aliqui pelle detractâ, alii ori bombardarum expositi, alii alio modo miserrimè excarnificati fuerunt. — Galli Algirienses & hi Gallos vexans.

Sub anni finem Romæ sese Innocentio XI. cum epistolis & muneribus à Siamensi Rege ad eum destinatis præsentarunt tres Oratores gentiles, qui Principis ethnici nomine sacro Pontifici amplitudinis & sanctitatis famam sunt gratulati. His mutuo officio respondit Innocentius, — Legatio R. Siamensis ad Ponti.

Regi viciſſim gratulatus potentiæ magnitudinem, & maximè erga Chriſtianorum fidem inclinatum affectum, quem indies majorem, imo etiam integræ in eandem converſionis à cœlo gratiam eſt precatus. Excepti ſunt omnibus ſingularis benevolentiæ argumentis legati, ut eo magis pergeret Rex rebus Chriſtianorum in ſuo regno favere.

Jacobus Rex Angliæ VI. legiones à Batavis exigit.

Jacobus II. Angliæ Rex inſignem hujus anni initio bellicum colligens apparatum, ſuas VI. legiones Britannicas certis antehac pactis, urgente nonniſi neceſſitate revocandas, à Batavis repetit. Denegant illas Batavi, quòd nulla id modò, uti anno 1685. in factione Monmudienſi, exigat neceſſitas; deinde quòd batavico auctoratæ ſtipendio ultra C. annos hic militaverint, ex Hollandis plus quàm Scotis & Anglis collectæ. Ad iteratam tamen legionum iſtarum repetitionem Batavi omnes in eis Anglos, qui vellent, exauctoratos, ſolutis primùm debitis, in Angliam remittunt, & Architalaſſum Everts cum navali claſſe, metu imminentis mali expediunt; quod tamen evanuit, quando Rex publico per Angliam manifeſto omnibus conſcientiæ libertatem permiſit, per epiſcopos in omnibus fanis & cathedris proclamandam. Huic autem Regis mandato epiſcopi omnes, exceptis pauculis, refragati, ſupplici ſeptem imprimis epiſcopi libello demonſtrant, ſe hac in re abſque læſione conſcientiæ obedire non poſſe; Rex igitur illos inobedientiæ, & læſæ majeſtatis reos epiſcopatibus & beneficiis privaturus, aliorum

Publicat conſcientiæ libertatem.

tan-

tandem intercessione 18. Junii arresto innodat & captivitate; quâ etiam postmodum dicussis utrimque causis, & pluribus disceptationibus metu seditionis sunt exempti, gaudio omnium insolenti, quòd Romano-catholica Religio sic regno excluderetur; in cujus despectum plebs omnes domûs Comitis Sunderland (qui Catholico-Romanam recens religionem etiam amplexus fuerat) fenestras confregit, & joviales in ejusdem conspectu ignes excitavit. Inter hos regni motus & turbationes nascitur 18. Junii Regi filius Jacobus Franciscus Princeps Walliæ ex Maria Eleonora Estensi conjuge, baptizatus ab Episcopo Leuburnensi, susceptoribus Romano pontifice Innocentio XI. & Duce Mutinensi Alphonso II.

Quatuor Episcopi repudiantes captivantur.

Rex igitur Romano-Catholicæ religionis assertor mandatam conscientiæ libertatem stabiliturus, & pristinam religionem catholicam in regnum reducturus, novas per regnum ecclesias, monasteria, Collegia Societatis Jesu, & scholas erigere; catholicos ubiq; præferre, amplioribus honoribus, officiis & dignitatibus per cæteris cōdecorare, anglicanos episcopos reformare, imo captivare, & ad supprimendam sectam anglicanam, ad catholicam verò religionem augendam & stabiliendam nihil desinit intermittere. Regni ordines, & imprimis episcopi hujus pertæsi regiminis, initâ inter se occultissimâ factione, regni statum, & suæ sectæ suppressionem Auriaco Principi Guilielmo, ejusdemque uxori, Jacobi Regis sorori arcanis omnino literis & nuntiis

Jacobus R. religionem Romano Cath in Anglia restaurat.

Turbata Anglia Auriacũ & Batavos implorat.

aperiunt, consilium & auxilium deprecantes. Haud deses Auriacus justum mox colligit exercitum & navalem classem, Anglorum, Scotorum & Hibernorum libertatem, sectam, & privilegia defensurus, simulque sibi & uxori competentem in regnum successionem, rejecto Gambricensi principe per Regem subdolè, ut ajebant, & confirmabant regni proceres intruso vendicaturus. Nec deerant subsidio Batavi ab Auriaco ad hanc rem in societatem sollicitati. Evulgatis igitur expeditionis causis Auriacus ultrà 30. Angliæ proceribus, Com. Schombergo, Solmensi & principe Birckenfeldo comitatus, 11. Novembris classem militarem 600. omnis generis navium conscendit, & feliciter in provincia Divonshirensi appulsus, sine omni resistentia cum singulari incolarum lætitia exceptus, omnes fermè provinciæ, & urbes in ejus fidem recipi contenderunt, ejusq; exercitus anglorum passim accessu, sub prætorio vexillo anglicis insignibus pro libertate & religione decorato mirũ quantũ excrevit. Regi hac inopinata fuimet generi irruptione perturbato, & metuenti proceres regni, & episcopi porrectâ suadent supplicâ, ut convocato regni senatu, seu parlamento, communibus malo consiliis & votis mederetur; quod Rex quidem sanctè appromittebat, quamprimùm regno excesserit Auriacus, qui omnium aliàs vota ad se sine dubio esset attracturus. Classis interea Auriaca exposito milite & bellico apparatu in altum provecta, regiam britannicam investigat, cujus mox septem naves deserto Rege Hollandis se conjungunt, aliæ cum Hollandis

Qui classe & exercitu Angliam invadũt.

dis conflictæ cedere cogebantur; sicque passim omnis etiam Regis exercitus, ejusdemque archistrategi, duces & tribuni, Georgius Daniæ princeps, & plures ob religionem ad Auriacum deficiunt, vulgusque Londini omnia Romano-Catholica destruit sacella; imo & hispaniæ ibidem legati domum, & sacellum, damno 50000. sterlingorum lib. spoliat, & evertit, & quamvis demum Rex 10. Decembris parlamentum instinctu Cantuariensis & Eboracensis archiepiscoporum convocaverit, proceres fermè omnes ad Auriacum deficientes comparere detrectarunt. Rex igitur Jacobus II. ab omnibus derelictus, præmissâ Reginâ, & sub tacito nomine principe Cambricensi (quem nullus abducere & transvehere volebat) 21. mensis Decembris noctu clam navem conscendens fugit Roffam (Rochester) & inde 12. Januarii 1689. navi piscatoriâ in Galliam, Eduardo Hells equite, & unicò famulo gallico comitatus, à Rege Ludovico omnibus comitatis officiis exceptus, ejusdem Ludovici munificentiâ regium S. Germani propè Parisios palatium, cum regio prætorianorum & ministrorum aulæ apparatu habitandum accepit, ad omnes expensas regio ærario usurus, quamdiu in Gallia victurus. Quo cognito, omnes congregati regni proceres Auriacum sine mora Londinum accedere invitant, qui antequam urbem ingrederetur, omnes ministros aulicos officiantes, & imprimis Catholicos exarmari jubet; 29. Decemb. autem cum ingenti jubilo ibidem exceptus. 3. Januar. sequentis anni tota regni delata est illi administratio. *Vid. n.* 262.

Tota Anglia à Rege defuit ad Auriacum & ejicit Catholicos.

Rex fugit in Galliam.

Mors Mariæ Lotharingicæ.

248. Hoc anno 3. Martii obiit in Gallia Maria Lotharinga, ætatis 73. lineæ Guisianæ ultima, ideoque bonorum & principatuum scripsit in Galliæ hæredem Caroli Lotharingi filium juniorem, & omnes illius viriles descendentes: si unicus tantùm Carolo foret filius, hujus etiam junior seu ultimus succederet, cujus demum primogenitus adibit hæreditatem sub Guisiorum semper nomine. Opulentissima testamento constituit legata, amicis, ecclesiis, monasteriis, & pro salute animæ suæ &c. mense sequenti 29.

Friderici Elect. Brandeburg.

Aprilis moritur etiam Potsdamii Fridericus Wilhelmus Elector Brandeburgicus, ætatis suæ anno 68. regiminis 49. princeps bellicâ virtute potius quàm fortunâ illustris; quippe cùm invicto animo bellum adversus Suecos (quos Pomeraniâ ferè tota ejecit) feliciter gessisset, omnia tamen pace Neomagensi restituere per Gallos est coactus, nullo alio tot victoriarum fructu præter eum, quem ex filii cognominis bellica institutione percepit; hactenus enim parentis æmulatus animos fortiter pro suâ parte secuta dein bella in ejiciendo rursus Pomeraniâ Suecos administrat. Hic inquam filius successit patri Fridericus III. ætatis anno 31. cui 4. Augusti ejusdem anni nascitur filius ex Sophia Charlotta ducissâ Brunschwicô - Hanoverana, nomine etiam Fridericus Wilhelmus.

Maximiliani Elect. Coloniensis.

Eandem mortis semitam 13. Junii ejusdem anni ingressus est Bonnæ Maximilianus Henricus Elector Archiepiscopus Coloniensis, episcopus Monasteriensis, Leodiensis & Hildesiensis, anno ætatis 66. regiminis 38. qui deficientibus sensim ve-

viribus, paucitatem dierum suorum prævidens, coadjutorem sibi à Capitulo metropolitano Coloniensi voluit constitui; quod etiam hujus anni 7. Januarii Wilhelmum Fürstenbergium Decanum & episcopum Argentinensem per majora Capitularium vota elegit coadjutorem, sed binis expeditis Romam cursoribus ejusdem ab Innocentio XI. pontifice confirmationem obtinere nequivit. Elector autem prædictâ 13. Junii die sentiens instantem mortis suæ horam appropinquare, Bavarico apud aulam suam Residenti Friderico Karrig testamentum & ultimam voluntatem suam extradens, post mediam mox horam emisit spiritum. Princeps piissimus & castissimus, sed Fürstenbergiorum imprimis persuasionibus fascinatus, Gallorum partes non sine exiguo archidiœcesis detrimento est secutus, ideoque traditâ Gallis Bonnâ, aliisque per archidiœcesin urbibus, per aliquot Coloniæ annos in S. Pantaleonis Abbatia exulari quasi debuit. Testamento scripsit hæredem & executorem Maximilianum Emanuelem Electorem Bavariæ, ejusdemque fratrem Josephum Clementem ad dies vitæ usufructuarium, cum omnibus sacris capellæ suæ vasis & ornamentis: Maximiliano Duci Bavariæ legavit dominium Eyersberg cum suis appertinentiis in Bavaria, Capitulo metropolitano Coloniensi dominium Kerpense sibi oppignoratum, hac adjectâ conditione, ut ad annuam perpetuò memoriam pro animæ suæ refrigerio 12000. Impp. refunderet: addidit præterea auream catenam & crucem ingentis pretii adamantibus eximiam, nunquam

Constituit irritò coadjutorem Furstenbergum.

Opulentissima ejus legata, & thesaurus.

nisi in extrema necessitate alienandam, sed in coronatione Imperatoris, aliisque actibus imperialibus pro majestate solùm usurpandam. Deinde præter alia plurima & largissima legata inventi apud illum sunt tam in auro signato, quàm copiosa in massa, & 462. argenti centenariis 6679200. Imperiales. Corpus ejus rheno Coloniam transvectum solemnissimo totius cleri & religiosorum ordinum comitatu ad ecclesiam metropolitanam in Sacellum SS. Trium Regum delatum & sepultum; intestina Bonnæ in templo Patrum Soc. Jesu à se ad preces P. Nicolai Elffen S. J. confessarii sui magnificè ædificato; & cor in celeberrimo Sacello B. Virginis veteris Oettingæ sunt condita.

Archidiœcesis administratio data Furstenbergo.

249. Archidiœcesis interim administrationem Capitulum Wilhelmo Fürstenbergo Decano, coadjutoriâ necdum per pontificem confirmatâ, usq; ad novi archiepiscopi electionem, seu postulationem, 19. Julii decretam & proclamatam, detulit: quo tempore varii Cæsaris, Regis Galliæ & Principum aliorum legati Coloniam confluxerant, ut subjectum capax archidiœcesis assertorem, Romanique Imperii defensorem promoverent; Comes enim Caunitius Cæsaris legatus 14. Julii Capitulares in congregato capitulo diserta ad id oratione adhortatus, graviter Fürstenbergii electionem seu postulationem est dehortatus, quòd natione quidem germanus; sed juramento Regi Galliæ obstrictus, & naturalisatus episcopatû Argentinensem Imperio Rom. abstractum occupet, Leodium ejusq; propugnaculû, Bonnam & alias archidiœcesis Coloniensis urbes hostibus tradiderit, hostilem in patriam in-

A cujus postulatione Caupitius capitulum dehortatur.

induxerit militem &c. addebat quoque liberam quidem Capitulo relinqui electionem; sed sine Rom. Imperii detrimento; quòd si secus fieret, jurisdictionum, & Regalium diminutionem aut denegationem comminatur, &c. Fürstenbergius hæc quidem refutabat, & naturalisationem à Rege Galliæ annullatam scriptâ declaratione attestabatur; sed causæ suæ diffidens, consulti præcipui juris canonici periti, omnes electionem seu postulationem ejus fore irritam propter Episcopatum Argentinensem declararunt, quamvis Canonicus & Officialis Thomas Quentel sustinens contrarium, causam Fürstenbergii ferventer (seriò licet illum Caunicius dehortaretur, & infausta ei præsagiret) promoverit.

Duo Electores Colonienſ. eliguntur.

Indictâ igitur die 19. Jul. omnes in domo capitulari præsentes DD. Capitulares 23. [vigesimi quarti Marchgravii. Hermanni Badensis absentis votum Comes Hugo Franciscus Comes Königseckius agebat] per modum Scrutinii juxta Cap. *Quia quapropter &c.* tredecim vota elegerunt Wilhelmum Fürstenbergium Cardinalem, novem verò Principem Josephum Clementem Bavarum Episcopum Ratisponensem & Frisingensem, vigore apostolici eligibilitatis indulti, cum clausula supplente omnes defectus; Fürstenbergio postulationem & Archiepiscopatum admittente, proclamationemque cum fautoribus suis urgente, fautores Josephi Clementis contra solemniter protestati, hujus nomine electionem ejusdem acceptant, cum cautione de rato & exhibendo mandato; proclamatio-

nem autem non obtinentes, capitulo & templo exeunt, dum Fürstenbergius in Choro in Archiepiscopum Coloniensem postulatus Clero & populo publicaretur. Hanc mox Fürstenbergii postulationem Capitulum Metropolitanum Ratisponæ per Electoris Coloniensis legatum D. Petrum Holzemium toti electorali collegio fecit manifestari, protestante econtra Electoris Bavari legato D. Neuhausio, quod hæc notificatio electioni Josephi Clementis nihil præjudicaret. Hæc electio seu postulatio uti discordibus maximè votis & protestationibus est peracta, ita unanimis omnium votis, frendentibus licet Gallis, Bovillionum Cardin. aut Bavarum (de qua stemmate plures continuata hactenus serie episcopalem ibidem sedem occupaverant) prætendentibus, 17. Augusti Leodiensis Episcopus Joannes Ludovicus Baro ab Elteren Decanus est electus & proclamatus. Monasteriensis Episcopus 29. Jul. est electus Decanus Baro de Plettenberg, & Hildesiensis 19. Jul. Administrator & Decanus Baro de Brabeck, maximo cleri & populi utriusque jubilo.

Electio episcop. Leodiensis ab Elteren, Monasteriens. de Plettenberg & Hildesiens. de Brabeck.

250. Cardinalis interim Fürstenbergius electoralem Bonnæ tanquam Elector subiens residentiam, novo urbes Bonnam, Novesium, Cæsaris Insulam, Rhenobercam &c. communit robore & gallico milite, totamque archidiœcesim gallicis complet legionibus à Rege Ludovico XIV. contra electionis turbatores submissis; contra quod adversa capitularium pars protestata, emergentis, & certò imminentis damni exacturi restitutionem. Ille hæc nauci faciens, omnes au-

Fürstenbergus se intrudit ope Galli.

læ suæ ministros & famulos juramento adstringit nullum præter se alium Electorem veneraturos: Electorisque Bavari legatum Comitem Tauffkirchium arce proscribit, legatosque à Maximiliano Henrico huic Bavaricæ domui equos sine frœno stabulo expellit, sparsim urbem percurrentes, quamvis Pontifex per binos rogatus cursores ejusdem ad Electoratum postulationem nullatenus voluerit approbare, minùs confirmare.

Hic copiosus Fürstenbergii bellicus apparatus Coloniæ Agrippinæ suspectus, &, ut verè erat, periculosus, circularem subitò advocans militem Brandeburgico-Neoburgicum sibi metuens admittit, Gallis ad id maximè frementibus, qui in altissima idcirco Abbatiæ Brauweilerensis turri observabant omnes colonos partiarios fruges, decimas & reditus Coloniam devehentes attinebant, spoliabantque: atque ideo etiam Wesalium ad Lippæ ostium indefessè roborabatur, & circularis cis rhenum miles collectus, propediemque auctus Gallorum vigilanter motus observabat. **Colonia militem circularem metu Galli admittit**

Inter hæc Bavarus suam ab Innocentio Pontifice confirmatam electionem seu postulationem Coloniæ manifesto publicat, imperatque adversis sibi Capitularibus Metropolitanis, ut se imposterum agnoscant Electorem; & Archidiœcesis administrationem Cardinali Fürstenbergio nuper collatam 5. intra dies publicè revocent, nulloque consilio aut opere eidem adhæreant. Hanc mirabilem metamorphosim videtur monstrum illud marinum longis auribus, **Bavari electio à Papa confirmata.**

cor-

Has turmas præsagit monstrũ rheni visum Bonnæ.

cornugerum & mirabilis aspectûs significâsse, quod 15. Novembr. circa meridiem rhenum adverso flumine & magno cum strepitu Bonnæ totum visibile [equum marinum aliqui fuisse putant] ascendebat, globis aliquot, sed irritò petitum, magnum sine dubio strepitum & bellorum tumultum ex hoc votorum conflictu oriturum plurimi ominabantur: Ludovicus XIV. enim in favorem & manutentionem Cardinalis Fürstenbergii omne subsidium metropolitano Coloniensi capitulo jam submiserat, & gravissimas apud Pontificem de non admissa, planeque rejecta Fürstenbergii postulatione deponit querelas: nihilo tamen minus sacra Romæ Congregatio consistorialis electionis Bavari confirmationi inhærendo 15. Septembr. ex consensu Pontificis temporalium administrationem ejusdem Ecclesiæ & Archidiœcesis Colon. Josepho Clementi; spiritualium verò eidem eâ lege committit, ut ipsam gerere debeat unà cum Episcopo Hierapolitano Joanne Henrico Anethano, præfatæ ecclesiæ suffraganeo, & Canonico, usque dum ad legitimam Princeps pervenerit ætatem. *Vide num.* 264.

Bavari electionem ex Galliæ annullans, bellum Imperio Rom. indicit.

251. Quæ res adeo pupugit Regem Ludovicum XIV. ut publico Parisiis Manifesto bellum Cæsari, Romanoque Imperio 24. Septembris indixerit, & Ratisponensi Principum collegio per Ludovicum Verjus legatum suum intimaverit, his fultum veris seu fictis causis & rationibus: quòd Cæsar debellato jam Turca, renovatâque germanorum Principum confœderatione Galliam invadere sit comminatus. Deinde

Causæ indictionis belli.

de Elisabethæ Charlottæ, ex Rudolphina Heidelbergensi linea, ultimæ Palatinæ, Principis Aureliacensis Philippi uxoris, in Palatinatum urgebat successionem, omniaque Patris ac fratris Caroli Electorum bona tam feudalia quàm allodialia, hæreditaria & mobilia, hucusque à Principe Neoburgico detenta contendebat pervicaciter restitui. Fürstenbergii demum vindicans postulationem, Bavari Josephi Clementis invalidabat electionem, Cæsaris & Electoris Principis Neoburgici patrocinio à Pontifice, ut ajebat, subreptitiè impetratam, eò quòd Bavarus septemdecim tantùm annorum, nec in metropolitana Coloniæ ecclesia fuerit Canonicus, & tamen Pontifex contra juris & Conciliorum statuta cum illo dispensaverit, & Cardinalem Fürstenbergium omnium capacissimum rejecerit &c. quæ si Cæsar & Imperium velint remediare, non solùm armistitium pollicetur & pacem, sed etiam Friburgum & Philippopolim (si fortè caperet) destructo robore restituere, & gallicum militem ex Coloniensi Archidiœcesi revocare. Hæc cùm Rex ipse vix obtinenda facilè perspiceret, ejusque Manifestum Cæsar famosum, injuriosum, rationi dissonum & fictis falsisque innixum fundamentis exploderet, rationesque ejus omnes destrueret; ille tamen quinquaginta mox millium exercitum Monclasio Stratego cis & ultra rhenum summa cum celeritate die noctuque in Germaniam versus Philippopolim mense Septembri effundit: Sic nimirum, qui vulnus lethale accepit, obstrictus est iniquo aggressori, quòd ensem acuerit. Habent

bent hoc omnes illi, qui potentiam justitiæ anteponunt, ut querantur se injurias ferre, ut ipsi inferant.

Gallus Palatinatum invadit.

252. Primum Gallorum sensit furoris impetum Kaysers-Lautern/ inferioris Palatinatûs oppidum, antiquorum olim Cæsarum venationis, & piscationis delicium; ideoq; an. 1157. à Frideric.I. regio exornatum palatio: quod rejectis binis cum 600. Gallorum cæde insultibus, ad tertium ultroneam fecit deditionem, præsidiumque more militari expansis vexillis & sonantibus tympanis inde est dimissum. Paulò post devictas dedere manus Neapolis Nemetum [quæ in Elisabethæ Charlottæ Palatinæ Ducissæ Aurelianensis fidem debuit jurare] Spira, Alsheimium 29. Septemb. Oppenheimium (quod humanâ suâ provinciæ scriba civilitate à direptione & hostili furore, præfectumque ab intentata suspensione liberavit) & Wormatia: quibus omnibus præsidio gallico firmatis totum Boufflerius 50000. exercitum applicuit Philippopoli, eamque accedente paulò post ipso Delphino 52. tormentis muralibus & 24. ingentis magnitudinis mortariis sine intermissione ad nimiam præsidiariorum defatigationem arietavit. Præfectus urbis Starrenbergius generosa fortitudine tormentis, & continuis excursionibus hostem quidem non sine ingenti arcebat strage, sed in his & suus deficiebat sine quiete miles. Porro Galli occupatâ rhenana munitione à Cæsareanis desertâ 29. Octobr. singulari Vaubauni bellici machinatoris scientiâ (ipsi Galli ante annos aliquot occupatum insigni locum robore firmaverant

Philippopolim occupat

verant) aquas rhenum versus altis foveis educentes, cornutum propugnaculum impetunt & occupant. Jamque urbs à septem tormentorum suggestibus conquassata, lata quatuor in locis patebat murorum ruina insultibus aptissima, cui Starrenbergius internos quidem opponebat recessus & reductus, sed præsidiarii numero multùm deficientes, continuis exhausti laboribus, ut ex aquæ fontanæ vinique inopia extenuati laborare & pugnare detrectant, ita ut novam etiam civitatem hostis interciperet, urbemque omni horâ per vim subjugandam prævideretur; ultroneam urbis deditionem Starrenbergio offerenti, liber & militaris volantibus vexillis, tympanis sonantibus, accensis funiculis, & cum quatuor tormentis bellicis conceditur egressus, urbemque Galli, amissis præter vulneratos quinque millibus, sunt ingressi.

Delphinus, dum Philippopolim flagellat, Boufflerus cum parte interim exercitûs Creutznachium, urbem & arcem, Kirchbergam, Gengenbachum, Offenburgum; Larum, Haslachum, inferius Ingelheim, Hochheimium, Oberkirch, imo ipsam tumultuariè Moguntiam, frustra Electore contradicente & obnitente occupat, præsidiumque gallicum imponit. Hujus rei suspectus Elector Anselmus Franciscus ad Cæsarem est delatus, qui Erfordiam & Königsteinium Cæsareo suo mox firmat milite, imminentis metu periculi; captus namque à Gallis Elector, eorumque secutus partes vulgabatur, quod Anselmus datis ad Cæsarem 17. Novembris literis negans, factum propter urbis infirmitatem

Et cum pluribus urbibus Moguntiam.

tatem

tatem, & præsidii inopiam excusat; addens liberum se adhuc in urbe esse sui juris, urbem in- & exeundi, nihilque sibi de archidiœcesis tam politico quàm ecclesiastico detractum regimine; sed totum se & archidiœcesim Cæsaris fidei & protectioni commendat & subjicit. Cæterum pactis tabulis gallici in urbe præsidiarii regio militabant stipendio, sine ullo civium gravamine, qui & liberum ubique exercebant commercium; urbis & armamentarii claves gallicus habebat præfectus, Elector, aut in ejus absentia ex Capitularibus administrator militarem semper distribuebat tesseram &c. Inde Monclasius Heilbronnam & totum Nicri tractum invadens, collectam undequaque militarem à civitatibus Francofurto, Offenbachio, Darmstadio & Hanovia &c. sub militaris pœna executionis exigit.

Delfinus Heidelbergam, Manheimium, Franckendaliam &c. capit.

253. Heidelberga etiam à Delphino ad traditionem postulata pactis conditionibus sponte se submittit, præsidiumque electorale cum Magistro Teutonico Principe Palatino Neoburgico alio dimissum. Delphinus ipse urbem postmodo perlustrans, ibidem pransus, constituto præfecto Marchione de Courtenvaux [qui contra pacta cives inhumaniter enervavit] abiit Philippopoli cum exercitu Manheimium, ad Nicri & Rheni confluentiam probè munitum. Hoc diebus duodecim arctè inclusum ab 8. usque ad 11. Novembr. 500. pyrobolis adeo devastavit, ut cives relictis vallis propugnare diutius detrectarent, & mulieres ostensis in vallis lodicibus deditionem offerrent, quos licet Præfectus

fectus Seligencron generosi animi miles vi depelleret, magistratus tamen & cives missis ad Delphinum nuntiis urbem tradentes securitatem corporis & fortunarum obtinuerunt; Præfectus autem reliquum militare præsidium in arcem Fridericoburgum introducturus, ex 400. vix 60. in arcem potuit compellere, reliqui conspiratione invicem factâ non modò arma abjiciunt, sed præfectum insanientes involant, & intentatâ morte deditionem imperant [Galli namque jactis in urbem scedis singulis decem aureos Ludovisios, & militare promittunt officium, qui præfectum ad urbis arcisque cogerent traditionem] quare coactus arcem quoque 12. Novembr. tradidit, petitâ tamen à Delphino licentiâ auctores & rebellionis incentores jure militari corripuit, eorumque ante egressum decem globis transfigi mandavit. Abhinc Ludovicus Delphinus Franckendalium invadit, incensisque per pyrobolos venti beneficio domo senatoria, 60. ædibus & binis ecclesiis Præfectus Comes Witgensteinius à civibus necessitatus Gallorum urbem potestati submittit, more tamen militari volantibus vexillis, & cum binis tormentis honorificè est dimissus. Tum Delphinus relictis castris in Galliam reversus, militem ad hyberna per totum jam devictum Palatinatum distribuit: nec in his pepercit Offenburgo, Oppenheimio, Badensi Ducatui, nec Badensi Durlacensi, imo nec ipsius aulæ seu residentiæ, Duce Basileam fugiente.

Bouflerus Palatinatu interim non contentus, 3. Novembr. Confluentiam aggreditur & Ehren- *Bouflerus tentat Confluentiã*

&Ehrenbreitsteinium.) renbreitsteinium. Illam ex duobus suggestibus 15. tormentis muralibus, & 12. mortariis adeo vexat, ut 7. Novemb. urbs quatuor in locis accensa extingui nequiverit, eò quòd ex monte Monasterii Carthusiensis continuò in urbem tormentis dextrorsim sinistrorsim Galli fulminarent, ut nullibi esset vitæ securitas. Die altera in pontem rheni volatilem, & Electoris ad pedem Ehrenbreitsteinii aulam residentialem tormentis & pyrobolis barbarè sæviunt, simul & in urbem, in qua 9. Novemb. parochialem & collegiatam S. Floriani ecclesias incinerant, aulamque prædictam ultrà 200. pilis perforant, ipsum adeo Ehrenbreitsteinium ex aggere montis Carthusiensis citra omnium opinionem pyrobolo, sed absque detrimento petunt. Cùm autem Boufletus multis laboribus, damnis, & militum jactura nihil præter urbis destructionem efficeret, incensis vicinis urbi domibus (Lützer-Cobelentz vocant) 14. Novemb. abiit.

Galli à Franconia, Suevia, Ducatu Wurtenburg. Montensi, Juliacens. Leodiens. &c. exigunt contributionẽ.

254. Plus ultrà Monclasus & Marchio de Feuquiers incendiariis ubique literis à Franconia & Suevia, earumque circulis, & civitatibus Herbipoli, Quercopoli, Bamberga, Norimberga, Bayreutia, Anspachio, Rotenburgo & Franconico equitum ordine æs militare & contributionem exigunt, quam tamen à paucis, uti nec ab Ulmensibus, ignem & incendia licet illis comminati, sunt consecuti; sed haud procul hinc Langenaviæ Gallorum ultra 60. gregarii, præter officiales oppressi 4. florenorum millibus spoliati sunt: in cujus vindictam reliqui 5. florenorum millibus pro condonatione incendii ab Ebinga

hinga extortis, urbem demum direptam in quatuor partibus inflammant. Eslingam rapinis devastant, Ducatum Wurtenbergensem expoliant, ex arce Aschberg rem tormentariam ingentis pretii, aliquot centum millibus æstimatam, abducunt; à Schondorffio & Rotenburgo ad Tauberim generosè repulsi, totam latè viciniam, 17. oppida, & ingentem in illis frugum & pecorum copiam immaniter devastant & incinerant: taceo Schwabisch-Hall, Creisheim & Villingam simili tyrannide oppressas; taceo Ducatum Montensem & Juliacensem, centum octoginta tria millia imperialium pendentes: eandem quoque fortunam expertus est Episcopatus Leodiensis, quòd Cardinalis Fürstenbergius ibidem quoque Episcopatu exciderit. Hic à Comitatu Zutphaniensi 40. & à Transisalana 80. florenorum millia per incendiarias literas exigebat; è contra Brandeburgicus Elector eodem titulo à Surlandia, Archidiœcesis Coloniensis, postulabat ducenta triginta millia imperialium. Moguntiam interea temporis Galli insigni indefessè robore communiunt, civesque immensis contra pacta & promissa exhauriunt contributionibus, & tractant asperrimè.

Hæc tam inopinata & tyrannica Gallorum contra pacis pacta in Germaniam expeditio & vastatio, meritò Cæsarem, Imperiique Principes gravissimè offendit, & ad arma coëgit; quare Cæsar publico Germanis mandato omne cum Gallis commercium, commeatum, bellicum apparatum, equos &c. 11. mensis Decembris interdicit, & Imperii hostes declarat: Saxoniæ Ele- Declarantur hostes Imperii Rom.

ctor justo approperat exercitu: Batavi quoque suum sub Com. Waldeckio exercitum prope Disselberg, ut Gallorum motus observarent, emittunt. Illud indignè ferens Ludovicus XIV. bellum illis 16. Novembris indicit; quòd cum confœderatis Imperii Romani Principibus invalidam Cardinalis Furstenbergii electionem, seu postulationem rejicientes, eum ut capitalem hostem exturbare videantur; quam injuriam tanquam Rex suam vindicaturus, arma parat, nec impigri Batavi ad generosam validioremque se præparant in annum sequentem defensionem. *Vid. num.* 263.

Gallus Batavis bellum indicit.

Annus 1689.

255. An. 1689. Walachi ad hujus anni principiũ mortuo suo Principi substituunt neglecto ejusdẽ filio Brancowajum, regni antehac Cancellarium, ad Cæsaris opportunè partes, rejecto jugo turcico inclinantem, [*Vid. num.* 260.] in cujus locum Turcæ Tôckelium intrudere moliebantur; militare igitur subsidium eorum Viennæ legati petunt, & Cæsari submissionem deferunt; pactis, signatisque tabulis legati Principis sui nomine præter annuum 50000. imperialium tributum Ungariæ Regi pendendum, fidelitatis & obedientiæ homagium præstant.

Walachi in fidem Cæsaris admittuntur.

Legati quoque turcici Sulficarus Effendi, & Alexander Mautocordatus publicæ fidei commeatu instructi, atque à Bavaro demissi Belgrado Viennam, 7. Februar. ad Cæsaris admissi alloquium, pacem & armistitium petunt; sed remissi ad cæterorum legatorum conferentias cùm

Legati Turcici Viennã veniunt pacem petentes

tam

tam insulsa & à confœderatis gloriosè devicta repeterent; hi autem eadem jure belli non solùm retinere, sed plura & damna, & sumptus resarciendos urgerent, discessum videbantur petere.

Hanc autem Turcarum ferociam Gallus fovere videbatur, Germaniam crudeliter tunc devastans, ut distractis Cæsaris viribus Turcæ sua commodius defendere, & perdita facilius possent recuperare. Et quòd Turcæ bellum paci præferrent, demonstrabat ingens granarium, quo copiosissimus commeatus & bellicus apparatus ad futuram proximè deferebatur expeditionem. Quod in Asia subditi, & Constantinopoli vulgus, certâ hucusquè pace lactatnm advertens, imperiumque orientale totis decrescere regnis & provinciis, tum tumultuari, & palam minari Solimannum throno dejicere, nisi pacem cum Romano Cæsare propediem componat. Territus hisce non immeritò Solimannus, pacem sanctè appromittens, bellicos terrâ marique apparatus, non sine subditorum lætitia contrahit. Hæc gallicus audiens legatus Constantinopoli pervolat Adrianopolim, oblatoque off- & defensivo Regis sui cum Solimanno fœdere rem eò deducit, ut convocatis ad bellicum generale consilium Tôckelio & Tartarorum Chamo, belli in Cæsarem decreta fuerit prorogatio, defectusque nervi bellici ex variorum Bassatum, ac imprimis turbulenti Seraskieri Jenghieni strangulatione, bonorumque eorum confiscatione est suppletus: Vezirius etiam exercitu Philippopoli Sopiam deducto, maturam ibidem omnium Bassarum cum copiis suis urgebat con-

Turcæ soldanũ ad pacẽ cogunt.

junctionem: confœderatus Turcarum socius Rex Galliæ varios quoque tribunos, bellicos machinatores, & alios suæ nationis belli peritos cum ingenti auri summa per March. Bethunum, gallicum ad aulam polonicam legatum, Soldano & Töckelio ad decreta belli consilia maturius, efficaciusque promovenda submittebat. Cumque nunc Canisa, Varadinum majus, & Temeswarum arctissimè inclusa in extremis deditionem facere crederentur, Tôckelius omni quidem studio eis subvenire conatus; sed Tartarorum frustratus subsidio (quos Moscus tumultuariè invaserat) desistere debuit; his ut validius Tartarorum Chamus resisteret, succurreretque Töckelio, pacem exclusis confœderatis cum Camineci cessione [id quod Bethunus etiam instanter urgebat] Polonis offert; sed hi Pontificis per Nuntium ibidem Apostolicum ad belli fœderisque continuationem adhortatione illam rejiciunt. Tôckelius igitur cùm iniquis sæpius velitationibus à spe sua esset dejectus, & in Transylvaniam nequiret perrumpere, varios in illam, Ungariam, Bohemiam, Austriam &c. Gallos mittit incendiarios.

Quam Gallus evertit, Turcis confœderatus.

256. Turcicus interea exercitus mense Majo in Nissenum eductus campum, ulterius fuisset progressus, nisi fluminum cohibuisset eluvies, dispersas, adhuc Christianorum copias tumultuariè oppressurus, dum Tôckelius Novigradum, seu Fetislavium occupat. Sed Badensis, qui 6. Jun. Belgradum advenerat, hostium prævidens scopum, missis illico cursoribus accinctas itineri copias jubet maturare: Croatiæ Bano

Turcæ prodeunt in campũ.

Bano imperat Savi invigilare Tractui, ne Bosnienses depopularentur Sclavoniam: Hâuslerus reliquis in Transilvania copiis (potiores Veteranus Semendriam ad exercitum conduxerat) Walachiæ finibus insideret: Aspermontius arceret hostem à Varadino famescente. Hæc audiens Vezirius jam modò cum 60. millibus Moravam transgressus, pedem retrahit, & Christianis tardius confluentibus Zwornickum interea validam in monte haud exigui momenti arcem, & commodum ex Bosnia in Sclavoniam aditum, pactâ præsidiariorum incolumitate intercipit: octo deinde millia Wihitzium versus ferro & igne omnia depopulaturos emittit, qui Croatiæ Banum Drascowitzium cum 1200. occurrentem, pusillum veluti gregem citò deglutiendum invadit; Drascowitzius autem non modò fortiter illum excipit; sed vim inferendo hostilem confundit aciem, urget, & in turpem conjicit fugam, in qua bis mille Unnæ fluctibus submersi, reliqui præterquã 3000. cæsi sunt, aut cum XI. signis equestribus capti. At Gallicini, Moscorum Archistrategi, exeunte Majo, prope Prezicopum fuit victoria viginti millium Tartarorum cæde multò gloriosior: cecidit ipse Chami filius: nec incruenta Moscis fuit victoria, octo millium suorum sanguine empta.

Zwornicum capiunt.

Drascowitzius illos cædit.

Moscorum contra Tartaros victoria.

257. Badensis interea transmissâ Moravâ fl. per invia & salebrosa 20. Augusti Jagodinum perveniens hostium castra invenit situ vix expugnabilia, hi missis aliquot Possarovicum & Semendriam legionibus, Cæsareanos pabulandi

frumentandique aditu, & omni commeatu intercluso fame volebant conficere. Sed Badensis decreto prælio hostis eversurus consilia, aciem disponit, & tribunum equitum S. Croix cum turmis aliquot germanicis, Czackium & Buthianum cum Ungaris, & Paulum Diackum cum Rascianis tumultuariè in hostem immittit, subsequente mox illos sinistræ alæ equitatu. Turcæ sensim cedendo ad silvas & 10500. equitum insidias nostros lacessebant; at ubi totum utriusque alæ equitatum christianum in se provolare conspiciunt, fugam capiunt, ad viarum autem angustias pugnare coacti, cæduntur quinque Turcarum millia, capti plurimi, & duodecim signa equestria; reliqui post silvas ad exercitum in acie dispositum fugiunt. Fit etiã atrox ibidem utrimq; concursus, & tam cœco furore in Christianos irruunt Ottomanni, ut omnem tormentorum & ignis impetum præter morem pertinaciter sustinentes, ad ipsos militares ericios perrumperent, tenuitque prælium duabus continuò horis, donec Castellus Comes vario tubarum tympanorumque sonitu cum dimachis suis silva erumpens panicum hosti inferret terrorem suspicandi ingentem ex saltu subsequi armatorum numerum. Cedentibus igitur Turcis in tertiam post saltum planiciem duplici sepimento & aquis inaccessam, Guido Starrenbergius cum centuriis aliquot per interlucatum saltum illuc expeditus, primum seu exterius sepimentum ab hoste penè ex terrore derelictum occupat, quo destructo Piccolominus cum equestribus aliquot legionibus, parteque pedi-

Badensis tertiò Turcas cædit, & castris exuit.

peditatûs dextrorſum, & Palffius cum Ungaris ſiniſtrorſum per ſilvam vario tympanorum tubarumque clangore à tergo hoſtem invaſuri proſiliunt: ille mox fugam capit; quem tribunus Sandus inſecutus, ad viarum anguſtias ita compeſcuit, ut relictis tormentis 105. & 3. mortariis, impedimentis & totis caſtris Niſſam uſque ſibi fugâ conſuluerit, ubi Seraskierus ſupremum Vezirium Sophiâ cum 20. millibus approperantem expectans, ſimul obicem Chriſtianis (ut fama vulgabat) objecturi, aut pugnæ aleam rurſus tentaturi. Nec mora, Badenſis motis 10. Septemb. caſtris, iisque ſufficienti annonâ proviſis, vigeſimâ menſis tertiâ Niſſam Cæſareanus 16. millium exercitus perveniens, cernit hoſtem ab urbe Niſſa ad montis uſque verticem caſtra 60. millium extendiſſe, aggeribus, loricis, ſudibus, altâ foveâ, & rapidâ Niſſavâ flumine probè munita, & oppugnatu (niſi à tergore) difficilia, die tamen alterâ Badenſis cum ſiniſtra, Dux Crojus cum ala dextra ad quintam meridianam hoſtem ex monte generoſe invaſuri, Turcæ celeritate prævenientes, plurimo equitatu ſuo Cæſareanum ſiniſtræ alæ peditatum aggrediuntur; quos Guido Starrenbergus ſuccenturiatis ſubitò aliis agminibus, & tormentorum ictibus fortiter, uſque dum tota ſuccurreret ala ſiniſtra, ſuſtinendo, de monte in planiciem eos præcipitat, ubi reſumptis Turcæ ordinibus & viribus inſano rurſus impetu in ejusdem alæ latus irruentes diſſepuiſſent, niſi Piccolominus & Dux Holſatiæ cum legionibus ſuis tam generoſâ impetum excepiſſent fortitudine,

& in effusam eos fugam conjecissent, nisi fugientes suos Turcæ fustibus & jaculationibus pedem referre coegissent. Peditatus interea hostilis alteram montis partem versus dextram Christianorum alam adhuc acriter defendebat, & rejectus supra equitatus vires recolligebat. Sed dum sinistra nostra ala Nissavæ tandem flumini appropinquaret, & huic se aliæ conjungerent legiones, dextrâ Crojus alâ penitus eo quoque loco 12. Janizarorum millia in vallem dejicit. Neque hic defatigatus Ottomannorum est furor; sed quovis conatu & molimine sinistræ latus alæ quoties tentabat perrumpere, toties insigni semper est cæde repulsus; ultima denique tentaturus, desperato plane impetu in Haidones, seu Ungaros latus suum petentes, irruens, luxare eos conabatur; at mox aliis legionibus, ipsoque cum ala sua Crojo opportunè succurrentibus, totus in fugam conversus est Turcarum exercitus; & plures quidem noctis beneficio ferro plumboque Christianorum subtracti, præcipitis tamen Nissavæ aquis miserè sunt submersi. Interfectorum decem universim millia censentur, plurimique Bassæ ex præstantissimis equis, vestibus & auro præsumebantur: in captis, spoliatisque castris gallico plane artificio constructis, præter 30. justæ magnitudinis tormenta non exiguus apparatus bellicus, commeatus, signa (prætorium etiam Seraskieri labarum, & præstans papilio) tria equorum millia, & ingens camelorum jumentorumque numerus est repertus. Empta verò hæc præclara victoria 300. Christianorum quà vulneratorum quà

quâ cæsorum sanguine, quorum præcipuus deplorabatur Comes Vehlensis primo statim aggressu in monte cæsus.

258. Profligato in campis hoste, Nissæ præsidiarii neglectis omnibus urbem granario, mercibus spoliisque opulentam relinquunt victoribus, qui illam olim Serviæ metropolim commodo utique loco, 8. Belgrado milliaribus absitam, & propter interfluentem Nissavam lapideo instratam ponte, frequentemque accolarum concursum firmiori haud indignam munitione existimarunt, Turcæ vero relictis Pyrotho, Præcopiâ, Lescova, Mussa, Bassapalancka & Zwornico præcipiti sunt fugâ sublati: qua turcici Viennæ Legati haud leviter turbati magno afficiebantur dolore; quem callidè tamen Legatus Sulficar Effendus dissimulans, unum maximè deplorabat: interrogatus, quod illud? an Belgradum Budave amissa? non, ait, sed animus & magnanimitas nostros deseruit; quâ assertâ, resistendo erimus Christianis sufficientes. Hoc eorum erigebat animos, quod Mosci panico Tartarorum adventu deterriti, solutâ præmaturè Pernici obsidione, quod urbi jam proximi spe illam devoraverant, cruentâ insuper à Tartaris viginti millium strage fuerint mulctati, captis moscorum 15000. & tormentis 70. stragis hujus causa dicebatur Gallizinus archistrategus auro corruptus, proditionis in Petrum Alexowicum juniorem, & læsæ majestatis reus & convictus, ideoque mortis est condemnatus, quæ postmodum in pœnam confiscationis bonorum & exilii fuit commutata: ejusdem autem uxor,

Badensis Nissam occupat Zwornicum Præcopiâ &c.

Tartari Pernicē liberant, & Moscos profligant ob proditionē Gallicini

uxor, Petri Czaris soror, ejusdem proditionis conscia, monasterio inclusa.

Frustranea Polonorum & Venetorum expeditio.

259. Nec felicior Polonorum fuit hujus anni expeditio, qui tentato frustra Camineco, insigni insuper suorum cæde repulsi, & gravissimis postmodùm Tartarorum excursionibus fuêre vexati. Frustra quoque à Venetis tentatæ fuerunt Epidaurus & Malvasia, substitutoque in Architalassum Molino, Dux Maurocenus Venetias gloriosè, plenus victoriis revertitur. Tum Pileum & ensem à Pontifice Rom. religiosis ceremoniis consecratos solemni pompa Venetiis recepit Franciscus Maurocenus, è summo armorum præfecto factus Reipublicæ Princeps & Dux. Hac gloriosâ laborum mercede, quæ illis solis conferri principibus solet, qui de religione Christiana benè meruerunt, exantlatos à se pro fide & repub. sua munerari vidit homo tot annis seu in Creta, seu in Peloponeso & Græcia operatur, ut Sacra Romana illis in provinciis aut conservarentur, aut reviviscerent. Hæc, inquam maximè solabantur Ottomannos; sed istæ per Badensem inflictæ clades ita illos exulcerabant, tantumque Byzantinis incutiebat terrorem, ut magno à Sultano tumultu depositionem Kaimakani, & supremi Vezirii Turckimanni Mustaphæ (horum enim negligentiæ omnis imputabatur stragum culpa) extorserint *Multa quippe victoria magis alterorum socordiâ, quam alterorum virtute evenerunt*; *quia amat victoria curam*. Catul. Carm. nupt. *Res enim bellica summa cum prudentia sunt perpendenda*. Guevar. horol. princ. l. 3. c. 14. n. 500. *Ira autem & cupi-*

Vezirius depositus, novus electus.

cupido pessimi sunt consultores Sal. Jugurt. *Multi enim ulcisci cupientes unà periêre.* Dio. l. 44. *Semper namque est periculum, ne plura appetendo, parta quoque amittantur.* Idem l. 56. In Vezirii locum suffectus Cuperlus Bassa Chiensis, in Kamiakanum hujus cognatus nomine etiam Cuperlus, in Seraskierum subrogatus Arab Regebus Bassa, Nigroponti præfectus & assertor.

260. Badensis interea relictis aliquot Nissæ, & in vicino tractu sub Piccolomini cura legionibus Widinum petit, ubi hoste cæde 2. millium, & castris eliminato, Widinum 14. Octob. armatâ intercipit manu, & arcem ultroneâ 19. deditione: inde occupat Novigradum à Töckelio derelictum, illudque propter opportunum cis & ultra Danubium tractûs est Walachiæ communicationem firmius communire, & pontem ibidem Danubio jubet insternere. Tum à Walachiæ legatis postulat septem mensium pro 15. millibus hyberna; pro militari stipendio 800. florenorum millia; mille etiam & quingentos equos, quorum pretium ex priori stipendiorum summa detrahendum. Tradendos denique binos in horum fidem obsides Walachiæ primores. Legati ad hyberna difficiles; ubi autem Badensem Walachiæ proximum ad oppidum Czernicum castra cernunt figere, postulatis subscribunt. Hic Badensis mortis evasus insidias, ab uno conspirantium opportunè detectas, latronibus capite minutis, dimissisque ad hyberna stipendiariis, & cunctis ad defensionem, religionisque securitatem dispositis, Viennam, inde Augustam Vindelicorum ad Impera-

Badensis cæsis hostibus capit Widinũ, Novigradum.

ratricis Eleonoræ coronationem, & ad novi Regis Romanorum Iosephi electionem (quam Gallus dolosis blanditiis, multis promissis, simul & intentatis armis suo procabatur Delphino) in Januario sequentis anni decretam properat.

Turcæ Cæsaris postulatis videntur consentire, mox dissentire.

Cæsaris interea suorum confœderatorum postulata à Legatis turcicis ad Soldanum & divanum transmissa, studioseque examinata, quamvis sibi maximè probrosa, urgente autem nunc fato concedenda decrêvere, & per Mustapham Agam legatis Viennam cursim submisêre: ut scilicet omni quo possent studio pacem, iteratis Ottomannorum votis & suspiriis expetitam procurarent, quòd Gallorum falsis hucusque promissis & policismis bellum suadentibus sæpius fuerint illusi & decepti. Urgerent deinde restitutionem Belgradi, utriusque imperii limites per Savum dividentis, cujus loco Canisa, vel Temeswarium, aut etiam Varadinum offeratur: Caminecum aut destruatur, aut Polonis restituatur: Veneti quoque capta jure belli retineant, subtacito Negroponte. Novis his Legati instructionibus edocti, superbo & ampullato scripto & altercationibus ita res agitur, ut Ottomannorum propositiones & Cæsaris responsiones non pacem vel armistitium, sed vigorosam belli declararent continuationem.

Piccolominus Clemētinos & Uscopiā &c. subjugat.

Porro Piccolominus Nissæ præfectus in ditionem Cossavam excurrens ingentem colligit annonam, captisque Pristina, Mitrowico, & Panzâ, ut propius mare accederet Adriaticum, & insignem Albaniæ partem, Clementinosque Cæsari subjiceret (quod hi magnopere per legatos de-

desiderare videbantur) petit Uscopiam, occupatoque 23. Octobris angusti & periculosi accessûs Kazaneco à Turcis derelicto, trecentos Uscopienses Turcas illud repetentes, captis 4. eorum vexillis profligat; ab indigenis autem magno exceptus gaudio procedit Uscopiam, Pragæ metropoli Bohemiæ magnitudine parem, & à Turcis pridie adventûs sui desertam. Vastam hanc urbem ædificiis, & viridariis in toto turcico imperio celeberrimam, sed muris & foveis, omnique destitutam robore Piccolominus elatâ priùs annona, aliisque pretiosis & necessariis, in prædam concedit militibus, & postquam militarem ex vicina regione collectam extorsisset, diversis in locis subjicit flammis.

261. His actis generalem vigiliarum præfectum Ducem Holsatiæ cum sua & Hanoverana legionibus ad montana Orisari hyberna; tribunum Strasserum cum peditatu ad fines Bosniæ ablegans, ipse ægrâ quamvis valetudine cum duabus reliquis legionibus Prifferanum Albaniæ metropolim profectus, inchoatos cum eis tractatus expediturus, & in fidem Cæsaris recepturus. Urbem 6. Novembris subeuntem Archiepiscopus, Clementinorum patriarcha, ingensque obvia hominum turba cum Crucis vexillo, & singulari jubilo excipiunt, accedentesque germanas legiones quinque Albanorum millia in armis suis salutant explosionibus; diebus sequentibus pactis utrimque conditionibus subscriptis in fidem & tutelam Cæsaris sunt recepti. Piccolominus verò morbo invalescente 9. Novembris fatis, ingenti omnium dolore, con-

Item Pirfferanum Albaniæ metropol.

Mors Piccolomini.

concessit, in metropolitana honorificè ibidem sepultus, qui paulò tamen ante literis harum imperium regionum Christiano Holsatiæ Duci detulerat. Hic dum certâ intellexisset famâ cives ex urbe Stippo antea profugos ad suos remeasse lares, expeditis eò sine mora copiis 10. Novemb. 40. procubitores fortiter propugnantes in urbem repellit, unde Uscopiensis Bassa cum 6. Turcarum millibus tumultuariè egressus, dum suos in aciem cogeret, à Cæsareanis subitò impetitus, & in confusionem actus, mox cæsus & fugatus 2. armatorum millia quà capta, quà interfecta cum urbe amisit, eâque expilatâ & incensa ad priora Dux rediens, obviam hostilem 300. equitum turmam fugientem insecutus, plures eorum interemit. Turcæ autem Albanensium defectione admodùm offensi ultricem meditabantur excursionem, cujus certiores facti Prisserani, collectis subitò indigenis & popularibus suæ memores datæ fidei, sub germanis tribunis & ducibus generosè hostem haud procul Tetova præveniunt & repellunt, cæsis eorum ultra 600. captisque signis aliquot & tympanis, aliisque prædis haud contemnendis; utque securiores imposterum ab hostium degerent invasionibus, aditus omnes probè muniunt: imprimis autem Kazanecum, Pristinam, Metrovicum, Panzam, Orizarum, & ipsam denique Prisseranam validis obfirmant præsidiis, annonæ vivendique copiâ affatim locupletati; Turcæ enim hasce non solùm regiones suis conservarant usibus incolumes; sed frumentorum etiam plurimum invexerant, quæ postmodum tumul-

Holsatiæ Dux cæsis Turcis Stipum capit.

Albani ad Cæsarem deficiẽtes contra Turcas se muniũt.

multuariâ deferentes fugâ splendidam sibi famem apparaverunt. Frendentes igitur variis hasce partes excursionibus, & barbaris vexant depopulationibus, decemque armatorum millibus Uscopiam, seu Scopiam versus omnia ferro & flammis devastant, atque sex hominum millia in miseram abducunt servitutem. *Vid. n.* 274.

262. In Anglia & Scotia omnia ad vota Guilielmi Principis Orangii fluebant, & utriusque regni status, superior & inferior Domus seu parlamentum, ut vocant, sibi invicem, simulque Principi de felici expeditione, religionis suæ conservatione, & prudenti principis administratione congratulabantur; præterquam Hiberniæ prorex Comes Tyrconelus, constans Caroli II. Regis, & Romano-Catholicæ religionis assertor, Principis Wilhelmi imperium & jussa recusabat; sed quadraginta fermè armatorum potissimè Catholicorum millibus Principi & ceteris protestantibus, frustra tamen, resistebat: hi namque viribus ei pares submissa subsidia, & bellicum ejus apparatum utrobique studiose inquisitum sustulerant, Duxque Ormontius cum ceteris ejus regni statibus Principis partes fuerat amplexus. Dum contumacem igitur Tyrconelum vi opprimere Princeps, & cum exercitûs Ducem Schombergum eò demittere constituit, Angliæ & Scotiæ Ordines de Regis electione, successione & Coronatione Guilielmi deliberant: sed centum votorum varietas rem usque in adventum uxoris Mariæ Ducissæ Orangiæ protraxit, quæ ex Hollandia magno Nobilium comitatu 20. die Februarii Londinum ad

In Anglia omnia ad Auriaci vota fluunt, præterquam in Hybernia.

Proclamatur cum uxore Rex Angliæ &c.

adveniens incredibili excipitur jubilo: tum communibus ordinum votis resolutum & statutum remoto Jacobo II. anglicanæ religionis, legum & libertatum prævaricatore, Wilhelmum Henricum, & Mariam Nassoviæ & Orangiæ Principes in Reges Angliæ, Galliæ & Hyberniæ eligendos, & coronandos cum suis descendẽtibus, in quorum defectu altera Jacobi filia Anna cum suis descendentibus succedet. Deinde Wilhelmus & Maria Reges sunt proclamati non solùm in Anglia & Scotia, sed in Hybernia etiam, obsistente licet Tyrconelo, & arma gnaviter parante, ad quod Rex Galliæ Ludovicus XIV. 100000. lib. in subsidium eidem submiserat, numerosaque bellicâ classe Jacobum Regem ex portu Brivate in Hiberniam spe regni recuperandi dimittit, ubi etiam Kinsaliæ summo cum gaudio exceptus est à Tyrconelo, quem ibidem Rex fidelitatis ergo, & sub spe majoris remunerationis in ducem promovet; hìc licet Jacobus generalem Potestantibus publicaret amnestiam, promitteretque bona ablata restistituere, fidem tamen Wilhelmo datam noluerunt infringere; sed in robustam omnia contra illum præparant defensionem. Neque Scotos humanissimis licet literis & promissis sollicitatos ab Wilhelmo potuit divellere; sed hi rejecto Jacobo, traditoque ultroneè Edemburgo Scotiæ metropoli fidem & obedientiam Wilhelmo confirmant, arcemque Edemburgi, quam Dux de Gordon Romano-Catholicus Jacobi nomine adhuc defendebat, sibi tradi sub rebellionis indictione postulant; renitentem aliquamdiu

Jacobus repetit Hyberniam, nec hos nec Scotos potuit ab Auriaco abducere.

30. Scotorum millia eam cingentia ad deditionem tandem cogunt. His actis Wilhelmus III. & Maria ejus uxor Jacobi II. filia 21. Aprilis illustri splendore,& consuetis ceremoniis Reges Angliæ, Scotiæ & Hiberniæ Londini sunt coronati, cum expresso juramento anglicanam Protestantium religionem nunquam dimittendi, nec Romano-Catholicæ personæ nubendi.

Auriacus & Maria Reges Angliæ coronātur.

Tunc paulò post in majo ad graves civium Londinensium, seu domûs inferioris querelas de Gallis sua hucusque commercia destruentibus, pacem maximo suo detrimento infringentibus, & nunc in Rebellium fomentum & subsidium Hiberniam invadentibus&c. Wilhelmus 17. Maji Ludovico XIV. Gallorum Regi terrâ marique bellum indicit, & ingentem navalem classem, qualem Anglia nunquam vidisse reminiscitur, diu noctuque instruit & militem cogit, ut Hiberniam à Jacobo gallorum suppetiis invasam, & Protestantes graviter oppressos in libertatem assereret & defenderet; Jacobus namque plures patibulo suspenderat; bona ducis Ormontii, Berlingtoni & aliorum Wilhelmo adhærentium suis donaverat fautoribus, &, ut fama certa vel incerta ferebat, Hiberniæ regnum in Regem Galliæ Ludovicum summo indigenarum odio contulerat: quare britannicus architalassus Herbert gallicam in Hibernia invadens classem vastam militarem navem in fundum demergit, tres minoris magnitudinis, & 36. tormentorum, pluresque militum & apparatûs bellici onerarias capit. Roboretum seu Londonderrum prætetea Jacobus arctè obsidens nequid-

Regi Galliæ Hyberniam invadenti bellum indicūt & classem gallicam irruunt.

Jacobus R. Lon-

Londonderrum seu Roberetum frustra obsidet.

quidquam, præsidiariis fortiter propugnantibus efficit, & abscedit; in augusto tamen Galli rursus acrius invadentes, præsidiariorum excursione supra mille eorum cæsi, & plures vulnerati sunt: & dum Londonderrenses captivos Gallos erectis in vallo patibulis meditabantur suspendere, gallis intercedentibus utrimque conventum, ut quot ex urbe Galli in castra, totidem Londonderrenses captivi in urbem remitterentur: deficiebat autem in urbe commeatus & annona, quam opportuno adhuc tempore Generalis Kirch ad 6. hebdomadas cum 5000. militibus, & 4. militaribus feliciter navibus intulit, ubi jam tum canes, mures & feles erant in deliciis, maluissentque cives & præsidiarii juramento invicem obstricti fame perire (qua duo modò millia occubuerant) quàm Jacobi & Gallorum jugum subire; qui obsidionem ideo magno totius Hiberniæ gaudio coacti sunt solvere.

Auriacus Scotiam invadit.

In Scotiam Wilhelmus Mackajum Generalem cum IV. armatorum millibus ad Rebelles, ut vocabant, opprimendos dimiserat, qui Vicomtem Dundeum 6. Augusti aggressus, in ipso conflictu à tribus Scotorum legionibus ad Jacobum transfugis desertus, fugâ sibi consulit; die verò alterâ novis à Com. Argile confirmatus subsidiis, ipsum Dundeum, & reliquos fermè omnes internecivè delet, desideratis suorum sexcentis; paulò post alios quadringentos Rebelles offendens, omnes pariter prosternit: 6. quoque Septemb. 2500. rebelles adortus, cæsis ducentis bellicis aliquot potitus est tormentis.

Schom-

Schombergius interea Belfastum & Carikfergum per ultroneam deditionem suæ fecit potestatis : plura alia loca Jacobi miles sponte deserebat ; & audita insigni suorum strage, repentinaque Schombergi Elbanæ seu Dublini exscensione Jacobus haud leviter turbatus, omnes hybernos à decimo sexto ad usque sexagesimum ætatis annum evocat ad arma. Nec mari felicior fuit Jacobi successus : nam octo militares gallicæ naves in Scotorum suppetias submissæ in britannicam incidentes classem, quinque omnimodò perforatæ sunt, submersæ, tres vero captæ, reliqua gallorum classis ad Bell-Isle insulam è regione minoris Britanniæ fugâ se proripuit. Classis gallica a Britannis devicta.

Ut vero Wilhelmus Rex majori vi hostibus resisteret, 7. veteranorum militum millia abs Daniæ Rege contraxit, in Decembri mox appulsa. Cæsarem præterea in fœdus sollicitat, non facilè consilio Comitis Caraffæ, militis tam sago quàm togà excellentis & expediti amplectendum, qui totam Austriacorum potentiam in orientale convertendam imperium asserebat, ejusdemque coronam occupato jam Belgrado, & tremescente Byzantio haud difficulter obtinendam ; quâ adeptâ occidentalem Imperii Romani coronam consolidabit, modò Austriæ circulus suam Imperio Romano (quod per se Gallo resistere est sufficiens) militum contribuat contingentiam. Alii autem Austriacum Caroli V. politicum amplexi principium, Gallo potius quàm Turcis resistendum rati : Orientalis enim adepta corona Auriacus Cæsarem in fœdus sollicitat.

lividos regum ac principum Rom. perstrictura oculos, austriacæ potentiæ æmuli, & suæ metuentes libertati, Imperii Rom. coronam in aliam transferendi familiam capient occasionem: cumque Britannus & Batavus gallici Delphini ambitionem Romanæ coronæ ex fama extollerent, percusso mox invicem fœdere, Principum & Electorum ipsi animos ad Josephi Cæsaris primogeniti electionem haud Segniter sollicitabant, & pacem cum Turcis suadebant, tum temporis maximè proficuam. Porro Wilhelmus Rex per Scotiam Hiberniamque armistitium & amnestiam omnibus arma deponentibus publicavit; sed & multi Jacobi II. fautores deprehensi, proditionisque rei captivitate sunt innodati. Schombergus interim Jamestonum occupat, & gallica rursum navis cum insigni bellico apparatu, aliis quinque venti beneficio feliciter elapsis, est capta; neve gallica ulterius classis auxilio Hibernis subveniret, classis britannica Berclejo comiti conjuncta diligenti observabat vigilantiâ. Jacobus II. quo se verteret nesciens, Cæsaris, inquam, pro regni restitutione implorat auxiliū: Cui Leopoldus, jam pridem hanc regni ejus devolutionem se prævidisse respondit; ideoque per Kaunizium legatum suum de Gallorum fraudibus Regem præmonuisse; Gallus enim factionis conscius avertere differens, Britannorum in regno non impedivit discordias & aversionem, unde orta est regni jactura; uti jam idem perfidus pacis violator, & Christianitatis hostis, Turcis confœderatus, adversus me urgendo instigat, & Imperium Rom. immaniori

Cæsaris opem implorat Jacobus R. pridem admonitus ab eo.

bar-

barbarorum crudelitate invadit: quod haud dubiè non fieret, si Britanniæ Rex pacis Noviomagensis mediator & conservator perfidum toties Gallum continuisset, quod potuit; unde proverbium:

Fide parum, multumque vide; nam fidere multum
Et videre parum, maxima damna parit. *Vid. n.* 283.

Anglorum etiam confœderati Batavi bellum in mense Martio Gallis indicunt, & incautos hincinde opprimunt; Waldeccius autem Batavorum strategus ab marescallo Humiero ad oppidum Walcourt aggressus, hostis furorem pedetentim usque ad oppidum sustinendo, illud ingressus fortiter propugnat, donec aliæ approperantes legiones adeo in confusionem Gallos adigunt, ut relictis tormentis, bellico apparatu, cæsis, & vulneratis 2000. captisque octingentis in fugam sint rejecti. Batavi bellum Gallis indicunt & profligant.

Romæ Cardinalis Estreus indefesso laborabat apud pontificem studio, ut domiciliorum libertatem, & Cardinalis Furstenbergii ad archiepiscopatum Coloniensem postulationem impetraret; sed oleum perdidit & operam; omnia libens ait Innocentius Regi Ludovico permisero, quæ Deo & conscientiæ meæ non repugnant; & quia variæ Gallorum comminationes ad pontificem delatæ erant, justam jubet adornare defensionem, & Civitam Vecchiam firmiore communire robore. Quare offensus Ludovicus datis ad Estreum literis pontifici prælegendis (hic illum inauditum ad Cardinalem Cibo remittit)

Lavardinus Româ revocatur, spe asylorũ frustratus.

Lavardinum legatum suum nunquam ad pontificis alloquium admissum, 18. mensibus excommunicatum, votis postulationibusque privatum revocabat in Galliam, summo pontificis gaudio, postquam in hac sua legatione ingentem auri summam Romæ potissimùm insumpserat: quam 30. Aprilis, effuso in vulgus aliquibus in locis liberaliter vino, fastuosâ sane pompâ egressus, rediit, ne viso quidem pontifice, in Galliam. fuit enim *in timore Domini* Innocentii XI. *fiducia fortitudinis* Proverb. 14. 26. *Nam qui verâ virtute fortis est, nec inconsultè timet.* S. August. in epist. ad S. Hieron. Ineunte martio Siami spes concepta exaruit, tum religionis Christianæ inibi ulterius dilatandæ, tum facilis Europæorum cum gente, placidis alioquin moribus imbuta, commercii protrahendi. Obiit enim Rex utrique addictus, & quod ad eorum, quæ meditabatur, executionem aliquos è suis aulicis, & maximè summum copiarum præfectum depressisset, ut uni sibi accepto Constantino Falconio extero integra maneret rerum gerendarum potestas. Vix mortem Rex oppetierat, ei, ut creditum est, arte procuratam, cùm præfectus Constantinum, & præcipuos Regis demortui familiares enecari jussit; ejectis etiam formatâ obsidione præsidiariis Gallis ex aliquot arcibus, quas Rex eorum fidei crediderat, illisque & Europæis omnibus è regno proscriptis, donec aliud statueretur.

Fides Cathol. exaruit Siami.

Gallus Germaniam tyranni-

263. Summo hic pontifex gaudio de Cæsaris adversus Turcas recreabatur victoriis; dolebat verò inhumanas & inauditas Ludovici Regis

Regis in Imperium Romanum irruptiones & vastationes, Moguntiæ, Heidelbergæ, Manheimii, Franckendalii, & Wormatiæ insolenter exercitas. Nam Monclasius bis frustra tentato Schorndorffio, accersitisque Eslingâ & viciniâ 1500. peditibus Stutgardiam, Ducatûs Wurtenburgensis metropolim occupat, & expilat; audiens vero accurrentes Principes Ludovicum Wurtenburgensem, & Durlacensem, maximâ aufugit consternatus confusione. Tubingæ intra decem dies plures centenos vini cados, omnem annonam & victualia Galli pessumdant; pro condonatione direptionis exigunt quadraginta imperialium millia, & præter alia urbis mœnia diruunt. Similem tyrannicam & pudendam Gallorum oppressionem experta sunt innumera oppida & urbes, Siburgum prope Bonnam, Alsheimium, Umbstadium, Gegenbachũ, Eslinga (quam eductis 71. bellicis tormentis, & 900. duplicariis, imo planè expilatam in aërem evibrant) Wimpfena, Rotenburgum, Heilbrunna, imo eandem comminari ausi Francofurto ad Mœnum. cà vastat, incinerat.

Hanc barbaram Gallorum insolentiam Saxoniæ Elector Joannes Georg. III. ut tandem compesceret, Archistrategum suum Flemmingum cum 5. ad sex armatorum millia in eos Mosbachium & Heilbrunam immittit, quorum adventu incenso prius PP. Capucinorum Heilbrunnæ monasterio [ubi stramen & fœnum deposuerant] tantâ inde fugiunt ultra Nicrum præcipitantiâ, ut 8000. avenæ maldra, aliquot tormenta bellica, magnam vini & impedimen- Illum Saxoniæ Elector fugat.

Stolhovio, Lichtenavio, Germsheimio (paulò post etiam incinerato) Wormatiæ, Oppenheimio, pluribusque aliis contigit civitatibus. Sereniorem in inferiori Germania præbuit faciem fortuna, *quæ per omnia humana, maximè in res bellicas est potens*, ait Livius lib. 9. *Nam Mars communis & victum sæpè erigit, & affligit victorem.* Id. l. 28. Nam Schoningus Brandeburgicorum Archistrategus Coloniâ Trajanâ, nunc Xantis cum exercitu Novesium à Gallis roboratum contendens, 150. plaustra seu carros siliginis Rhenobercam sub ter mille Gallorum conductu devehendos offendit; cæsis eorum paucis, captis 147. & 2. vexillis, cunctam siliginem & millenos aliquot imperiales spolio rapit; mediâ noctis hostem 25. equitum turmis, & 8. peditum millibus ex rumore advenientem die alterâ prope Novesium adortus, cæsis eorum 500. & captis 40. in fugam convertit, inde oppido Linn facili deditione occupato, Galli Novesium deserunt, & Brandeburgici occupant. Monasteriensium Colonellus Heidersleben sine tumultu 16. Mart. ad vesperam Werlam occupans, Præfectum Crequium cum præsidio capit: Lincium Archidiœcesis ad rhenum Coloniensis Hartingshausenios, dilapsis fugâ 300. Gallis, intercipit, ibidemque Andernacensium communicationem cum Bonnensibus interrumpit. Creutznachii & aliis in locis Galli ob Germanorum adventum haud dubiè deserendis, omnia ubique frumenta aut aquâ aut igne corrumpunt ad consumendum Germanis inepta. Ubi de 2000. tritici maldris in fl. Nahe effunden-

Galli in Germania fuguntur.

Frumenta igne vel aquâ corrumpunt.

dendis gallicus miles dum unicum extremè indigenti misericordiâ motus donasset, innumeris à centurione suo fustibus miserrimè est castigatus.

Bavarus Elector Coloniens. Canonicos Metropol. à Fürstenberg. avocat.

264. Interea temporis Josephus Clemens Elector Coloniensis capitulares Ecclesiæ metropolitanæ Canonicos, Card. Fürstenbergio adhærentes; Principem scil. Nassaviæ, Franciscum Bernardum præpositum, Comites Lövenstein, Ritberg, Reckheim, Salm, Fürstenberg Meiskirch, Manderscheid, Hohenzôlleren, & Canonicos Presbyteros Henricum Mehring Seniorem, Thomam Quentel Officialem, & Joannem Petrum Quentel juniorem, intra quindenam, aut longius distantes sex intra septimanas peremptoriè citat Coloniæ comparendos, ut vi Brevis Pontificii Innocentii XI. & Cæsaris, Electorisque mandati, sub pœna excommunicationis, beneficiorum privationis, & confiscationis bonorum, delatam Card. Fürstenbergio Archidiœcesis revocarent administrationem, & Josephum Clementem agnoscerent Archiepiscopum & Electorem. Comparuerunt & submiserunt se Comes Salmensis, & Henricus Mehring, in sua repositi beneficia; in contumacium verò per octo circiter menses canonicalia beneficia subintroierunt Princeps Palatino-Neoburgicus Ludovicus Antonius, magnus magister Teutonicus; Dux Crojus, Comes Konigseckius in amborum deinde Quentelorum Petrus Bequerer Bonnensis, & Andreas Eschenbrender Unckelensis; hic etiam ob insignem jurisprudentiam Officialis est substitutus à Josepho

Contumaces proscribit.

lepho Clemente, qui eundem postmodùm, quòd jura capituli (in pace Rastadiensi postmodùm confirmata) contra Josephum Archiepiscopum constanter defenderet, ab Officialatu removit. Cæterorum aliqui post mortem Innocent. Pontificis cum Card. Fürstenbergo Romam profecti, apud ejus successorem Alexandrum VIII. suam tantâ importunitate beneficiorum dignitatumque urserunt restitutionem, ut omnibus illam viribus Pontifex promovere jubereque videretur; instigante id potissimùm Gallorum Rege Ludovico. Sed Pontificis Regisque propositum prævertit Elector Clemens & ipse Cæsar acerrimis ad Cardinalem Medicæum Germaniæ protectorem datis literis eorum restitutionem omnino rejicit & pluribus evertit rationibus, quòd apostolicæ hactenus sedi inobedientes, ejus scitu & permissu tanquam patriæ turbatores, publico Romani Imperii & Electorum decreto, à solo Cæsare revocabili, sint proscripti, omnique dignitate, prærogativa & ecclesiastica immunitate privati: qui evocato in irreparabilem universæ Archidiœcesis Coloniensis & Germaniæ ruinam exitiosissimo Imperii Rom. hoste, tanti humani sanguinis effusi & effundendi, tot incendiorum, rapinarum & calamitatum essent authores, omni indignissimi restitutione; indigentissimos potius Pontifex Capucinos, & tot alios religiosos Ordines aris, focis & facultatibus omnibus per gallicam spoliatos tyrannidem restituat: proscriptos Rex Canonicos opulentis in Gallia beneficiis providere poterit, factioni suæ congruentibus &c. Destitit

Quorũ restitutionem frustra urgent Papa & Rex Galliæ.

Pon-

cursores gallicos tumultuariè opprimunt, quibus Ludovicus Rex publicè 15. mensis Aprilis hostes declarando bellum indicit: uti vicissim Carolus II. Hispaniarum Rex 3. Maji, & 23. Aprilis Elector Brandeburgicus Gallos hostes Manifesto publicant, ideoque confœderati Brandeburgici, Batavi & Sueci Rhenoberckam obsidione cingunt, quam ejusdem Præfectus Berensavius citius tradidisset, nisi bonorum & villarum suarum à Gallis destructionem & vastationem metuisset: cujus indemnitatis cautionem dum præstarent confœderati, urbis 16. Maji fecit deditionem, & 1200. ejusdem præsidiarii deserto Cardinale Fürstenbergio Electori Josepho Clementi jurarunt, quibus in urbis præsidium adjuncti sunt 300. Brandeburgici & totidem Batavi. Inde Elector ipse Brandeburgicus Fridericus III. Cæsaris Insulam acriter tormentis flagellans deditione etiam 25. Jun. capit. Præfectus Marcognetus cum paucis 150. Gallis liberè dimissus, Germani abjurato Gallo militiam Josephi Clementis induerunt.

Gallus Hispanū & hic Gallum hostem declarat

Rhenobercka & Cæsaris-Insula confœderatis traduntur.

In superiori Germania haud procul Hunninga Generalis Choiseulus cum volatico 4000. exercitu trajecto rheno Durlacensem ingressus mense Junio ditionem, pabulandi solùm, ut ajebat, causâ, indigenarum fugam prohibet, indemnitatem sanctè promittens; at metatis vix ibidem castris omnia tyrannicè expilat, & ad incitas redigit totum Marchionatum usque Basileam, cujus etiam limites infestans ab evocatis rusticis repulsus, nunquam redire est ausus. Sed Ludovicus Rex severiori & Manliano mandato

Spiram

Spiram, Wormatiam &c. Galli igne exſcindunt.

Spiram Auguſtam, Wormatiam, & Oppenheimium hoc menſe Majo flammis penitùs jubet exſcindere, & funditùs evertere; quaſi bellum incendiis condecorari & illuſtrari deberet, neve à civibus extingueretur aut impediretur incendium, ſed totas pervagaret abſumeretque urbes, miles ubique urbem circumvolans, minis & contuſionibus ſuccurrentes cives prohibuit. Nec illud ſufficiebat; ſed violatis Cæſarum, Regum ac Principum Spiræ ſepulchris, cadavera eorum canibus & ſordidis publicè inſectis projiciunt. Heidelbergam etiam contra pacta ex Regis Imperio flammis depopulantur, immortalem exiſtimantes gloriam, ſi Regi magis quàm Deo obediant: majorem quippe Regi ſuo quàm Deo reverentiam ſe debere impiiſſimè palam garrientes. Heilbronnenſes Fequierus incendii præmonens, ut ſe abeunte cautius vigilanter extinguerent, hujus rei apud Regem accuſatus, ejus excidit gratiâ.

Rhenus. An non meritò nunc, quod olim Petrarcha *Dial.* 88. ſcribit *de Rheno, tot antiquarum celebriumque urbium buſta, ruinas & rudera præterfluente: Quin & ſolito mœſtiorem Rhenum ipſum quaſi flentem labi, deformatam ruinis utramque ripam, eamque præcipuè, quæ ædificiis ornatior fuerat, querulis abluentem vorticibus videas.* Qui Rhenus, ſeu Rhein, à puritate dictus eſt, ut vult Becanus *Hiſpanicar. lib.* 2. cujus etiam rationem aſſignat, quòd hic fluvius mirè zelotypus olim nullo modo ferret, ut cujuſpiam uxor ſeſe Helenam faceret, aut faſcinum ſeu faſciculum aliunde, quàm à marito acciperet

com-

commodato; utpote quarum fœtus recens editus probandum Rheno immergebatur. *O mucro Domini usquequo non requiesces ? ingredere in vaginam tuam, refrigerare, & sile. Quomodo quiescet, cùm Dominus praceperit ei?* Jerem. 47. 6.

266. Cæterum Galli Moguntiam, Castrum Ludovicium, Philippopolim, Montem Regalem, cæterasque finitimas urbes & munitiones Germanorum metu & adventu prævalido indefessè communiunt robore; Costheimii è regione Moguntiæ grandem in rheni insula erigunt munitionem; & ad Mœni fl. ostium multas immergentes naves rheni navigationem obstruunt & urbis accessum. Nihilo tamen minus ad consilium bellicum convocati Francofurtum ad Mœnum Electores Bavarus & Saxo, Principes Lotharingus & Hasso-Casselensis, Moguntiæ urbis decreverunt oppugnationem. Cæsareus igitur miles Confluentiæ rhenum transmeat, ultra Mœnum haud procul Gustav-popoli castra figunt Saxones, Hasso-Casselensis Costheimii consident, unde Galli derelictâ Casseliâ, & rescisso ponte ad insulæ fugiunt munitionem : Bavari Brettæ jurisdictionis Palatinæ castra metantur, atque ita Carolus Lotharingus cum Principe Neoburgico Magistro Teutonico, duobus Electoris Saxonis filiis & exercitu 9. Jun. Confluentiâ tendit Moguntiam : Francofurti autem ad vigorosam urbis Moguntinensis oppugnationem bellicus apparatus, pontes & res tormentaria sedulo præparabantur studio & labore; dum in comitiis interim Ratisponensibus severiora

contra Gallos mandata avocatoria & inhibitoria publicantur. Tandem 6. mensis Jul. totus confœderatus exercitus circumcingit Moguntiam; Electores Saxo & Bavarus prætoria Weisenaviæ figunt stativa, Lotharingus Bronzenheimii, & sua Princeps Hanoveranus Gundesheimii, ductaque est circumvallationis linea Weisenaviâ ab rheno usque Brenzenheimium, inde per Gundesheimium rhenum usque versus Biberacum: Saxones & Bavari novam impetunt urbis portam, Cæsareani duo Bonifacii & Alexandri propugnacula: nec minùs generosè urbem Galli continuis explosionibus & excursionibus propugnant; nam 13. Jul. Palatinus Princeps Fridericus Neoburgicus globo transfossus obiit, agebaturque res utrimque strenuè non solùm Moguntiæ; sed etiam Bonnæ hoc eodem tempore à confœderatis Brandeburgicis, Hollandis, Monasteriensibus &c. circumvallatæ, nam injectus terreo ultra rhenum munimento pyrobolus, nitratum ibidem pulverem, sphæras & cuniculum Gallorum corripiens, horribili eos fragore, atque ipsum adeo munimentum in aërem evibrat & evertit, unde reliqui præsidiarii ad naves confugientes cum præfecto capti sunt, pauci Officiales navicula summo cum periculo in urbem evaserunt; quo occupato continuis urbem tormentis & pyrobolis flagellantes, multa in urbe 25. Jul. excitant incendia, ut præsidiarii ignis vehementiâ extra urbis muros in subterraneis munitionibus latuerint. Hanc ob causam Galli incredibili & tyrannico furore perciti Bruchsalium superioris Germaniæ intercipiunt

Moguntiam confœderati cingunt.

Mors Friderici Palatini.

Bonnã confœderati obsident

piunt, & cives præsidiariosque Philippopolim ducunt captivos; Durlachum cum arce, Gochsheimium Friderici Augusti Principis Wurtenbergensis residentiam, Cochheimium ad Mosellam, aliaque oppida Majen, Käysers, Esch, Neustadt ahn der Hart / Gimmeldingen, Haard, Meckenheim, Gräfhausen &c. occupant, expilant, incendunt, pueros & puerperas flammis injiciunt; Heidelbergam nuper derelictam Mareschallus de Duras repetens oppugnabat; sed opportuno ex confœderatorum castris confirmata 3000. subsidio coactus est turpiter abscedere, quod subsidium, dum ad castra Moguntinensia revertitur, præsidiarii 6. Augusti in Cæsareanos excurrentes, cæde 500. repelluntur; horum autem 200. tum prostrati, tum vulnerati sunt: & primâ quidem Augusti Magister Teutonicus noctu vias obsidionales visitaturus à tormentario globo terram, gerras & virgulta dejiciente in faciem prosternitur, & post respirationem surgens ducitur ad sua stativa; decima autem quinta Princeps Palatinus Veldensis & 24. Princeps Christianus Saxo Weissenfeldensis globo pereunt. 27. facta per Cæsareanos & Saxones in exteriorem fossæ murum impressione, pugnatum est utrimque per tres horas fortiter, & cuniculo licet sine singulari damno evibrato, fossæ tamen acclivitatem tam Cæsarei quàm Saxones obtinuerunt, &, non tamen sine strage, se infodiendo conservarunt: nam Cæsareanorum ad 3000. Saxonum 1300. cæsi aut vulnerati sunt, præsidiariorum autem Moguntinensium 1200. sunt prostrati. Demum 29. Au-

Galli sævè superiorē Germaniam vastant.

Obsessió Moguntina continuatur.

gusti urbis Præfectus Marchio de Auxelles diuturniorem desperans urbis defensionem, ultroneam offert deditionem, & pactâ securitate, more militari, accensis funiculis, volantibus vexillis cum 6. tormentis bellicis & 4. mortariis regio insigni consignatis 11. mensis Septembris præsidiarii Landaviam sunt deducti.

Moguntiæ deditio.

Bonnæ obsessio continuatur.

267. Bonna sub hæc trans rhenum tantummodò tormentis quassata, & pyrobolis ignibusque vastata, rus versus firmissimis roborata operis & vallis manebat intacta, ut præsidiariis securus ultra mediam horam extra urbem daretur egressus & ludendi passim facultas; qui noctu civium cellaria deripientes, vina, pretiosaque mobilia &c. in die rusticis & militaribus negotiatoribus exponebant venalia, semper ebrii & insanientes. 31. Jul. dum Elector Brandeburgus cum Monasteriensium Generali Schwartz aliisque tribunis urbis robur, Principis viridarium Poppelsdorff, & Montem Crucis perlustraret, Asfeldius Bonnæ Præfectus mille qua peditum, qua equitum insidias inter vineta & cavernosam Entenig versus viam spe capiendi seposuit, cum quibus dum per horæ quadrantem 700. equites Brandeburgici velitantur, succurrenteque cum Dimachis Generali Dôrfflingo in fugam ad urbem aguntur, Elector cum cæteris feliciter est elapsus; 2. autem Augusti excurrentes Galli pagum Entenig & Poppelsdorffium incinerant, Monasteria Montem Crucis & Marienforst spoliando, sexcenta frumentorum maldra in urbem convehunt: ideoque Brandeburgici, qui longius horâ ab urbe prius

con-

confœderant, uno nunc horæ quadrante inde distantes circumvallationis lineam ducendo, binos tormentorum suggestus adversus Stocker & stellatam portas erigunt, & 8. Augusti collegiatam basilicam [quæ unica, & Capucinissarum monialium monasterium, aliis omnibus flammâ consumptis, illæsa adhuc steterant] pyrobolo incendunt, adeoque devastant, ut in ea saucii Galli, & ægroti perempti, magnaque commeatûs pars igne fuerit consumpta. Elector deinde Brandeburgicus prætoria sua stativa Wesselingo, Graw-Rheindorffium ad secundum urbis lapidem transtulit, omnesque machinas bellicas ex altera rheni parte in hanc transvexit; sicuti & Galli suas ex rhenanis in ruralia traduxere machinas propugnacula, diu noctuque continuò fulminantes. 12. Augusti 200. præsidiarii Bonnenses noctu excurrentes, cæsis aliquot procubitoribus reliquos 12. cum decurione capiunt, extortoque militari symbolo, munitionem prope Rheindorffium 4. machinis bellicis instructam prostratis excubiis occupant; quod dum Brandeburgici ex classico & tumultu perciperent, expeditum illuc agmen, magno munitionem furore recipit, Gallosque internecivè delet: jamque altera præsidiarii vice urbis per tubicinem offerebant deditionem, si liber illis cum impedimentis abitus concederetur: quod denegavit Elector: & quia ex rumore, & speculatoris literis quatuor Gallorum millia in Bonnensium appropinquare subsidium cognoverat, totum fermè suum equitatum Monasterium Eifliæ, Euskirchium & Cochemium invigilatu-

rum dimittit. Iteratis interim excursionibus velitatum acerrimè non sine exigua, imo majore confœderatorum quàm Gallorum strage, ut multi generosi pugiles, tribuni, centuriones, aliique belli officiales occumberent, quòd eminentia urbis valla, & multiplices munitiones suos securè tegerent, conservarentque præsidiarios, usque dum confœderatorum Moguntiâ exercitus Bonnensia castra accederet, quæ Dux Lotharingus uti & obsidionales vias 27. Septembris perlustravit: ex quo tempore magno utrobique fervore fossæ castrenses promovebantur, cum tales continuò machinæ fulminabant, valla murique dejiciebantur, & cuncta ad decretoriam præparabantur impressionem: Nona namque Octobr. Cæsareani antesignano Tüngeno aggerem portæ præstructum, binis licet cuniculis per præsidiarios evibratis occupant: Brandeburgici bina quoque defixa castella (Revelin) & exteriorem muri fossam [Contrascarpe] adorti obtinent, strage 800. gregariorum & plurium officialium; è Cæsareis, Monasteriensibus & Batavis 40. circiter cæsi & 70. sauciati sunt: die altera urbis præfectus d' Asfeld ultroneam offerens traditionem, post octo nonnisi dies militari modo egressurus rejicitur. Die undecimâ rejectis Marchionis de Castro deprecationibus militarem tandem post duos dies abitum, sonantibus tympanis, & volantibus vexillis pactis & subscriptis tabulis impetravit, Theonis-Villam cum mille circiter præsidiariis sanis est deductus, quorum obsidionis initio octo millia numerabantur; noluit illos Elector relictis omnibus

Carolus Lotharing. cũ exercitu Bonnam venit.

Bonnæ submissio.

nibus nonnisi cum solis baculis dimittere, quam Asfeldius injuriam morte potius & sanguine maluit vindicare; debuit tamen archivium & omnia ad Archidiœcesim, Principem Electorem, & Cardinalem Fürstenbergium quovis modo spectantia derelinquere, contracta militum debita & rapinas civibus solvere, extorta per Archidiœcesim tributa, & militares exactiones datis obsidibus nonnisi ad ultimum quadrantem remittendis debuit restituere, atque ita Tractum rheni deserere coacti sunt Galli. Sic optimè & verè Curtius lib. 8. *Non est diuturna possessio, in quam gladio & dolo inducimur.* Tum tria confœderatorum millia usque in adventum trium Bavaricarum legionum urbi imponuntur, Cæsarque & Imperium Rom. severiora 3. Octobr. commerciorũ & militum &c. avocatoria & inhibitoria mandata sub gravissimis proscriptionis, confiscationis &c. pœnis publicaverunt; ideo Cardinalis Fürstenbergius Metas fugiens, hospitii ibidem incendium vix est elapsus, quo octo aliæ personæ, mobilia aliaque pretiosiora elaturæ cum 7. aliis ædibus sunt consumptæ.

Galli rheni tractum deserunt

Fürstenbergus Metas fugit.

268. Stockholmiæ Sueciæ metropolis totam ignis 24. Junii devastavit plateam. Pragæ Bohemiæ metropolis sæviens 21. Junii incendium totam primo civitatem judaicam, tum medias antiquam & novam, tria ædium & ecclesiarum ferme millia cum ingenti incolarum numero & damno, venti potissimùm furore, incineravit, à gallicis, ut putatur, incendiariis excitatum; quorum unum etiam inter incendii 18. horis sævè continuantis tumultum trucidarunt,

Incendia varia.

lividos regum ac principum Rom. perstri-
ctura oculos, austriacæ potentiæ æmuli, &
suæ metuentes libertati, Imperii Rom. coro-
nam in aliam transferendi familiam capient oc-
casionem: cumque Britannus & Batavus gallici
Delphini ambitionem Romanæ coronæ ex fama
extollerent, percusso mox invicem fœdere, Prin-
cipum & Electorum ipsi animos ad Josephi Cæ-
saris primogeniti electionem haud Segniter sol-
licitabant, & pacem cum Turcis suadebant, tum
temporis maximè proficuam. Porro Wilhel-
mus Rex per Scotiam Hiberniamque armisti-
tium & amnestiam omnibus arma deponentibus
publicavit; sed & multi Jacobi II. fautores de-
prehensi, proditionisque rei captivitate sunt in-
nodati. Schombergus interim Jamestonum oc-
cupat, & gallica rursum navis cum insigni belli-
co apparatu, aliis quinque venti beneficio feli-
citer elapsis, est capta; neve gallica ulterius clas-
sis auxilio Hibernis subveniret, classis britannica
Berclejo comiti conjuncta diligenti observabat
vigilantiâ. Jacobus II. quo se verteret nesciens,
Cæsaris, inquam, pro regni restitutione implorat
auxiliũ: Cui Leopoldus, jam pridem hanc regni
ejus devolutionem se prævidisse respondit; ideo-
que per Kaunizium legatum suum de Gallorum
fraudibus Regem præmonuisse; Gallus enim fa-
ctionis conscius avertere differens, Britanno-
rum in regno non impedivit discordias & aver-
sionem, unde orta est regni jactura; uti jam
idem perfidus pacis violator, & Christianitatis
hostis, Turcis confœderatus, adversus me ur-
gendo instigat, & Imperium Rom. immaniori
bar-

Cæsaris opem implorat Jacobus R. pridem admonitus ab eo.

barbarorum crudelitate invadit: quod haud dubiè non fieret, si Britanniæ Rex pacis Noviomagensis mediator & conservator perfidum toties Gallum continuisset, quod potuit; unde proverbium:

Fide parum, multumque vide; nam fidere multum
Et videre parum, maxima damna parit. Vid. n. 283.

Anglorum etiam confœderati Batavi bellum in mense Martio Gallis indicunt, & incautos hincinde opprimunt; Waldeccius autem Batavorum strategus ab marescallo Humiero ad oppidum Walcourt aggressus, hostis furorem pedetentim usque ad oppidum sustinendo, illud ingressus fortiter propugnat, donec aliæ approperantes legiones adeo in confusionem Gallos adigunt, ut relictis tormentis, bellico apparatu, cæsis, & vulneratis 2000. captisque octingentis in fugam sint rejecti. Batavi bellum Gallis indicunt & profligant.

Romæ Cardinalis Estreus indefesso laborabat apud pontificem studio, ut domiciliorum libertatem, & Cardinalis Furstenbergii ad archiepiscopatum Coloniensem postulationem impetraret; sed oleum perdidit & operam; omnia libens ait Innocentius Regi Ludovico permisero, quæ Deo & conscientiæ meæ non repugnant: & quia variæ Gallorum comminationes ad pontificem delatæ erant, justam jubet adornare defensionem, & Civitam Vecchiam firmiore communire robore. Quare offensus Ludovicus datis ad Estreum literis pontifici prælegendis (hic illum inauditum ad Cardinalem Cibo remittit)

Lavardinus Româ revocatur, spe asylorũ frustratus.

Lavardinum legatum suum nunquam ad pontificis alloquium admissum, 18. mensibus excommunicatum, votis postulationibusque privatum revocabat in Galliam, summo pontificis gaudio, postquam in hac sua legatione ingentem auri summam Romæ potissimùm insumpserat: quam 30. Aprilis, effuso in vulgus aliquibus in locis liberaliter vino, fastuosâ sane pompâ egressus, rediit, ne viso quidem pontifice, in Galliam. fuit enim *in timore Domini* Innocentii XI. *fiducia fortitudinis* Proverb. 14. 26. *Nam qui verâ virtute fortis est, nec inconsultè timet*. S. August. in epist. ad S. Hieron. Ineunte martio Siami spes concepta exaruit, tum religionis Christianæ inibi ulterius dilatandæ, tum facilis Europæorum cum gente, placidis alioquin moribus imbuta, commercii protrahendi. Obiit enim Rex utrique addictus, & quod ad eorum, quæ meditabatur, executionem aliquos è suis aulicis, & maximè summum copiarum præfectum depressisset, ut uni sibi accepto Constantino Falconio extero integra maneret rerum gerendarum potestas. Vix mortem Rex oppetierat, ei, ut creditum est, arte procuratam, cùm præfectus Constantinum, & præcipuos Regis demortui familiares enecari jussit; ejectis etiam formatâ obsidione præsidiariis Gallis ex aliquot arcibus, quas Rex eorum fidei crediderat, illisque & Europæis omnibus è regno proscriptis, donec aliud statueretur.

Fides Cathol. exaruit Siami.

Gallus Germaniam tyranni-

263. Summo hic pontifex gaudio de Cæsaris adversus Turcas recreabatur victoriis; dolebat verò inhumanas & inauditas Ludovici Regis

Regis in Imperium Romanum irruptiones & vastationes, Moguntiæ, Heidelbergæ, Manheimii, Franckendalii, & Wormatiæ insolenter exercitas. Nam Monclasius bis frustra tentato Schorndorffio, accersitisque Eslingâ & viciniâ 1500. peditibus Stutgardiam, Ducatûs Wurtenburgensis metropolim occupat, & expilat; audiens vero accurrentes Principes Ludovicum Wurtenburgensem, & Durlacensem, maximâ aufugit consternatus confusione. Tubingæ intra decem dies plures centenos vini cados, omnem annonam & victualia Galli pessumdant; pro condonatione direptionis exigunt quadraginta imperialium millia, & præter alia urbis mœnia diruunt. Similem tyrannicam & pudendam Gallorum oppressionem experta sunt innumera oppida & urbes, Siburgum prope Bonnam, Alsheimium, Umbstadium, Gegenbachū, Eslinga (quam eductis 71. bellicis tormentis, & 900. duplicariis, imo planè expilatam in aërem evibrant) Wimpfena, Rotenburgum, Heilbrunna, imo eandem comminari ausi Francofurto ad Mœnum. *cà vastat, incinerat.*

Hanc barbaram Gallorum insolentiam Saxoniæ Elector Joannes Georg. III. ut tandem compesceret, Archistrategum suum Flemmingum cum 5. ad sex armatorum millia in eos Mosbachium & Heilbrunnam immittit, quorum adventu incenso prius PP. Capucinorum Heilbrunnæ monasterio [ubi stramen & fœnum deposuerant] tantâ inde fugiunt ultra Nicrum præcipitantiâ, ut 8000. avenæ maldra, aliquot tormenta bellica, magnam vini & impedimen- *Illum Saxoniæ Elector fugat.*

 torum

Stolhovio, Lichtenavio, Germsheimio (paulò post etiam incinerato) Wormatiæ, Oppenheimio, pluribusque aliis contigit civitatibus. Sereniorem in inferiori Germania præbuit faciem fortuna, *quæ per omnia humana, maximè in res bellicas est potens*, ait Livius lib. 9. *Nam Mars communis & victum sæpè erigit, & affligit victorem.* Id. l. 28. Nam Schoningus Brandeburgicorum Archistrategus Coloniâ Trajanâ, nunc Xantis cum exercitu Novesium à Gallis roboratum contendens, 150. plaustra seu carros siliginis Rhenobercam sub ter mille Gallorum conductu devehendos offendit; cæsis eorum paucis, captis 147. & 2. vexillis, cunctam siliginem & millenos aliquot imperiales spolio rapit; mediâ noctis hostem 25. equitum turmis, & 8. peditum millibus ex rumore advenientem die alterâ prope Novesium adortus, cæsis eorum 500. & captis 40. in fugam convertit, inde oppido Linn facili deditione occupato, Galli Novesium deserunt, & Brandeburgici occupant. Monasteriensium Colonellus Heidersleben sine tumultu 16. Mart. ad vesperam Werlam occupans, Præfectum Crequium cum præsidio capit: Lincium Archidiœcesis ad rhenum Coloniensis Hartingshausenios, dilapsis fugâ 300. Gallis, intercipit, ibidemque Andernacensium communicationem cum Bonnensibus interrumpit. Creutznachii & aliis in locis Galli ob Germanorum adventum haud dubiè deserendis, omnia ubique frumenta aut aquâ aut igne corrumpunt ad consumendum Germanis inepta. Ubi de 2000. tritici maldris in fl. Nahe effunden-

Galli in Germania fugantur.

Frumenta igne vel aquâ corrumpunt.

dendis gallicus miles dum unicum extremè indigenti misericordiâ motus donasset, innumeris à centurione suo fustibus misertimè est castigatus.

Bavarus Elector Coloniens. Canonicos Metropol. à Fürstenberg. avocat.

264. Interea temporis Josephus Clemens Elector Coloniensis capitulares Ecclesiæ metropolitanæ Canonicos, Card. Fürstenbergio adhærentes; Principem scil. Nassaviæ, Franciscum Bernardum præpositum, Comites Lövenstein, Ritberg, Reckheim, Salm, Fürstenberg Meiskirch, Manderscheid, Hohenzôlleren, & Canonicos Presbyteros Henricum Mehring Seniorem, Thomam Quentel Officialem, & Joannem Petrum Quentel juniorem, intra quindenam, aut longius distantes sex intra septimanas peremptoriè citat Coloniæ comparendos, ut vi Brevis Pontificii Innocentii XI. & Cæsaris, Electorisque mandati, sub pœna excommunicationis, beneficiorum privationis, & confiscationis bonorum, delatam Card. Fürstenbergio Archidiœcesis revocarent administrationem, & Josephum Clementem agnoscerent Archiepiscopum & Electorem. Comparuerunt & submiserunt se Comes Salmensis, & Henricus Mehring, in sua repositi beneficia; in contumacium verò per octo circiter menses canonicalia beneficia subintroierunt Princeps Palatino-Neoburgicus Ludovicus Antonius, magnus magister Teutonicus; Dux Crojus, Comes Konigseckius in amborum deinde Quentelorum Petrus Bequerer Bonnensis, & Audreas Eschenbrender Unckelensis; hic etiam ob insignem jurisprudentiam Officialis est substitutus à Josepho

Contumaces proscribit.

sepho Clemente, qui eundem postmodùm, quòd jura capituli (in pace Rastadiensi postmodùm confirmata) contra Josephum Archiepiscopum constanter defenderet, ab Officialatu removit. Cæterorum aliqui post mortem Innocent. Pontificis cum Card. Fürstenbergo Romam profecti, apud ejus successorem Alexandrum VIII. suam tantâ importunitate beneficiorum dignitatumque urserunt restitutionem, ut omnibus illam viribus Pontifex promovere jubereque videretur; instigante id potissimùm Gallorum Rege Ludovico. Sed Pontificis Regisque propositum prævertit Elector Clemens & ipse Cæsar acerrimis ad Cardinalem Medicæum Germaniæ protectorem datis literis eorum restitutionem omnino rejicit & pluribus evertit rationibus, quòd apostolicæ hactenus sedi inobedientes, ejus scitu & permissu tanquam patriæ turbatores, publico Romani Imperii & Electorum decreto, à solo Cæsare revocabili, sint proscripti, omnique dignitate, prærogativa & ecclesiastica immunitate privati: qui evocato in irreparabilem universæ Archidiœcesis Coloniensis & Germaniæ ruinam exitiosissimo Imperii Rom. hoste, tanti humani sanguinis effusi & effundendi, tot incendiorum, rapinarum & calamitatum essent authores, omni indignissimi restitutione; indigentissimos potius Pontifex Capucinos, & tot alios religiosos Ordines aris, focis & facultatibus omnibus per gallicam spoliatos tyrannidem restituat: proscriptos Rex Canonicos opulentis in Gallia beneficiis providere poterit, factioni suæ congruentibus &c. Destitit

Quorũ restitutionem frustra urgent Papa & Rex Galliæ.

Pon-

cursores gallicos tumultuariè opprimunt, quibus Ludovicus Rex publicè 15. mensis Aprilis hostes declarando bellum indicit: uti vicissim Carolus II. Hispaniarum Rex 3. Maji, & 23. Aprilis Elector Brandeburgicus Gallos hostes Manifesto publicant, ideoque confœderati Brandeburgici, Batavi & Sueci Rhenoberckam obsidione cingunt, quam ejusdem Præfectus Berensavius citius tradidisset, nisi bonorum & villarum suarum à Gallis destructionem & vastationem metuisset: cujus indemnitatis cautionem dum præstarent confœderati, urbis 16. Maji fecit deditionem, & 1200. ejusdem præsidiarii deserto Cardinale Fürstenbergio Electori Josepho Clementi jurarunt, quibus in urbis præsidium adjuncti sunt 300. Brandeburgici & totidem Batavi. Inde Elector ipse Brandeburgicus Fridericus III. Cæsaris Insulam acriter tormentis flagellans deditione etiam 25. Jun. capit. Præfectus Marcognetus cum paucis 150. Gallis liberè dimissus, Germani abjurato Gallo militiam Josephi Clementis induerunt.

Gallus Hispanū & hic Gallum hostem declarat

Rhenobercka & Cæsaris-Insula confœderatis traduntur.

In superiori Germania haud procul Hunninga Generalis Choiseulus cum volatico 4000. exercitu trajecto rheno Durlacensem ingressus mense Junio ditionem, pabulandi solùm, ut ajebat, causâ, indigenarum fugam prohibet, indemnitatem sanctè promittens; at metatis vix ibidem castris omnia tyrannicè expilat, & ad incitas redigit totum Marchionatum usque Basileam, cujus etiam limites infestans ab evocatis rusticis repulsus, nunquam redire est ausus. Sed Ludovicus Rex severiori & Manliano mandato

Spiram

commodato; utpote quarum fœtus recens editus probandum Rhenò immergebatur. *O mucro Domini usquequo non requiesces? ingredere in vaginam tuam, refrigerare, & sile. Quomodo quiescet, cùm Dominus præceperit ei?* Jerem. 47. 6.

266. Cæterum Galli Moguntiam, Castrum Ludovicium, Philippopolim, Montem Regalem, cæterasque finitimas urbes & munitiones Germanorum metu & adventu prævalido indefessè communiunt robore; Costheimii è regione Moguntiæ grandem in rheni insula erigunt munitionem; & ad Mœni fl. ostium multas immergentes naves rheni navigationem obstruunt & urbis accessum. Nihilo tamen minus ad consilium bellicum convocati Francofurtum ad Mœnum Electores Bavarus & Saxo, Principes Lotharingus & Hasso-Casselensis, Moguntiæ urbis decreverunt oppugnationem. Cæsareus igitur miles Confluentiæ rhenum transmeat, ultra Mœnum haud procul Gustav-popoli castra figunt Saxones, Hasso-Casselensis Costheimii consident, unde Galli derelictâ Casseliâ, & rescisso ponte ad insulæ fugiunt munitionem: Bavari Brettæ jurisdictionis Palatinæ castra metantur, atque ita Carolus Lotharingus cum Principe Neoburgico Magistro Teutonico, duobus Electoris Saxonis filiis & exercitu 9. Jun. Confluentiâ tendit Moguntiam: Francofurti autem ad vigorosam urbis Moguntinensis oppugnationem bellicus apparatus, pontes & res tormentaria sedulo præparabantur studio & labore; dum in comitiis interim Ratisponensibus severiora

contra Gallos mandata avocatoria & inhibitoria publicantur. Tandem 6. mensis Jul. totus confœderatus exercitus circumcingit Moguntiam; Electores Saxo & Bavarus prætoria Weisenaviæ figunt stativa, Lotharingus Bronzenheimii, & sua Princeps Hanoveranus Gundesheimii, ductaque est circumvallationis linea Weisenaviâ ab rheno usque Brenzenheimium, inde per Gundesheimium rhenum usque versus Biberacum: Saxones & Bavari novam impetunt urbis portam, Cæsareani duo Bonifacii & Alexandri propugnacula: nec minùs generosè urbem Galli continuis explosionibus & excursionibus propugnant; nam 13. Jul. Palatinus Princeps Fridericus Neoburgicus globo transfossus obiit, agebaturque res utrimque strenuè non solùm Moguntiæ; sed etiam Bonnæ hoc eodem tempore à confœderatis Brandeburgicis, Hollandis, Monasteriensibus &c. circumvallatæ, nam injectus terreo ultra rhenum munimento pyrobolus, nitratum ibidem pulverem, sphæras & cuniculum Gallorum corripiens, horribili eos fragore, atque ipsum adeo munimentum in aërem evibrat & evertit, unde reliqui præsidiarii ad naves confugientes cum præfecto capti sunt, pauci Officiales navicula summo cum periculo in urbem evaserunt; quo occupato continuis urbem tormentis & pyrobolis flagellantes, multa in urbe 25. Jul. excitant incendia, ut præsidiarii ignis vehementiâ extra urbis muros in subterraneis munitionibus latuerint. Hanc ob causam Galli incredibili & tyrannico furore perciti Bruchsalium superioris Germaniæ intercipiunt

Moguntiam confœderati cingunt.

Mors Friderici Palatini.

Bonnā confœderati obsident

piunt, & cives præsidiariosque Philippopolim ducunt captivos; Durlachum cum arce, Gochsheimium Friderici Augusti Principis Wurtenbergensis residentiam, Cochheimium ad Mosellam, aliaque oppida Majen, Käysers, Esch, Neustadt ahn der Hart, Gimmeldingen, Haard, Meckenheim, Grâshausen &c. occupant, expilant, incendunt, pueros & puerperas flammis injiciunt; Heidelbergam nuper derelictam Mareschallus de Duras repetens oppugnabat; sed opportuno ex confœderatorum castris confirmata 3000. subsidio coactus est turpiter abscedere, quod subsidium, dum ad castra Moguntinensia revertitur, præsidiarii 6. Augusti in Cæsareanos excurrentes, cæde 500. repelluntur; horum autem 200. tum prostrati, tum vulnerati sunt: & primâ quidem Augusti Magister Teutonicus noctu vias obsidionales visitaturus à tormentario globo terram, gerras & virgulta dejiciente in faciem prosternitur, & post respirationem surgens ducitur ad sua stativa; decima autem quinta Princeps Palatinus Veldensis & 24. Princeps Christianus Saxo Weissenfeldensis globo pereunt. 27. facta per Cæsareanos & Saxones in exteriorem fossæ murum impressione, pugnatum est utrimque per tres horas fortiter, & cuniculo licet sine singulari damno evibrato, fossæ tamen acclivitatem tam Cæsarei quàm Saxones obtinuerunt, &, non tamen sine strage, se infodiendo conservarunt: nam Cæsareanorum ad 3000. Saxonum 1300. cæsi aut vulnerati sunt, præsidiariorum autem Moguntinensium 1200. sunt prostrati. Demum 29. Augusti

Galli sævè superiorē Germaniam vastant.

Obsessio Moguntina continuatur.

Moguntiæ deditio. gusti urbis Præfectus Marchio de Auxelles diuturniorem desperans urbis defensionem, ultroneam offert deditionem, & pactâ securitate, more militari, accensis funiculis, volantibus vexillis cum 6. tormentis bellicis & 4. mortariis regio insigni consignatis 11. mensis Septembris præsidiarii Landaviam sunt deducti.

Bonnæ obsessio continuatur. 267. Bonna sub hæc trans rhenum tantummodò tormentis quassata, & pyrobolis ignibusque vastata, rus versus firmissimis roborata operis & vallis manebat intacta, ut præsidiariis securus ultra mediam horam extra urbem daretur egressus & ludendi passim facultas; qui noctu civium cellaria deripientes, vina, pretiosaque mobilia &c. in die rusticis & militaribus negotiatoribus exponebant venalia, semper ebrii & insanientes. 31. Jul. dum Elector Brandeburgus cum Monasteriensium Generali Schwartz aliisque tribunis urbis robur, Principis viridarium Poppelsdorff, & Montem Crucis perlustraret, Asfeldius Bonnæ Præfectus mille qua peditum, qua equitum insidias inter vineta & cavernosam Entenig versus viam spe capiendi seposuit, cum quibus dum per horæ quadrantem 700. equites Brandeburgici velitantur, succurrenteque cum Dimachis Generali Dörfflingo in fugam ad urbem aguntur, Elector cum cæteris feliciter est elapsus; 2. autem Augusti excurrentes Galli pagum Entenig & Poppelsdorffium incinerant, Monasteria Montem Crucis & Marienforst spoliando, sexcenta frumentorum maldra in urbem convehunt: ideoque Brandeburgici, qui longius horâ ab urbe prius con-

confœderant, uno nunc horæ quadrante inde distantes circumvallationis lineam ducendo, binos tormentorum suggestus adversus Stocker & stellatam portas erigunt, & 8. Augusti collegiatam basilicam [quæ unica, & Capucinissarum monialium monasterium, aliis omnibus flammâ consumptis, illæsa adhuc steterant] pyrobolo incendunt, adeoque devastant, ut in ea saucii Galli, & ægroti peremptï, magnaque commeatûs pars igne fuerit consumpta. Elector deinde Brandeburgicus prætoria sua stativa Wesselingo, Graw-Rheindorffium ad secundum urbis lapidem transtulit, omnesque machinas bellicas ex altera rheni parte in hanc transvexit; sicuti & Galli suas ex rhenanis in ruralia traduxere machinas propugnacula, diu noctuque continuò fulminantes. 12. Augusti 200. præsidiarii Bonnenses noctu excurrentes, cæsis aliliquot procubitoribus reliquos 12. cum decurione capiunt, extortoque militari symbolo, munitionem prope Rheindorffium 4. machinis bellicis instructam prostratis excubiis occupant; quod dum Brandeburgici ex classico & tumultu perciperent, expeditum illuc agmen, magno munitionem furore recipit, Gallosque internecivè delet: jamque altera præsidiarii vice urbis per tubicinem offerebant deditionem, si liber illis cum impedimentis abitus concederetur: quod denegavit Elector: & quia ex rumore, & speculatoris literis quatuor Gallorum millia in Bonnensium appropinquare subsidium cognoverat, totum fermè suum equitatum Monasterium Eiffliæ, Euskirchium & Cochemium invigilatu-

rum dimittit. Iteratis interim excursionibus velitatum acerrimè non sine exigua, imo majore confœderatorum quàm Gallorum strage, ut multi generosi pugiles, tribuni, centuriones, aliique belli officiales occumberent, quòd eminentia urbis valla, & multiplices munitiones suos securè tegerent, conservarentque præsidiarios, usque dum confœderatorum Moguntiâ exercitus Bonnensia castra accederet, quæ Dux Lotharingus uti & obsidionales vias 27. Septembris perlustravit: ex quo tempore magno utrobique fervore fossæ castrenses promovebantur, cuniculi continuò machinæ fulminabant, valla murique dejiciebantur, & cuncta ad decretoriam præparabantur impressionem: Nona namque Octobr. Cæsareani antesignano Tüngeno aggerem portæ præstructum, binis licet cuniculis per præsidiarios evibratis occupant: Brandeburgici bina quoque defixa castella (Revelin) & exteriorem muri fossam [Contrascarpe] adorti obtinent, strage 800. gregariorum & plurium officialium; è Cæsareis, Monasteriensibus & Batavis 40. circiter cæsi & 70. sauciati sunt: die altera urbis præfectus d' Asfeld ultroneam offerens traditionem, post octo nonnisi dies militari modo egressurus rejicitur. Die undecimâ rejectis Marchionis de Castro deprecationibus militarem tandem post duos dies abitum, sonantibus tympanis, & volantibus vexillis pactis & subscriptis tabulis impetravit, Theonis-Villam cum mille circiter præsidiariis sanis est deductus, quorum obsidionis initio octo millia numerabantur; noluit illos Elector relictis omnibus

Carolus Lotharing. cũ exercitu Bonnam venit.

Bonnæ submissio.

nibus

nibus nonnisi cum solis baculis dimittere, quam Asfeldius injuriam morte potius & sanguine maluit vindicare; debuit tamen archivium & omnia ad Archidiœcesim, Principem Electorem, & Cardinalem Fürstenbergium quovis modo spectantia derelinquere, contracta militum debita & rapinas civibus solvere, extorta per Archidiœcesim tributa, & militares exactiones datis obsidibus nonnisi ad ultimum quadrantem remittendis debuit restituere, atque ita Tractum rheni deserere coacti sunt Galli. Sic optimè & verè Curtius lib. 8. *Non est diuturna possessio, in quam gladio & dolo inducimur.* Tum tria confœderatorum millia usque in adventum trium Bavaricarum legionum urbi imponuntur, Cæsarque & Imperium Rom. severiora 3. Octobr. commerciorũ & militum &c. avocatoria & inhibitoria mandata sub gravissimis proscriptionis, confiscationis &c. pœnis publicaverunt; ideo Cardinalis Fürstenbergius Metas fugiens, hospitii ibidem incendium vix est elapsus, quo octo aliæ personæ, mobilia aliaque pretiosiora elaturæ, cum 7. aliis ædibus sunt consumptæ.

Galli rheni tractum deserunt

Fürstenbergus Metas fugit.

268. Stockholmiæ Sueciæ metropolis totam ignis 24. Junii devastavit plateam. Pragæ Bohemiæ metropolis sæviens 21. Junii incendium totam primo civitatem judaicam, tum medias antiquam & novam, tria ædium & ecclesiarum ferme millia cum ingenti incolarum numero & damno, venti potissimùm furore, incineravit, à gallicis, ut putatur, incendiariis excitatum; quorum unum etiam inter incendii 18. horis sævè continuantis tumultum trucidarunt,

Incendia varia.

Incendiarii plures capti.

pluresque ejusmodi incendiarii poſtmodum capti & ſtipendiati ſcelus confeſſi ſunt, ſe à quodam mercatore, qui natione gallus, ſed longâ in civitate morâ inter cives computatus vivebat, pecuniâ conductos, ut id præſtarent, & numero 14. ad ignes 26. Julii Pragæ ſunt condemnati. Gallus quia nihil unquam, ne in tormentis quidem confeſſus fuiſſet, ſolo exilio eſt mulctatus. Menſibus aliquot ante hoc incendium directæ fuerant epiſtolæ ad urbanos magiſtratus, quibus ad defectionem à Cæſaris obedientia ſollicitabantur; quæ cùm ad Cæſarem transmiſſæ fuiſſent, hujus juſſu manu publici carnificis in foro fuerunt combuſtæ. Ubi in Auguſto quoque ignibus quidam adjudicatus, qui ex propinato ſibi à quodam hauſtu, quaſi incendiario philtro, ad incendia inclinatus & effectus, comitis aulam, pluraque incendit ædificia. Landaviam etiam (poteſtatis adhuc gallicæ) 24. Junii totam abſumpſit incendium, cum interitu aliquot centenorum hominum, vaſtatione commeatûs & apparatûs bellici, & incredibili bonorum detrimento. Hujusmodi gallos incendiarios 60. bavaricus exercitus tendens Durlacum, Nuslocum & Wislocum offendit, & omnes aut capit aut necat; quorum quilibet 6. ad 7. picatos conferebat circulos, etiam ducatum Wirtenbergenſem & Hircyniam meditabantur ſilvam; ſed ejusdem ruſtici jam tum quatuor eorum trucidaverant millia, & Neoſtadium, Altdorffium, Korbweiler, Diersheimium, & arcem Harder deſeruerant. In palatinatu autem gallici adhuc vulcani per octobrem ſæviebat furor,

Vulcanus gallicus ubique furit.

Grun-

Grunstadium, Pfedersheimium, Diernstein, Franckendal, Turckheim & Wachenheim, Freinsheim, Deidersheim, & plura alia flammis crudeliter subjecit loca, ut gallici adeo tribuni ipsi hominum pecorumq; miseriam & depopulationem lacrimis deplorarent, sævitiamque plus quàm turcicam detestarentur; sed regis debuit adimpleri voluntas; nec minus tyrannice in dorso canino seu Hunnorum tractu depopulabantur Boufleurus & de la Breteche, omnia utrobique sanguine & igne, non tamen sine suo quandoque sanguine & strage devastantes. Palffius enim inter hæc cum sexcentis Ungaris Philippopolim contendens, eorumque 50. præmittens (ceteri in insidiis latebant) 400. pecora & 500. oves in urbis & excubiarum conspectu deprædantur; hos præfectus urbis cum 400. præsidiariis insecutus, ab Ungaris ex insidiis circumcinctus internecive omnes, præter 30. & præfectum vix fugâ elapsos, 22. Septemb. sunt trucidati, qui ungari haud procul Landavia 150. gallos prostravere, & 15. cum centurione cepêre. Creutznachium inferioris palatinatûs cùm Generalis Breteche barbarè devastaret, & cives solutis ritè omnibus exactionibus spe & promissione urbis ab igne conservandæ lamentabiliter quererentur, promittit sancte nullam se civium ædem, sed palatinam solummodò aulam incensurum; per supremum tamen administratorem Hauting ipsos coëgit cives & incolas suasmet ædes, templa & monasteria inflammare & incinerare. Offenburgum, Gengenbachium, & Zell quamvis jam antè fœde ignibus devasta- In Palatinatu.

ta essent, Chamillus tamen præfectus Argentoratensis illis denuntiavit, nisi urbium mœnia & rudera penitus dejicerent, everterentque, reliquum in urbibus ædium Regis imperio ignibus consumpturum.

In Belgio. 269. Nec minus crudeliter in Brabantia & aliis in locis plurimis gallicus sæviit Vulcanus, sed multo etiam non rarò sanguine est extinctus; & multoties gallorum excursores & turmæ emissitiæ, variante tamen etiam quandoque velitationis fortunâ, sunt oppressi. Huyum ad Mosam proditione capturi, cæso insidiose Tserclasio Tillio urbem flammis depopulari, cives internecione delere, & totam similiter Leodiensem devastare diœcesim & urbem moliebantur, jamque quatuor eorum millia Dinantum modò advenerant, magno ceteri numero Carolo-Regii & Malbodii rei exitum propediem expectantes; quam proditionem opportuno adhuc tempore Leodiensis quidam spe condonandi homicidii à se ante hac commissi Tillio aperuit per tribunum & protribunum intra quatriduum 10. Novembr. consummandam: quâ detectâ summa galli aufugiunt præcipitantiâ: dum Hispani interim ingens pabulatorium Cameraci incendunt centum millibus fascium, seu ut vocant Rationum fœni & stramentorum refertum; auctores duo Montes feliciter elapsi pro merito sunt compensati, quod damnum Galli vindicaturi à civitate Francofurtensi militarem 106050. florenorum collectam sub incendii interminatione, sed frustra, naso suspensi exigunt. In Ducatu autem Juliacensi multos prius expilatos

In Duc. Juliacēsi

pagos

pagos incenderunt, Bovenich, Fischenich, Grangern, Sollern, Reitzen, Poppelen, Stockheim, Lutzen, Disternich, Sivernich, Binsfeld, utrumque Bullesheim, Eschweiler, & plures alios hoc stratagemate crudeliter flammis subjecerunt, præmittendo quosdam Brandeburgicos mentientes, qui ex Gallorum adventu terrorem incolis incuterent, quibus in fugam subitò conversis, illi omnia interim diripiendo ignibus devastant. Horum incendiariorum duo Juliaci acriter torti socios duodecim confessi; quorum quilibet pretio conductus ad 12. designatos pagos comburendos: ambo ex coxendicibus suspensi fumo & flammâ vivi sunt combusti. Pro repressaliisècontra Brandeburgici & Hollandi provinciam Luxemburgensem irruentes, præter Bastoniam, Arduennæ emporium, 20. alia oppida & vicos incinerant, insignibus ditati spoliis. *Vid. n.* 280.

Prætereo multas & iteratas utriusque partis exactiones & excursiones alternante fortunâ factas, & transeo ad nuptias Florentinas, quibus hæreditarius Florentinus Princeps Ferdinandus III. de Medices sibi Violantam Beatricem Ducissam Bavariæ 19. Januarii hujus anni magno Florentiæ splendore sibi desponsavit, & quindecim episcoporum præsentia illustravit. Ad cœlestes agni nuptias hoc etiam anno transiit ex hac vita Pontifex Innocentius XI. dictus aliàs Benedictus Odeschalchus Comensis, diœcesis Mediolanensis, plenus dierum 78. annorum, regiminis anno 13. minus 39. diebus, summo orbis Christiani luctu & jactura, magnâque ob stri-

Innocentius XI. moritur.

ſtrictiorem vitam ſanctitate : eo quo vivere deſiit momento, tres theatri Romæ Coloſſæi conciderunt fornices. Vir magni, conſtantis & imperterriti animi: qui poſtquā jus aſyli penitus ſuſtuliſſet, nepotiſmum extinxiſſet, & profligatum ſuſpectumque Româ vulgus expuliſſet, 16. Junii, podagrâ, & invaleſcente paulatim febre, confeſſario ſuo Cardinali Colloredo ſupremo pœnitentiario (qui ab ejus nunquam latere deinceps diſceſſit) confeſſus nullum deinde admiſit alloquium tam Cardinalium, (quibus per Colloredum papalem impartitus benedictionem, paternè ſerioque ejus nomine monuit, ut ſucceſſorem eligerent pium & aptum, qui errores à ſe non voluntariè, ſed ignoranter commiſſos emendaret, partasque opes in ſubſidium ſubditorum & Chriſtianitatis impenderet emolumentum) quàm Don Livii nepotis ſui ſemel tantummodò ægritudinis tempore ad alloquium admiſſi, quo graviter ipſum ad vitæ probitatem adhortatus; dehortatus autem à mundi vanitate; neve pontificis in conclavi electioni ſe immiſceret, ſed ſtatu ſuo viveret contentus. Fuit certe Pontifex glorioſi regiminis, ab ipſis adeo heterodoxis laudatus; magnus autem belli turcici adverſus Chriſtiani nominis hoſtem effusâ ſuâ liberalitate promotor; Eccleſiæ namque opes fœderatis adverſus infideles Principibus profundere non deſtitit, donec vixit, attributis ejus liberalitatis & precum merito victoriis, quibus ſuo tempore nunquam majori gloria Barbaros Chriſtiani domuerunt. Pontifex, inquam, optimorum Catholicæ Eccleſiæ pontificum nulli ſe-

Ejus laus.

cun-

cundus, seu morum pietate, & innocentiâ, seu constanti & invicto ecclesiasticæ disciplinæ zelo, seu denique, quod rarius est, rerum omnium secularium contemptu, quo pontificatûs opibus, & liberâ rerum omnium copiâ non solùm abstinuit semper; sed & suos affines & consanguineos voluit temperare: nullis unquam precibus adductus, ut otiosas dignitates & officia illis concederet. *Dilectus Deo & hominibus, cujus memoria in benedictione est. Eccli.* 45. 1. Vix animam exhalaverat, mox supremus apostolicæ Cameræ præses Cardinalis Altierus convocatis Cardinalibus exanime corpus perlustrat, & post trinam appellationem seu inclamationem, aliasque ceremonias Quirinalis palatii capit possessionem, & usque ad neopapæ electionem Pontificii regiminis administrationem. Habuit 6. Octobris successorem Cardinalem Petrum Ottobonum patritium Venetum, episcopum Portuensem, imposito sibi nomine Alexander VIII.

Succedit Ottobonus Alexander VIII

Mortua etiam hoc anno 12. Februarii Madriti Maria Aloysia Aurelianensis Hispaniarum Regina. Romæ Cardinalis Pio, Romani Imperii protector catharro suffocativo, anno ætatis 67. Romæ itidem 19. Aprilis obiit Christina Alexandra Suecorum Regina Romano Catholica, annorum 63. quæ rarissimo exemplo, compertâ proprii ingenii & acri studio lutheranæ doctrinæ, quam profitebatur, vanitate, ut Catholicam fidem tutò & liberè exerceret, regno Anno 1654. abdicato Romam contendit, & ibi per plures annos inculpatis moribus, imo inter religio-

Christinæ Suecorum Reginæ obitus.

ligiosissimæ pietatis exercitia, omnia quæ Principem fœminam decent, consenuit. In ejusdem pietatis, ac generosæ abdicationis apud posteros commendationem eam voluit Innocentius XI. Pontifex in D. Petri basilica tumulari, in qua nullus præter pontifices deponi consueverat, solis duabus viraginibus concesso privilegio, quarum una, Mathildis regnum, Christina hæc altera Reginam Ecclesiæ donavit. Illustri omnium ferme Cardinalium pompâ est funerata. Testamento quidem scripserat hæredem Cardinalem Azzolinum; sed ad Brandeburgici Agentis seu Residentis protestationem repetentis dotem ex parte matris Brandeburgicæ, & ex patte Suecorum gemmas, aliaque regalia: Azzolinus Inventarium & bonorum omnium illi exhibet descriptionem, simulque omnes citat & advocat creditores, quorum Regii ministri capitalem exigebant summam 138000. scutatorum, & congregatio de propaganda fide, 72. scutatorum millia, præ ceteris diluenda. Hanc ipse mox Azzolinus 8. Junii, sexagesimo sexto ætatis, Cardinalatûs 35. anno eâdem mortalitatis viâ est secutus: hæredem testamento scripsit nepotem Pompejum Azzolinum Fermiensem. Nonis Aprilis aulam Viennensem dolore affecit mors Mariæ Annæ Austriacæ, Leopoldi Cæsaris sororis, quæ An. 1654. 20. Decemb. nata, & An. 1678. Joanni Wilhelmo Neoburgensis Palatini Electoris primogenito nupta, improlis præter omnium spem Dusseldorpii est defuncta: in cujus mœroris solatium 8. Calend. April. nova nascitur Cæsari ex Eleonora Augusta proles,

cui

cui Mariæ Magdalenæ inditum eſt nomen.

271. Porro Chriſtianus Albertus Dux Scleſwico-Holſatiæ Gottorpius, binis à Rege Daniæ Chriſtiano V. vicibus Ducatu ſuo, ſecuritatis ſuæ causâ, exutus, quòd Suecicas An. 1670. & gallicas An. 1684. fovisset partes; vel ut alii ſcribunt, ob ſimultates in communi utriusque familia forſan ab illo tempore ortas, quo Fridericus I. Holſatiæ Dux in Daniæ Regem fuit electus. Primogenitorum titulo Daniæ Reges eam voluerunt in ſtatibus hæreditariis familiæ authoritatem & arbitrium retinere, quæ novæ majeſtati non inſociabilia, & ſanguinis jure ipſis acquiſita videbantur. Verùm ſubjectio alieno ab Imperio Principi, quæ per prædictam aſſumptionem Ducibus videbatur reſciſſa, eos tenebat à Danis Regibus diſſentientes: à qua etiam ſubjectione pace Rothſchildenſi An. 1658. pacta Fridericus Holſatiæ Dux, annitente Carolo Guſtavo Sueciæ Rege, Friderici genero abſolutus fuerat, & abolita omnis quæcunque feudalis dependentia, & alterna ſtatus gubernatio libertate omnimoda à Daniæ Regibus Friderico & poſteris ejus aſſerta: quod etiam Hafnienſi pace An. 1660. & Bellaquenſi An. 1679. fuerat confirmatum. Sopito hoc diſſidio per mediatores & paciferos Cæſarem, & Electores Saxonicum & Brandeburgicum, & annitente præſertim Wilhelmo Auriaco, nuper ad Coronam Anglicanam vocato, Chriſtianus Rex Daniæ, pactis Altenaviæ 30. Jun. concordiæ tabulis ſtatum & ditiones Chriſtiano Alberto Duci reſtituit, ſuumque 16800. exercitum Holſatiam

Chriſtianus Dux Holſatiæ ducatui ſuo reſtitutus.

gra-

graviter molestéque ab An. 1684. occupantem in Daniam revocat. Sopito, inquam, hoc dissidiorum fomite, qui affectato tot annis aliquorum bellorum studio prætextus, & timores abundè ministraverat, Sueciæ & Daniæ Reges sese fœdere Wilhelmo Auriaco Neo-Regi conjunxerunt, conversis in eum armis, qui tamdiu inter utrumque odiorum semina seruerat.

Calviniani Sabaudiâ ejecti Romano-Catholicos persequuntur

272. Gallus sicut Hugenottas seu Calvinianos regni turbatores regno expulerat; ita quoque Dux Sabaudiæ suo eosdem Ducatu ejecit, in vallis & montibus vagè & miserè errantes, cujus jam dudum pertæsi 26. Augusti Genevam inter & Nion congregati, pulvere & plumbo armati, lacumque Lemanum transvecti patrios lares in Sabaudia repetunt, ædium suarum incolas & Romano-Catholicos sacerdotes, & omnes virilis ætatis supra 15. annum trucidant, gallicis calvinianis undequaque aucti sabaudicas ubique turmas & agmina in fugam agunt; monasterium Aux diripiunt, 24. religiosos, & 160. captivos potissimùm nobiles & sacerdotes, oblato licet lytro, abducunt, pro fratrum, liberorum, & ministrorum suorum redemptione commutandos: in alio monasterio 24. imperialium millia paratæ pecuniæ rapiunt, & ingentem ubique terrorem novis indies confirmati sociorum turmis circumferunt; atque ita superatis montibus suas occupant valles, easque fortiter & arctè obstruunt, uno nonnisi aditu invadendas: hos tamen Pedemontanos seu Vallenses Calvinianos Dux Sabaudus Gallorum ope vallibus suis postmodum expulit, & ad priora

fugæ

fugavit habitacula & refugia. In Africa Ludovicus Galliæ Rex afpernabilem admodùm & omnium admiratione fubmiffam cum Algerianis conficit pacem, quam Algerii baffa, feu Dajus Mezomortus diu repudiaverat, turcici tandem Sultani juffu, acceptâque intenti auri copiâ pacis tabulis fubfcripfit, misfisque magno Sultano quindecim militaribus adverfus Venetos navibus Mezomortus vi pacis cum Gallo confectæ alteram Orani meditabatur obfidionem, antehac fruftra, Hifpanis id ftrenuè propugnantibus, fummo fuo detrimento & ftrage oppugnatum, quod dum milites & populare vulgus recufarent, cogerent verò Mezomortus & architalaffus Brahen-Hocha, exulceratus miles & vulgus alium à Divano feu regimine poftulant & impetrant Dajum Sciban-Coggiam, depofito Brahen-Hocha & trucidato Mezomorto: apud hunc in parata pecunia reperti funt tres milliones & trecenta piftolettorum millia, quo dempta feditio, & mercatura cum Gallis eft continuata, quæ ob exardefcens in Belgio gallico bellum, imo per totam Galliam ita defloruerat, ut opifices ad paupertatem redacti, in fola Infula octies mille opifices deficientes aut militiam, aut feditionem meditarentur. Seditiofo plebiũ tumultu Catalonia exeunte hoc anno agitata, ineunte fequenti anno ad pacatæ obedientiæ quietem immiffo illuc milite eft repreffa, qui tumultuantes qua vi, qua terrore à concepta rebellione compefcuit. Barcinona regni metropolis non folum fe à feditione immunem,

Pax Gallico-Algeriana.

Seditio Algeriana.

nem, ſed regiis armorum præfectis milite, & grandi ære numerato, præſtitit adjutricem. Unde fidei & ſuppetiarum mercedem à Rege Hiſpaniæ obtinuit, futuris ſuis Nuntiis (quos ad aulam pro tempore deſtinare opus fuerit) parem Regni Magnatibus titulum & honorem, civibusque ſuis privilegia, quæ ſingulare erga Coronam Hiſpanicam meritum decorarent.

273. Pro anni coronide Leopoldi Cæſaris primogeniti Joſephi Rom. Regis coronationem Auguſtæ vindelicorum ſubjungo, quam præceſſit ſolemniſſima Caroli II. Regis Hiſpaniarum cum Maria Anna Palatina Neoburgica copulatio 28. Auguſti Neoburgi in templo Patrum Societatis Jeſu, in præſentia Cæſaris Leopoldi & Imperatricis Eleonoræ, Regis Joſephi, Eleonoræ Reginæ Poloniæ, multorumque Principum, paranympho & pronubo Caroli regis legato Borgomainero, per Epiſcopi Auguſtani Coadjutorem Alexandrum (qui eodem mane Sacrificio miſſæ primitiaverat) hora 9. veſpertina eſt peracta, & regali epulo, tormentorum applauſu, & cunctorum lætitiâ eſt celebrata. Inde longo terrâ marique itinere ad portum tandem Brigantinum in Gallicia claſſe Anglo-Batavica centum ferme navium appulit. Ei Valliſoletum uſque Carolus grandi aulicorum numero ſtipatus occurrit nonas Maji, conſummavitque inibi conjugium, inde regali pompâ deducta eſt Madritum. Cæſar autem tendens Friedbergam apud filiam Electricem Bavaricam manſit uſque 31. Auguſti, quo Auguſtam Vindelicorum profectus debito ad horam 6. veſpertinam honore

Nuptiæ Caroli II. Hiſp. Reg. cum Palatina.

more & reverentiâ excipitur. Sequentibus etiam mensibus eodem advenêre Rom. Imperii Principes Electores personaliter, Anselmus Franciscus archiepiscopus Moguntinus, Joannes Hugo archiepiscopus Trevirensis: Joseph Clemens Archiepiscopus Coloniensis, Maximilianus Emmanuel Dux & Elector Bavariæ, Philippus Wilhelmus Dux & Elector Palatinus; Per legatos vero comparuere nomine Joannis Georgii III. Ducis & Electoris Saxoniæ Nicolaus Baro de Gersdorff, Otto Henricus de Friesen, & Comes de Zinzendorff. Nomine Friderici III. Marchionis & Electoris Brandeburgici Silvester Jacobus Baro de Danckelman, & Nicolaus Bartholomæus Baro de Danckelman. Cum his Leopoldus Cæsar multa de Imperii Rom. statu & securitate conferens, decima demum mensis Decembris, urgentem comitiorum causam præsentissimum esse Romani Imperii periculum publice proponit, à Rege Galliæ Ludovico XIV. inopinato & crudeli bello intentatum, quo publicam non modò fidem, jus gentium & naturale perfidè violat; sed sine ulla etiam causa Rom. Imperium eo maximè invadit tempore, quo Cæsaris & Rom. Imperii exercitus à Rheni tractu ultra ducenta milliaria gravissimo bello turcico fuit implicatus; adeoque libertimè nullo contranitente celeberrimas & antiquissimas Germaniæ urbes, Divorum templa, Imperatorum ac Principum sepulchra supra immanem tyrannorum crudelitatem passim expilat, incendit, devastat, & funditus evertit: cujus diræ immanitati ut Cæsar pessulum objiceret, ex plena victoriarum

Coronatio Imperatricis & Josephi Reg. Rom.

Urgentes coronationis causæ.

Gallorũ molimina in Imperiũ Rom.

messe partem sui exercitûs in Romanum dimisit imperium, quo totas interim hostis jurati provincias & regna potuisset subjugare. Sed quia grandi potentiâ suâ per insatiabilem universalis monarchiæ ambitionem abs primo regiminis sui principio usque huc omni studio, arte, fraude & perfidiâ, per fas & nefas quæsitæ, Romani Imperii coronam aut coactâ electione, aut cruentâ armorum violentiâ rapere, & ab Austriaca, in Borbonicam transferre domum & familiam moliatur; nec ab isto unquam molimine destituturus, adeoque universalis Europæ pax & quies eousque non speranda, ut ex eo manifestè patet, quòd vix 1679. pacto Noviomagensis pacis fœdere miles vix esset ex parte exauctoratus, mox fœdifragus plures in Germania civitates occupaverit: Hungaros in legitimum Regem perfidè conspirantes foverit, incitaverit, ære, milite ac consilio adjuverit & promoverit; immensam barbarorum Turcarum potentiam in Cæsaris cervicem, Viennam 1683. obsidendo, Austriam, Moraviam, & Hungariam depopulando hac spe & impulsu immiserit, ut si hac Cæsar oppressus, devictus, & ad incitas redactus esset, Gallorũ suppetias rogando, Ludovicus XIV. Austriæ viscera penetrando, & inradicando, opportunè Romanum dolose occuparet Imperium, ideoque negotiatam Constantinopoli ab Alberto Caprara Comite Armistitii prorogationem interruperit; contractum cum Polonis advertus Turcas fœdus impedire voluerit: nova in Imperio Rom. munimenta & munitiones contra pacta

&

& fœdera extruxerit, quatuor ad Rheni tractum electoratus oppresserit, & ipsum adeo filium suum Ludovicum XV. delphinum in Romanorum Regem assumendum non veritus fuerit arrogare. O tumultuosam sibi & aliis ambitionem! Intolerabili huic & fastuosæ Regis ambitioni ut decedente Cæsare in tempore occurratur, de novo Imperii Rom. successore & capite providere omnino est necessarium. Et quia Austriaca hactenus clementia Rom. Rempublicam per trina fermè secula pacificè, & cum laudabili Principum concordia piè semper & justè administraverit, Cæsar filium suum hæreditarium Josephum, coronatum modò Hungariæ Regem Electoribus commendatum voluit; cujus verò minorennitatem (duodecimum ætatis annum 26. Julii proximi 1690. anni est adepturus) Cæsaris tamdiu supplebit sapientia, auctoritas, & sedula regiminis institutio: quem divina queque bonitas imperterriti, honesti & pacifici animi donis, aliisque excellentibus naturæ talentis felix faustumque regimen spondentibus exornavit, ut majorum antecessorum suorum vestigiis inhæsurus neutiquam dubitetur: quorum etiam regnis, provinciis, & ducatibus adeò amplè est ditatus, ut Romano Imperio, contra juratum Christianitatis hostem antemurale, adversusque alios hostes firmissimo semper possint esse adjumento.

DECADIS
QUARTÆ
Annus 1690.

274 Lectores Cæsaris inclinati voto, uti unanimi omnium consensu Josephum in Regem Romanorum eligerunt, sic summâ aliorum invidiâ, qui tot bella & machinas ab annis benè multis intexere videbantur, ut hanc electionem prævverterent. 24. Januarii hujus sequentis anni 1690. electionis diem decreverunt; quam tamen solemnissima Augustæ Imperatricis Eleonoræ Magdalenæ Theresiæ coronatio 19. ejusdem mensis præcedebat, eamque in Augustanæ B. Mariæ V. metropolitana Elector Anselmus Franciscus Archiepiscopus Moguntinus in præsentia Augusti Cæsaris Leopoldi in habitu imperiali, totiusque Electoralis collegii, ac viginti in pontificali habitu Abbatum imperialium consueto solemniter ritu perfecit. Nam ante summum altare inter litaniarum decantationem Augusta in terram inclinata, post illas surgens ab Anselmo Archiepiscopo brachium ejus dexterum, & inter scapulas sacro in modum crucis oleo inungitur; quo in sacrario reverenter absterso, ad altare reducta & genuflexa ab eodem Moguntino, Trevirensi & Coloniensi archiepiscopis simultaneè

Actus coronationis Augustæ

est coronata, sceptro deinde & pomo imperiali donata. Solemnitatem clausit dapsile & regale in Augustana curia convivium, quam 24. Januarii in templo S. Udalrici excepit in Romanorum Regem electio Josephi I. Regis Ungarorum, ejusdemque splendissima in Augustana B.Mariæ V. metropolitana Coronatio ab eodem Moguntino Electore Anselmo 26. Jan. quintuplici unctione in vertice capitis, cervice, inter scapulas, in pectore & dextero brachio inaugurata est, cujus coronationis symbolum argenteo impressum nummo, erat sub sole gladius lauro circumvolutus, cum hac epigraphe: *Amore & timore.* Hisce incredibili jubilo, epulo, & congratulatione finitis, Cæsar Augustâ Vindelicorum abiens quartâ mensis Februarii, ab Electore Bavaro Monachii illustri splendore excipitur, & festivis ludis equestribus, comœdiis, aliisque ludicris oblectationibus recreatur; tertiâ demum martii Tulno secundo danubio digressus, quartâ ejusdem Viennam attingens splendidissimo apparatu, ambo, Cæsar & Romanorum Rex equites, Imperatrix lecticâ, inter tormentorum & civium applausum urbem ingrediuntur, ignibus & lucernis jovialibus splendescentem, rubrum etiam & album vinum ex Pegaso in seram usque noctem liberaliter effundentem.

Et Josephi Regis Rom.

Cæsar Monachii excipitur splendide.

275. Turcæ amissâ Serviâ exulcerati, Tetovam & Cumanovam ignibus per Tartaros barbare depopulantur, ferebatque rumor Tartarorum Chamum, & ejusdem filium contractis haud procul Scopia copiis turcicis 20000. superatoque Danubio fatalem in Cæsareanos meditari

Tartarorum depopulationes.

ditari invasionem. Quare Dux Holsatiæ Bosniæ limites visitare, aditus, viasque concædibus oppessulare, & cuncta in generosam parando defensionem, tribunum Strasserum, qui Nissæ vices strategi Comitis Veterani absentis agebat, invocat, qui Pristinam advolans, vidensque regionem illam à Tartaris per avia deviaque perruptis ferro flammâque vastari, captis eorum aliquot in fugam conjicit, & Holsatiæ ducem accedit ex ægra valetudine lecto affixum. Hic copiarum suarum potestatem Strassero tribuens mandat haud procul Pristina securiore pedem figere loco, hostium invigilare consiliis, & Piccolomineam expectare legionem, ante ejus adventum hostem lacessere, aggredive omninò prohibet. Strasserus prædictæ legionis traditate impatiens, rusticorum fraude & variato per exploratores hostium numero deceptus, dum præceps nimiùm Calendis Januarii 1690. Kazianecum movet in hostem, ab illo multitudine (30000. referebantur) circumdatus, in summas cogitur angustias, in quibus adeo pertinaci duabus horis cum hoste conflixère fortitudine, donec exhausto pulvere, deficientibusque corporis viribus ad internecionem sint deleti, paucis fugâ elapsis. Periêre germanicæ legiones Holsatica, Hanoverana & Styrumica numero 2241. cum 4. tormentis, signis, tribunis & officialibus omnibus Strassero, Gronsfeldio, Collonitschio, & Carolo Duce Hanoverano, ob familiæ excellentiam Solimanno Byzantium transmisso, qui suâ manu quartum insultus equum hostium decem occidit; malueruntque omnes

Strasserus cum tribus legionibus internecive à Tartaro æditur.

ge-

generosam subire mortem, quàm servitutem morte turpiorem: neque inultam oppetière mortem, sed casu suo hostium etiam quinque oppressere millia. Altera post infaustam hanc stragem die adest loco sibi designato Piccolominea legio, easdem Tartarorum offendens insidias, nullamque elabendi viam perspiciens ad paludis pontem hostilem fortiter furorem ad usque noctis tenebras, excipit; cujus beneficio tandem elapsa, Pristinam militari vacuam defensione contendit, inde Nissam, quo etiam Holsatiæ Dux cum reliquis subitò contractis auffugerat copiis. Comes etiam Veteranus infelicis hujus certior factus stragis Nissam advolat, hostilem omni conatu impetum aversurus, qui totam latè regionem igne & ferro crudeliter vastans Kazanecum deditione intercipit, germanicumque 150. armatorum præsidium [mactatis dirè indigeuis] cum Starrenbergo centurione Nissam liberè demittit: cui Hanoveranus dimachorum centurio Wildenhan cum 200 aliis Strasserianæ cædi feliciter subtractis in via se conjunxerat.

Turcæ Kazanecum occupant, & depopulantur Albaniam &c.

His actis Tartarorum Chamus Moscorum metu domum revocatus cum 12000. Walachiam transiens, hybernantibus ibidem Cæsareanis insidiabatur; sed Hâuslerus maturè eosdem in Transilvaniam ad tutiora modò reduxerat: reliquæ verò Tartarorum copiæ mensibus aliquot Albaniam, Cossavam & Bulgariam, exceptis Pristinâ, Prisserano & Peckiâ, barbarè sunt depopulati. Veteranus igitur supremum Rascianorum Capitaneum Antonium Nissæ tum

temporis ob grassantem barbarorum multitudinem cum suis consistentem mittit Cossavam, ut dispersos trepidatione Albanenses suâ cunctis admodùm acceptâ animaret præsentiâ, & in devotam Cæsaris reduceret fidem, confirmaretque. Vix pedem intulerat Antonius, & potior Albanensium pars Rascianos accedens, hostiles haud ægrè propulsant invasiones, pluriumque indies accessu crescentes ultra Sophiam iterato excurrunt, divite quandoque prædâ ditati: eorumque tria millia & ducenti Germani Baniam tumultuariè invadunt, Bassam cum 4000. Turcarum ejiciunt, ter mille in auro ducatos, eidem pridie à Vezirio submissos, 500 equos, prædamque capiunt haud ignobilem. Töckelius è contra haud procul Nicopoli magnas Turcarum & Tartarorum colligebat vires, & in Danubio militarem sub Talasso Mezzomorto classem, ad invadendum, ut credebatur, Widinum, Transilvaniæ & Walachiæ conterminum; sed hostili huic molimini impiger invigilans Veteranus, Widini sine intermissione urget fortificationem, succurrentibusque ex Transilvania copiis ad Fetislaviam castra designat; Erdodum verò Croatiæ Banum Savo approximare jubet, ne Sclavoniæ hostis & Croatiæ vim inferret. Porta interim Ottomannica omni laborat conatu clandestinas in imperio suo turbatorum factiones supprimere, utque novas caveret, cunctis imperii sui inhibet præfectis, ne ultra consuetum ab indigenis Christianis exigant tributum, factionum non raró incentivum: indefesso deinde studio supremus Vezirius Cuprolus rejectâ pace, & be-

Christiani Baniam capiunt.

Turcæ magis bellum quàm pacem desiderant.

& benignioris spe fortunæ, proximam terra marique urgebat expeditionem; sed exiguus erat militum delectus; cujus tamen defectum à Tartaris sperabat supplendum, eorundemque propterea Chamo grates Soldanus pro nupera Christianorum strage referebat, quam in majus Muselmannorum allectamentum per universum turcicum propalavit imperium. Hac sua, & Gallorum victoriis Legati turcici Viennæ insolentes non jam pacem petere, sed extorquere; nec quidquam restituere, sed amissa ex alcorani sui statuto repetere, Transilvaniamque sibi impudenter cedi exigebant, cæterosque amplius convenire legatos arroganter detrectabant: à Cæsare igitur disciſsis præter eorum opinionem pacis tractatibus abire jussi, suæ mox pœnitentes temeritatis, terroreque perculsi, 24 Januar. Viennâ debebant inviti discedere.

Hinc Viennâ discedere jussi.

Dira sub hæc Temeswarienses & Varadinenses arctè circumsepti fame deficientes, subsidium tamen à Tôckelio & Seraskiero per Transilvaniam [cujus princeps vi intrusus occultos Tartaris in illam aditus, & opportunum Germanos ibidem opprimendi tempus & locũ communicabat] sperantes, ultroneam omnino deditionem recusant; Canisienses verò à suis remotiores in hostico distantes, omni commeatûs & subsidii spe destitutos, interceptisque omnibus eorum literis & nuntiis Comes Buthianus scripto ad deditionem irritò invitat; sed pervicaces adhuc extremæ necessitatis suæ literas, & Czampum Hussainum ad supremum Vezirium ablegant; hunc deprehensum, & caput ejus di-

minutum

minutum Stephanus Czickius vice præfectus Jaurinensis, in prælongo hastili prope urbis portam hâc turcicâ subscriptione exposuit: Ecce Canisienses, tabellarius vester Czampus Hussainus nullum ab Ottomannica Porta subsidium impetrans, portam æternitatis est ingressus, auxilium à luna petiturus. Territi spectaculo præsidiarii, quòd omni aditu literas miseriarum suarum bajulas transmittendi, annonam subsidiumque recipiendi intercluso, inevitabili diræ mortis periculo essent expositi, eisdem quibus Agrienses, Alba-Regalenses, & Zigethenses conditionibus offerunt deditionem, quibus invicem in urbe pactis, & à Cæsare ratis subscriptisque 13. Aprilis Janizarorum Aga urbis claves sub porta tradit Buthiano, qui præfectum, primariosque Turcas lauto sub papilione excipit convivio, & paucis pòst diebus Legradum 600. eorum dimisit Dravo Turciam repetentes. Ingens ibidem repertus est bellicus apparatus, 11. ferrea & 50. ænea variæ magnitudinis bellica tormenta, variorum Rom. Imperatorum nominibus insignita. Urbs non magnitudine, sed robore præstans, Styriæ confinis inter Dravum, Muhram, Rabam & ad Salum seu Zaram, fluvios, altis & latis insita paludibus, ab Ursula Canisia proprietaria, Thomæ Nadasdi Palatini vidua cognominata, in Maximilianum per commutationem transscripta, annis 1571. 1574. & 1585. frustra à Turcis tentata; anno autem 1600. ab Ibrahimo Bassa immaturâ Paradeisi

Canisia deditur.

præ-

præfecti deditione [atque ideo capite diminuti] capta, aliquoties postmodùm frustrà à Christianis obsessa, hoc primùm anno recuperata, magno Cæsaris & finitimorum gaudio.

276. Quod insperata, & toti Romano Imperio acerbissima Caroli V. Ducis Lotharingiæ mors, eheu! funestavit: heros 50. annorum, tot victoriarum, urbiumque victor, Oenoponte Viennam ad generale bellicum abiturus consilium, levi primùm, sed subito Welsii superiore in Austria ingravescente catharro, non sine tamen veneni capillitio per cubicularium inserti suspicione, extinguitur 18. April. hujus anni 1690. pridie obitus æstmate privatus voce, quinque Principes ex Eleonora Maria Austriaca genitos ultimis propriæ manûs literis Cæsari commendans. Princeps prudentiâ, fortitudine animi, militarique scientiâ, in decretoriis præcipuè præliis nulli secundus; in quibusvis periculis animo imperterritus, consilio promptus, labore primus, miles simul & Imperator felicissimus, longiori vitâ, & gloriâ æviternâ dignissimus. Genuit ex Eleonora Maria Ferdinandi III. Imp. filia, & Leopoldi Imp. sorore Leopoldum Josephum Carolum 1679. 11. Septembr. qui in pace Risvicensi Lotharingiæ Ducatui 1697. restitutus, per Stutgardiam & Argentoratum (ubi regio fuit exceptus honore) in suas reversus ditiones, aliquamdiu Lunevillæ aulam suam habuit, duxitque conjugem Elisabetham Charlottam, filiam Philippi Ducis Aurelianensis: habuit fratres Josephum Joan. Antonium nat. 1680. 24. Novemb. Ferdinandum Joseph. nat.

Caroli D. Lotharing. mors.

nat. 1683. 17. Auguſt. Joſephum Ignatium in bello 1705. 25. Aug. occiſum, denique Carolum Joſeph. magnum Caſtillæ Priorem, Epiſcopum Olmucenſem, & Oſnabrugenſem, denique Archiepiſcopum Electorem Trevirenſem. *Vid. num.* 349. & 358.

Notatu hoc dignum, quòd horribilis tunc temporis in Gallia adhuc ſæviebat homines occultè intra certum menſem, certam diem & horam necandi modus & praxis nequiſſima, veneno ſcilicet, quod vocabant: Poudre de ſucceſſion. In hac diabolica arte mulier Brinvilliers præcellebat archiatra, quæ artis ſuæ doſim, ſeu experimentum in miſeris noſocomiorum ægrotis nequiter ſumebat, quibus ſub ficta eleëmoſynæ ſpecie ac fraude venenatum cibum aut potum propinabat certâ die & horâ crudeliter vitam eis adimentem; adeoque malum hoc ita ſenſim invaleſcebat, ut plures etiam illuſtres perimerentur perſonæ. Rex ut diabolicam hanc artem eradicaret, ſpecialem erexit judicialem cameram, la chambre ardente indigitatam: cujus ſententiâ prædicta mulier, ſeu infernalis furia publicè plexa eſt capite; venenata autem materia, ne in plurimorum ulteriùs necem ſerperet, in regiæ aulæ cuſtodiam eſt delata. Imo etiam in Germaniam hac arte translatâ Monachi ſuum enecarunt Prælatum. O Gallia! quàm horrendas in humani generis exterminium progeneras malorum & bellorum Medeas! Quid mirum, ſcribit quidam auctor (*in vita Ludovici XIV. parte 2.*) quòd ſubditi tam crudelia, nefandaque Regis ſui imitentur flagitia, qui tam ne-

nefandis, perfidis, omninóque illicitis hactenus gloriatur principiis, velut alter Cenodoxus universalem irritò venatus monarchiam.

Quatriduo ante, hoc est, 14. April. Albæ Juliæ inter comitia obiit etiam Michael Abaffius, Transilvaniæ Princeps, ex antiquissima & nobilissima Abaffa familia, Ottomannicæ plerumque Portæ non ingratus; ideoque non annuum modò minuit tributum, sed successorem etiam primogenitum ejus filium designavit, & ducalia contulit insignia, Cæsari ad extremum usque spiritum vix non furioso livore infensus, qui rebelles Ungaros, & hostes Turcas, quibus potuit auxiliis fovere non destitit, usque dum occupatâ per Ducem Lotharingiæ Transilvaniâ, grandia tributa solvere est coactus. Ne quid autem discordiarum inter Ordines & Primates in provinciæ oriretur detrimentum, Hâuslerus Cæsaris egregiè egit partes, & jus fortiter contra Tôckelium defendit, qui Gallici intercessione Legati collato sibi à Soldano Abaffium excludente principatu, omni eundem studio & arte occupare contendebat, cui perfidi consilio & auxilio favebant Walachi; ac imprimis Branckowejus Hâuslerum manibus Tôckelii traditurus deprehensus, vinculis innodatus Viennam transmittitur, quo Ordines etiam Transilvanici suam aliàs liberam novi Ducis electionem Cæsaris dispositioni offerebant, qui virtute recens pactorum Michaëlis filium unicum tredecim annorum sibi ante obitum commendatum instituit successorem, Transilvaniamque & annexas ditiones feudi loco contulit. Tôckelius jus suum à Sol-

Abaffii Transilvan. mors.

Galli favore Tôckelius ducatum ambit.

Cæsar Abaffii filium substituit.

à Soldano collatum dispersis ubique schedis & mandatis manifestans, moxque Seraskieri ope Ducatûs possessionem capturus, Widinum ad ripam Danubii, opportunum in Transilvaniam aditum obsidione cingit,&militaribus per Mezzomortum navibus 10. Jul. invadit: urbis præfectus traducto in arcem præsidio, postulatoque subsidio à Trautmansdorffio (qui Fetislaviæ cum X. millibus ad Novigradum destruendum castra metatur) strenuè ad 26. Jul. se defendebat, usque dum Trautmansdorffius adductis ad ripam Danubii tormentis in fugam hostem propellit: duplicato igitur Widini præsidio, firmatâque milite & tormentis Carolinâ, horâ infra Orsavam, insulâ, Jagodinam, ubi totus congregabatur exercitus, regreditur.

Töckelius Widinum frustra obsidet.

277. Interea, dum hæc fierent, in Sclavoniam & Bosniam Cæsareani excurrentes non exigua hostibus intulêre damna: Possegæ Præfectus 15. Februar. Tœnum noctu illapsus expilat, captosque eximit Christianos: inde Bagnialucam Bosniæ metropolim à Verbacio fluv. quadripartitam tumultuariè, duas ejusdem partes diripit, incendit, & insigni ditatus prædâ Trinum quoque occupat, expilatum incinerat, & ultra quater mille Christianis liberatis, Turcisque centenis aliquot captis. Centurio Schenckendorffius Pyroti præfectus circa Julium Czernicko oppido oppresso cum tribus pecorum millibus vix reversus, à supremo Vezirio 80. millium exercitu cinctus post quatriduanam defensionem ultroneam fecit deditionem, liberè Nissam traductus. Precopium mox Vezirius

Christiani in hosticã Sclavoniam irruunt.

op-

oppressurus, in aëra vibratum invenit, Antonio Rascianorum centurione per invia montium cum suis effugiente Crussawicium. Hic tumultuarius hostis adventus Viennam subitò delatus in campum vocat Ludovicum Badensem, in nupero bellico consilio designatum exercitûs Ungarici Archistrategum, cujus hucusque vices gerebat Comes Veteranus, cuncta ubique quantum licebat ad defensionem disponens, ter mille Germanos pedites, & 500. equites cum sufficienti commeatu, apparatuque bellico imponit Nissæ, cui in locum Comitis Jörgeri ægrotantis præficit Guidobaldum Starrenbergum, & Comitem Marsiglum machinatorem, ipse verò Jagodinam abit ad exercitum viribus undequaque auctum: Badensis autem invitus quodammodo & imminenti diffidens expeditioni tardior Viennæ commoratus, tandem Jagodinam sexto Idus Augusti venerat in castra, sufficiente milite, ut præviderat, haud satis instructa; ibidem audiens Nissam 13. Augusti à Vezirio 30. peditum, & 10. equitum millibus cingi obsidione, Widinum à Seraskiero decem millibus impugnari, & à Töckelio sexdecim millibus invadi Transylvaniam possidendam. Convocato properè bellico consilio, cum utrobique succurri non posset, relictis Nisâ & Widino, toti potius provinciæ ac Ducatui Transilvaniæ succurrendum decreverunt. Binis jam urbis Nissæ deditionem literis frustra postulaverat Vezirius, sed cum interioris fossæ murum (contrascarpe) jam occupasset, Starrenbergus deficientibus morbo tribunis, & quòd nulla spes subsidii superesset, ho-

Turcæ Nissam capiunt.

honestis urbem 8. Septembr. securè & militari modo discedendi tradit conditionibus.

Nissa necdum capta Töckelius interea justo 24. millium exercitu ex Ungaris rebellibus, Walachis, Turcis, Tartaris & Gallis confluxo Coronopolim versus in Transilvaniam tentans irruere, ab Hâuslero viribus licet impare (4. solùm germanicis legionibus equestribus non integris, & 5. Transilvanorum millibus valebat) ibidem impeditus & repulsus, alibi propè Peretzerum accessum perrumpit, frustra Germanis strenuè licet obnitentibus: & quia rustici per secretas montium vias & diverticula plures Tockelianas turmas introduxerant, Hauslerus hostium multitudine circumdatus opprimitur: pugnant leonum instar Germani, & initio etiam Transilvani; sed cæsis Telekio Transilvanorum & Pallizaino Walachorum (hic recens Cæsaris secutus partes.) archistrategis, fugâ sibi consulentes, reliquos vix 2500. Germanos destituerunt. Cecidêre Germanorum 1200. captus Marchio d' Oria, reliqui fugâ elapsi Hermanopolim: Comes Magni verò à rusticis Germanos ubique observantibus interemptus, aquis fuit immersus: & Hauslerus trajecto equo à Tartaris in fuga Coronopolim interceptus, cum Marchione d' Oria Tockelio donati in triumphum fuêre abducti. Post hæc gloriosâ usurus victoriâ Coronopolim, sed machinarum defectu, frustra tentat; præfectus urbis civibus postmodùm diffidens dum omne in arcem contrahit præsidium, Tockelius urbi milite destitutæ neutralitatem, usque dum totus ei subjiceretur

Töckelius Transilvaniâ invadit.

Hâuslerus à Töckelio cæditur & captivatur.

Duca-

Ducatus, permittit, ad quod omnem circumquaque provinciam minis sollicitabat & blanditiis. Abaffius è contra, & Transilvaniæ Ordines hâc quidem strage territi, indictis Claudiopoli comitiis, Cæsari patriæ periculum denuntiantes, subsidium efflagitant, suamque confirmantes fidem, strenuam patriæ contra Tôckelium sagum induturi, promittunt defensionem. Transilvani Cæsari fideles.

Porto Badensis cum potioribus copiis 4. Septembr. haud procul Semendria Danubium trajiciens in Transilvaniam contendit, & reliquas Aspermontio committit legiones conservandi Semendriam, Cæsareanis, ut sperabat, refugium, si fortè Transilvanorum perfidiâ expellerentur. Aspermontius igitur protribunum Weingartlerum cum 400. peditibus Semendriæ fortiter defendendæ immittit, ipse cum legionibus aliquot subit Belgradum, omni fermè bellico apparatu, & munitione destitutum, & ad loci defensionem viduatum; ruinæ enim murorum ante triennium à Bavaro factæ necdum erant reparatæ: potissimus etiam apparatus ad conservandam Nissam inde deportatus in hostium postea cum 108. machinis muralibus venit potestatem: qui captâ, ut dixi, Nissâ Semendriam aggressi, iteratis insultibus ad ultroneam Weingartlerum coëgerunt deditionem; dumque de conditionibus pacisceretur, Turcæ in altera urbis parte aquam collo tenus tranantes, & turrim aquariam transcendentes tumultuariè urbem occupant, omnesque præsidiarios Germanos 500., totidemque nationales occidunt. Ramm- & Colum-bacenses præsidiarii de- Turcæ Semendriam & Widinũ occupant.

 stru-

structis noctu oppidis Orsavam fugerunt, quemadmodum Ralitschenses & Widini post tri- aut quatriduanam propugnationem se ultra necessitatem tradentes, Orsavam quoque concesserunt: quam Seraskierus frustra adortus, Temeswarium, Giulam & Varadinum longinquâ cogitat liberare obsidione.

Badensis succurrit Transilvaniæ

Badensis Karansebæ 8. Septembr. Capratâ, Crojanâ & Herbevillanâ legionibus confirmatus, magnis in Transilvaniam passibus adveniens, Portam ferream, arctum ejusdem aditum lignis concædibus & milite opportuno adhuc tempore communit, quo eundem Petrozzius Tockelianus præoccupare copiis seriùs adventabat. Badensis autem ut Walachiæ Ducem Tockelio adhærentem divelleret, supremum Rascianorum capitaneum Antonium manu & consilio strenuum cum aliquot Rascianorum legionibus, & Orsaviensibus præsidiariis Walachiã jubet infestare, dum Tockelius militares ubique ab Hermanopoli usque Coronopolim exactiones minis terroreque extorqueret, & comitia 18. Septemb. Albæ Juliæ Ordinibus indiceret. Abaffius è contra Claudiopolim status convocat; quibus, neglecto Tockelio, de patriæ salute seriò consulentibus, certum Cæsaris adesse subsidium persuadens, in ejusdem fidei constantia confirmat. Jamque Badensis Hermanopolim promoverat exercitum, relictoque in præsidiis peditatu & impedimentis, cum equitatu insequitur Tockelium nullibi consistentem, & dilabentibus ab eo Turcis, Tartaris & Walachis trepidè in Walachiam aufugientem. Tum ut re-

Expellit Tockelium.

reditum oppessulatet, omnes è Walachia in Transilvaniam accessus obstruit, silvamque ab indigenis per tria milliaria concædibus munire imperat, atque ita ad Claudiopolitana profectus comitia, dynastarum Tockelio adhærentium bona fisco voluit adjudicari, & Medwischenses, Schosburgensesque annonam & necessaria eidem subministrantes, carcerum pœnis subjici: Ordinum denique consensu præter admissum jam peditatum septem germanicorum equitum legiones in provinciæ præsidium & defensionem sunt distributæ.

278. Quàm hic prosperè, tam in Servia infeliciter res Christiano-Cæsarea agebatur: nam Aspermontius Belgrado metuens, illud pro temporis brevitate communire, bellico instruere apparatu, & roborare milite 4. Germanorum millibus, legionibus scil. veteranis Salmensi, Aversperg ensi, Palffica, Welsbergensi, Herbersteiniana, Jôrgerica, Archintica & Aspermontica. His vix peractis eo convolant 20. Tartarorum millia circumquaque cuncta cæde & igne pessumdantes, & 1. Octobr. supremus ipse Vezirius Mustapha Kiuperli cum 40. millium peditatu urbem muris necdum reparatam circumvallat; fortissimè nihilominus irritis pluries hostium insultibus Aspermontius propugnat; sed occupatâ insulâ Orsovâ hostilis pyrobolus octava Octobr. [quo Dux Crojus, designatus à Cæsare urbis præfectus eam penetraverat, dum ejusdem lustratæ statum, munitionem & præsidiariorum numerum Cæsari literis significaturus scriberet] turrim pulverariam accendens, murum

Turcæ Belgradum circumvallant.

murum castrensem, arcem, paratosque ad excubias 1100. milites in aggeribus, vallis & foveis defensores, multosque etiam impugnatores Turcas, immo & in navibus adeo nautas horribiliter opprimit, & ingentem hominum edit stragem: paulò pòst pulveris nitrati 3000. centenariorum fornices prædictâ concussione divulsi, concepto pyrobolorum igne, quod reliquum urbis erat, funditus eversum, & tria præsidiariorum millia oppressa. Subsidente paulatim pulvere & fumo, Turcæ per patentes ubique murorum ruinas urbem involantes perimunt & trucidant læsos & ambustos omnes. Vix Crojus, Archintus, Aspermontius, & pauci alii naviculâ Petrowardinum & Titulium elapsi, fortissimæ & veteranæ octo legiones aut contritæ, aut combustæ, aut mactatæ, aut oneratis nimium navibus cum tribuno Herbersteinio, & vigiliarum præfecto Kesselstadio, Electoris Trevirensis nepote submersæ: tribuni verò Welsbergus, Gôrtzius, Sommerfeldus, protribunus Pacius, vigiliarum præfectus Pezzius & omnes centuriones & succenturiones &c. interempti sunt: tota etiam civitas ita desolata & funditus est eversa, ut propugnacula, & curules ultra 100. machinæ, valloque omnia nulli fuerint usui aut defensioni. Ea quidem eversio ab hostili passim pyrobolo causata; sed non sine verisimili suspicione occultos nefanda & proditoria nequitiâ ignes injecisse Gallos, qui Philippopoli in Germania ad Cæsareanos studio, vel conniventibus tribunis in Ungariam transfugi, eodem incendii die ex urbe desertores ad Turcas transierant.

Igne eversum occupant.

Galli suspicantur incendiarii Belgradi.

Maxi-

maximè autem Cæsar tot veteranorum militum stragem & ruinam deplorabat, elapsis solummodò sexcentis.

Ulteriùs avertendo periculum Crojus extractâ tumultuariè Walcowario, Petrowardino, Illoco, Sabacio, aliisque Turcarum periculo expositis oppidis præsidia 1500. Esseckо imponit; exigui quidem munimenti, sed non exigui momenti transitum Dravi omni conservaturus conamine. Husainus autem Bassa (alii Mustapham Bosniæ præfectum fuisse ajunt) cum 15. Turcarum millibus illud occupare jussus, 30. Octobr. neglectâ circumvallationis lineâ, cœco & furioso invadit impetu, nullo aggere, solis sudibus munitum; sed præsidiariorum virtute rejectus, 3. Novembr. bellicis acriter machinis flagellat, & ex fossis castrensibus sine intermissione grandinat, non sine Croji, hostiles operas explorantis periculo, quem Turcæ observantes pileum, fictumque capillitium globo strinxerunt; biduo autem pòst præsidiarii mille equites & 300. pedites excurrentes castrensibus eos non solùm ejecerunt fossis, & everterunt; sed quinque etiam vexilla, variaque arma, cæsis eorum 300. retulerunt. Eo hostis actus furore, cùm vix 15. passibus vallaribus abesset sudibus, decretorium videbatur impetum parare: ad quem fortiter excipiendum se strenuè Guid. Starrenbergus accingebat. Sub hæc tres capti Turcæ interrogati, cur tam cœco Husainus furore & impetu urgeret obsidionem? responderunt, famam passim in eorum castris circumferri, magnum Christianis sub Buthiano advolare succursum. Hic Crojus utendum stratagemate, illum nocte jubet

Crojus Esseckū Turcis resistendo conservat.

quadringentos equites laxatis & tardis passibus à Dravi litore Essecum per pontem progredi, sub variato tubarum tympanorumque sonitu multiplici, quibus alii tympanistæ obviam occurrentes, fistulis & tympanis ingentem peditum & dimacharum numerum cùm præsentem, tum adventantem fingebant, quo hostis deceptus sequenti nocte convasatis impedimentis ad castra, relicto Essecko reversus, magnâ in Bosniam celeritate effugit. Die altero inscius horum Crojus, ubi hostium fugam intelligit, illum insequi jubet; sed præcipitanter elapsus in castris suis 4. bellica tormenta, 2. mortaria, & ingentem bellicum dereliquit apparatum, à præsidiariis in munimentum singulari gaudio traductum: nam genu tenus aquis paludibusque inhærentes multo labore & difficultate vix oppidum conservassent, nisi Crojus certô ad vesperum stipendio, per diem verò carnis librâ & vini amphorâ singulos recreasset, animassetque in pugnam pedites ad mortis pericula paratissimos. Atque ita destructis hostium viis castrensibus Crojus Guid. Starrenbergum loco præficiens Viennam discedit, ei de loci conservatione gratulantem, quem tamen Cæsaris imperio ob infirmitatem, & amittendæ militiæ periculum in aërem evibrare debuisset; Bassa autem fugiens laqueum incurrit.

Turcæ Lippam invadunt & Transilvaniam.

Turcæ tentato frustra Essecko, credebantur Karansebem & Lugos aggressuri, haud satis munitas, quare præsidiarii illis sponte desertis in Transylvaniam profugiunt, & Turcæ Lippam invadunt, postque 9. dierum obsidionem ex annonæ defectu per ultroneam occupant de-

deditionem, dimissis libere militari more 1400. præsidiariis: inde S. Jobi traditionem exigentibus, generose est denegata, neque aggredi ausi, sed cuncta cis Tibiscum ferro & flammâ devastantibus dum Badensis Generalem Nigrellum quatuor legionibus confirmatum opposuisset, Claudiopolim in Transilvaniam iter mutaverunt, quam Töckelius etiam Turcarum auxilio auctus prope Coronopolim perrupturus, sistitur à General. Veterano ibidem invigilante, insequenteque mox Badensi Turcas, illi sublatis prope Claudiopolim castris per montium avia Temeswarium usque fugantur; & Töckelius undequaque cinctus, in Walachiam adhuc patulam reverti, & fugere cogitur, certaminis aleam tentare non ausus. Atque ita Vezirius Varadino & Temeswario sufficiente commeatu, præsidio, & bellico apparatu communitis, ulteriorem hic victoriarum cursum, Deo sic disponente sistit: Viennenses enim jam tum Hannibalem ante portam metuentes, fugam non immeritò meditabantur, quòd occupatæ recentes urbes & munimenta murorum adhuc robore, præsidio, commeatu & apparatu essent destituta, & haud difficilis in Austriam hosti daretur regressus. Anno jam pene evoluto miles uterque ad desiderata suspirabat hyberna, Veziriusque Belgrado restaurando imposuit 8. præsidiariorum millia, qui iteratis passim excursionibus Christianos adeo infestabant, ut desertâ Gradiscâ & incineratâ Possegâ Velickam auffugerint, coactique Orsavam, & infra oppidum Carolinam insulam pactâ incolumitate ul-

Quos insecutus Badensis expellit.

Viennæ metus ob captũ Belgradum.

tronecè tradere; sed captâ Turcæ cum 28. tormentis insula & urbe, præfectum, octogentosque præsidiarios cum liberis & uxoribus Belgradum perfidè traductos vinculis, & crudeli servituti manciparunt.

Veneti Epidaurum &c. intercipiunt, & classem turcicam fugant.

Prosper hic turcicæ expeditionis exitus ad majora Muselmannos excitabat proximè tentanda: nam licet Veneti post 17. mensibus obsidionem 20. Augusti Neapolim di Malvasia, seu Epidaurum, (totius jam Moreæ, seu Peloponesi possessores) dein Caninam & Valonam Turcis hoc eodem anno per Cornarum eripuissent, (qui paulo post Valonæ est mortuus) classemquem turcicam fatiscentibus tribus militaribus, & unâ prætoriâ navibus per Delfinum in turpem egissent fugam, his alto præteritis silentio, obtentas in Ungaria victorias magna ubique per imperium divulgabant jactantiâ, ut majori Ottomannos promptitudine ad proximam expeditionem, & necessarios belli sumptus, rejecto pacis studio allicerent. Id quod maxime promovebat gallus ad Portam Ottomannicam legatus Chasteauneufus: neve Sultanus Angliæ Regis Wilhelmi legatum Adrianopolim pacis promovendæ causa ablegandum, negatâ liberi commeatûs tesserâ admitteret, neve Regem, sed Auriacum, seu Orangiæ solùm principem agnosceret, admitteretque: verùm studia ejus expectationi suæ non responderunt.

Gallorũ molimina.

Badensis laus.

279. Badensis interea designatis militi hybernis, cunctisque necessariis ad vigorosam defensionem conservationemque Transilvaniæ dispositis, Viennam ad militare contendit consilium;

lium; ubi benevole à Cæſare exceptus & laudatus eſt, quòd Tranſilvaniæ Ducatum præſentisſimis expoſitum periculis tam prudenter paternéque tam exiguo copiarum numero eripuerit; nihilo tamen minus ſequentis ille expeditionis Ungariæ dux eſſe recuſabat, ob inſolentem Ungarorum & Tranſilvanorum aliquorum perfidiam; verùm quia ille hoſtium erat ubique terror, celebris ubique regni aſſertor, totiusque regni ac provinciarum illarum habebat notitiam, Cæſaris inſtantiâ archiſtrategi ſe magiſtratu non potuit abdicare; ſed ad feliciorem omni ſtudio & ſollicitudine cuncta conferebantur expeditionem, qualem ſibi etiam Veneti ex proſpera Butrinti in Epiro per Architalaſſum Dominicum Mocenigum occupatione pollicebantur. Nihilominus ſperabant Turcæ, nec deſides in hybernis otiabantur, ſed ubique Chriſtianos, non ſemper tamen feliciter, infeſtabant: præfectus Temeswarienſis advocatis ad ſe Walachis & Tartaris viam in Tranſilvaniam præparaturus Maroſchium fl. tranſire moliebatur; Bolandus conſilii conſcius dum advenientes cædit Walachos, eorumque impedit conjunctionem, tentat Temeswarinus Baſſa Caranſebem, jam ante à Bolando 300. Raſcianis, & majoris ſpe ſuccursûs confirmatam. Adeſt hic etiam opportuno Bolandus tempore, & diſpoſitis altiori loco campeſtribus aliquot tormentis, copioſiorem in valliculo militem fingens, hoſtem feliciter cæſis, vulneratiſque pluribus ab urbe repellit. Eâdem Raſciani fortunâ emiſſariam Turcarum turmam haud procul Illoco proſtravêre, captis

Veneti Butrintum Epiri capiunt.

Bolandus Turcas à Tranſilvania arcet & Caranſebem liberat.

3. ſignis

3. signis equestribus, quorum unum in fortitudinis & fidei testimonium, mille præterea gentis suæ viros in militare Cæsari offerunt servitium, necessarius modò eis commeatus suppeditaretur. Majora spondebant Ordines Transilvanici, qui provinciæ regimen sub Cæsaris protectione deferentes, Abaffii filio minorenni, cum ejusdem Cæsaris approbatione, addiderunt aulæ præfectum Georgium Bethlemum supremum archistrategum, Cancellarium Nicolaum Bethlemum, Stephannm Aporem thesaurarium, Consiliarios denique Julavium & Reresteschium; spondebantque annuè bello durante ducenta florenorum millia, totidemque in frumentis persolvere.

Transilvani fidem Cæsari confirmant.

Dum hæc fierent, Solimannus III. magnus Soldanus relictâ Adrianopoli Constantinopolim prosperâ hujus anni expeditione elatus solemni pompâ ingreditur: vexilla enim in Transilvania Serviaque capta triumphali currui, in quo auro & gemmis fulgebat Solimmannus, præferebantur, quem in aurea, seu ferreis deauratis cratibus obstricta rheda præcedebat Mahomet IV. cum duobus filiis aureâ captivitate vinculatus: pone autem sequebantur supremus Vezirius Kuperglus & 7. alii Bassæ, Divani consiliarii, cum innumeris præfectis, satrapis & aulicis, pretioso omnes splendore arroganter fulgentes, totaque effuso gaudio civitas ignibus, clamoreque Solimanno imperii Ottomannici assertori applaudebat. Hunc arrogantiæ applausum gallicus secundabat legatus Chasteauneusus,

Solimâni III. triumphus Côstantinopoli

neusus, qui festivo simili triumpho Regis sui Ludovici XIV. contra Germanos, Hispanos, Anglos, Sabaudos, & Batavos confœderatos obtentas celebravit victorias, facibus, ignibus & epulis fastuosas. *Vid. num.* 288.

280. Præclarè ædepol Gallorum in Germania inter inermes rusticos egere incendiarios! nam initio statim anni Wormatiam non jam urbem sed lapidum congeriem repetentes, reliqua, si quæ adhuc supererant rudera, incendunt & funditus evertunt, homines crudeliter tractant, expilant, & sub pœna mortis eisdem imperant intra triduum locum deserere, & desolatum relinquere. Melacus primarius incendiariorum ductor circa idem tempus in ditione Monasteriensi Eiffliæ 25. oppida & vicos vel totaliter, vel ex parte flammis subjicit: eandem in Coloniensi & Juliacensi ducatu subierunt urnam plures pagi & oppida; reliqua etiam Franckendalii ædificia & rudera flammis consumunt, prætereo infinita busta, & incendia, quæ in territorio Trevirensi, Moguntinensi, Leodiensi, dorso canino, seu Hunnorum tractu, Belgio, & ubique locorum incendiarii isti ob contributionum moram (quas miseri homines aut flammis vastati, aut bonis spoliati, aut diris calamitatibus exhausti exolvere non potuerunt) inauditâ immanitate excitant; sæpe numero tamen etiam plures à subsessoribus, & ungaris deprehensi gravissimas dedere pœnas, aut quadripartiti, aut vivi flammis injecti, aut infami ligno sunt suspensi. Dicebatur tum temporis episcopum

Galli plura incinerant.

Au-

Hujus incinerationis Rex ab episcopo Aurelian. admonitus.

Aurelianensem in die cinerum Regi Ludovico, ejusdemque fratri & uxori subcalidos imposuisse cineres, quo regem offensum ita affatus dicitur: itane Rex subcalidos cineres sensibilis, & tam grandes cinerum montes in Germania, Palatinatu, Belgio & Coloniensi &c. per te accumulatos non sentis? quorum quotidie fumus oculos vestros perstringit. Cogitet obsecro majestas vestra, quantum tot miseri & innocentes homines sentiant dolorem, & calamitatibus perimantur, quorum bona, frumenta, domus, oppida, & totæ in cineres rediguntur civitates: ideo cineres hodie imposui, ut meminerit *quia pulvis es, & in pulverem reverteris.* Quo aliqualiter Rex motus, ad suum totus meditabundus divertit conclave, incendiariis interim suam ut ante depopulationem continuantibus. Arcem namque Leiningen irrito quidem primò tentarunt, sed cum mortariis aliquot revertentibus cessit tandem, præsidiariis 800. auffugientibus, in opimam vini & frumentorum prædam: excursiones deinde utriusque partis fuerunt frequentissimæ, fortunâque alternante nunc victi, nunc victores. Bis mille equites, & mille galli pedites haud procul Floreff munitionem cæsis 15. præsidiariis occupantes incauti, & magnâ confusione turbati ab Hispanis opprimuntur, cæsis, aut Sambri aquis suffocatis 400. Desolatum Manheimium incolæ quidam ad casas suas revertentes, cellas & tuguria immaniter rursus spoliantur, incenduntur, & captivi octo abducuntur. Sed proditio Slusii in Flandria, & Huy in territorio Leodiensi Gallis fuit utrobique fru-

stra

ftranea, complices capti, & exquisitis tormentis mactati. *Vid. num.* 292. 293.

281. Ceterum Calendis Junii Delphinus gallicus in Alsatiam veniens, lustratâ Landaviâ & Philippoli, partem exercitûs sui in territorium immittit Moguntinum, castraque Creutznachium inter & Sprenglingam metatus omnes circumquaque fruges depopulatur; at prætterquam gallorum plurimi Moguntiam transfugerint, 60. Ungari ipsa adeo castra penetrantes aliquot cæsis insignem rapuêre prædam. Cæsareus & imperialis etiam tum temporis Sinshemii convenit exercitus, quo cum aliquot Dunwaldus advolabat legionibus, & bavaricus rei tormentariæ præfectus Steinavius adveniens mox reliquas Cæsareas & bavaricas adfuturas legiones denuntiabat. *Vid. num. seq.* 282. In Ducatu quoque Namurcensi prope Floriacum concurrebat uterque tam gallicus sub Duce Luxemburgico, quàm Batavicus seu confœderatus exercitus sub Comite Waldeccio prælium utrimque tentaturi: hujus dexterum cornu moderabantur princeps Sarpontanus, hispanicus propræfectus Hubyus, & princeps Birckenfeldensis; sinistrum vero princeps Nassovius Frieslandiæ gubernator, generalis propræfectus Ayla, & Webenus; hoc sinistrum primò cornu vigoroso Galli impetu prima Julii adorti perrumpunt, & in confusionem adducunt; quod tumultuarie se recolligens iteratò Galli tam in capite quam in tergo impetunt repelluntque; his ex dextero cornu succurrens Hubyus gallos in latera quidem aggressus rejicit, & gallica aliquot obtinet tor-

Delphinus venit in Alsatiam

Luxemburgus cædit prope Floriacum confœderatos.

tormenta, sed illi viribus potiores dum novas continuò per 6. ad 7. horas succenturiabant copias & legiones, Batavi & confœderati cedere debuerunt Waldeccus, Ayla, & Webenus cum 9. legionibus Nivellam auffugerunt, quos quatuor aliæ legiones generosè hostium cuneos perrumpentes sunt secutæ, aliæ quoque cum Principe Nassovio Carolo-Regium se receperunt cum multis hostium vexillis & signis equestribus; relictis tamen ob equorum defectum tormentis suis; fuit autem cæsorum in hoc prælio major Gallorum vincentium numerus, major victorum fortitudo: Luxemburgus namque lustrato suo post pugnam exercitu supra viginti in eo millia vel cæde, vel fuga, vel saucia comperit defecisse, confirmaturque aliis probabiliter literis dexteram gallorum alam à Batavis & Hispanis in sexta velitatione in confusionem adeo adductam, & omnino profligatam, ut Luxemburgus fugientem circumvolans exercitum instaret, rogaret, urgeret per honorem Regis, per gloriam coronæ gallicæ, per salutem patriæ ut pedem sisterent, Regem omnes liberalissimè labores & sudores compensaturum; tantumque apud illos effecit, ut resumptis Galli animis & viribus Batavos jam totos prædæ confusè intentos iteratò aggressi in fugam conjecerint, fuerintque prælii victores. Sic *Mars & victum sæpe erigit, & affligit victorem Livius lib.* 28.

282. Alter Gallorum in superiore Germania sub Dauphino exercitus 45000. propius Moguntiam appropinquando fruges & omnia, ut supra dixi, depopulantur, emissitiæque turmæ de-

Excursiones prope

devastant; quarum unam septingentorum armatorum haud procul Oberohlen quingenti Moguntiæ præsidiarii Ungari & dimachæ noctu urbe emissi die altera 23. Julii furioso aggressi impetu 380. mactant, captisque 28. belli officialibus, 130. equis, & insigni prædâ onusti feliciter redeunt Moguntiam; inde Sintzemium cum reliquis eo destinatis agminibus tendunt ad exercitum; quo se etiam conferebat hæreditarius Saxoniæ princeps cum suis legionibus; ejusdem parens, elector Bavaricus, Princeps Hasso-Cassellanus aliique Duces & Strategi Eppenheimii de hujus anni expeditione collaturi conveniunt; Dauphinique in Ducatum Würtenburgensem irruptionem insigni suo 70000. exercitu impediunt: & quia Gallus omnem prælii aleam, interdum licet lacessitus, semper fugiens, nec vanè sibi metuens declinabat, vix quicquam scriptione dignum, nisi mutuæ alternante fortunâ excursiones hisce in partibus sunt peractæ, abeunteque Dauphino 21. Septemb. Parisios, utriusque partis miles ad hyberna discedit, quæ ita tamen Gallus disposuerat, ut intra triduum totus posset exercitus convenire. *Vid. num.* 292.

Moguntiam alternativæ.

Ceterum magnus in Germania factus est terræ motus hoc anno: in Styria & Carinthia quidem 4. Decemb. tantus, ut Clagenfurti & Villaci domus, templa ac monasteria corruerint, & homines oppresserint: in Austria, Helvetia, Saxonia, Suevia, Alsatia, uti & 18. Decemb. Coloniæ, Juliaci, Dusseldorpii & in vicinia non tantus fuit cum tanta hominum ædiumque ruina motus,

Magnus in Europa terræ motus.

motus, quantus 22. Decemb. in Italia fuit Anconæ & Arimini, ubi plurimas dejecit ædes & obruit homines, qui 1. Januar. anni sequentis repetitus ambas totaliter prostravit urbes cum ingenti mortaliũ strage & ruina. Sic in hujus anni principio in diversis ad inferum & superum mare provinciis, præsertim in Anglia, horrendæ ventorum tempestates maximo hominum, navium, ædium & arborum detrimento sunt exortæ: Parisiis sequana, Londini versus Tamesim fl. omnes fermè plateæ ruderibus, lapidibus & ruinis ædium replebantur, qui fluvii & aliquot alii in vicinas effusi terras, urbes integras & provincias inundarunt, ut Londini & Parisiis opus fuerit navigiis, ut plateæ & vici circuirentur. In solo Plimuthensi angliæ portu collisæ & confractæ sunt bellicæ 9. & onerariæ 30. absorptis in continenti oceano aliis innumeris, quarum fragmenta litora versus per longos regionis tractus sunt disjecta.

Et tempestates

283. Interea temporis in Hibernia Schombergus lustrato Charlemontii (Jacobi Regis præsidio adhuc muniti) robore, insignem ibidem equorum, jumentorum & ovium prædam, protribunus Berrius 1500. jumenta & ingentem ovium numerum, & alii alia magno licet insulæ detrimento, deprædati; Jacobi tamen factionem & sectatores omnino supprimere nequiverunt: & licet ad convellendam etiam Jacobi Regis auctoritatem Scotiæ proceres omnia ejusdem Regis sigilla velut irrita confregerint; illius tamen factio in Wilhelmum semper contumax, iteratis ejus sectatores vexabat detrimentis

Jacobi R. factio in Hibernia vix potuit supprimi.

tis & rapinis;in Anglia vero erat concors utriusque parlamenti harmonia, unde ad prosequendum contra Rebelles, ut vocabant, bellum, & in ordinem concordiamque reducendos, duos lib. Sterlingorum milliones Wilhelmo Regi in nervum bellicum decernendo consentiunt, qui ut hybernos tandem compesceret, ipse exercitum in eosdem se proximè ducturum appromittebat; ubi adeo dira non inter milites tantùm, sed in civitatibus etiam, ac imprimis Dublini grassabatur mortis sævities, ut civibus humandis corporibus vix dies sufficeret, viduataque urbs & desolata, ignibus à præsidiariis timebatur subjicienda, si forte hostes Angli adventarent. Jacobus tamen in hoc Hiberniæ regno præsens, spe illud unicum saltem retinendi, novum Dublini instituit parlamentum & urbium præfectos, licet exercitus ejus passim fugâ & mortalitate deficeret, & Wilhelmi factio propediem proficeret, quæ Schombergo Charlemontiũ arctè includenti omne subsidium, & sex armatorum millia promittebat. Hunc Jacobus ante Wilhelmi adventum aggressurus, ubi audit viribus superiorem, suum Newejo applicat exercitum, unde tamen illum Schombergus Wilhelmo adveniente rejecit, & Cavanum adoritur, quem Jacobus inde vicissim propulsurus, à tribuno Wolselejo præventus ipsemet repellitur: cumque Würtenburgensis princeps è Scotia Danicas, Brandenburgicam & Nassavicam legiones in Hyberniam duceret, Jacobus sibi metuens, militemque contrahens Dublino abit Carkagiam, gallicum ibidem 24. Martii lustraturus suc-

Jacobus R. Calviniano Dublini opprimit eorum merces tollit captivat, &c.

cursum. Tum Dublini omnes mercatorum, sectæ Calvinianæ, merces tollit, eorumque fana occludit, ipseque invigilat studiosissimè; immo primarii mercatores 500. tanquam obsides cum liberis & uxoribus in Galliam traducuntur, gallicusque miles multas Reformatorum ædes effreni diripit insolentiâ & violentia: meliores prætereа & validiores Jacobus maritimos Gallis portus, non sine Hybernorum murmuratione, permittit, qui & graviter de ablatis sibi mercibus pretio 205000. lib. Sterlingorum querebantur: has tamen Rex propediem se redditurum appromittebat, quamprimum pax & securitas fuerit subsecuta, longo vix tempore speranda; Jacobus namque lustrato suo 45000. exercitu Limmeracum roborat, & justam armorum urget expeditionem; Schombergus econtra ubique victor unum post alterum occupat locum: per tribunum Wolselegum 16. Aprilis arcem Villisandram, & paulo post Bellingaram deditione, ipse vero 22. Maji intercipit fame invicti roboris Charlemontium decem comitatus, plures celebres civitates & maritimos continens suo sub dominio portus maritimos; hoc igitur devicto ultra 20. in longum & latum milliaria sibi aditum in hyberniam patefecit; præsidium vero pactâ securitate militari honore dimittit. Ubi autem Jacobus Rex & Galli inaudierant novo proximè cum exercitu adfuturum in Hybernia Wilhelmum, omnes cadunt animo de Hybernia desperantes, plures deserunt civitates, Slegum, Dunkeranum, Ardee, & Tradagum, omniaque inde ad se-

Schombergus pro Wilhelmo R. ubique victor.

Charlemontiũ capiens viam sibi in Hiberniam aperit.

securiora deferunt: imo palam minabantur Galli Dublinum regni metropolim ignibus subjicere, quo cives nimiùm exacerbati revolutionem interminabantur, certo secuturam, nisi publico Jacobus mandato militibus sub capitis prohibuisset pœna.

284. Interea Wilhelmus summo utriusque domûs & parlamenti desiderio (quæ ingentem illi ad hanc expeditionem auri summam prompti assignaverant) urgeriter in Hyberniam, colligitur ex Anglia & Scotia miles, & illuc traducitur: Architalassus Herbert, seu Comes de Torrington cum Anglica Batavicæ classi conjunctus Gallorum observat motus, atque ita in comitatu Principum Daniæ, Darmstadiensis, Ormontii & plurium aliorum 23. Junii Bellasium in Hybernia magno Schombergi gaudio & congratulatione pervenit, ubi lustrato sine mora exercitu rectâ in Jacobum movet, prope Droghedam ad fluvium Boyne in acie triginta ad quadraginta circiter millibus consistentem, quem Wilhelmus ex editiore loco speculaturus, binis tormentorum explosionibus impetitus, Darmstadiensis à latere equus trajicitur, globus alter Wilhelmi latus leviter cum non exiguo totius exercitûs sui terrore perstringit: quo mox obligato eodem adhuc vespere Comitem Mainhardum Scombergum jubet cum aliquot equitum, dimacharum & peditum legionibus quatuor supra castra milliaribus fluvium transire, die altera 1. Julii dispositâ in ordinem acie per flumen exercitus totus, & pedites quidem brachio tenus tranando hostem invadunt, qui

Wilhelmus R. Hiberniam ingreditur

Wilhelmi periculum.

qui ignibus quidem illos per pyrobolarios arcebat, sed mox in confusionem adducti, repelluntur : Mainhardus interea Schombergus pleno impetu in Jacobi exercitum irruens perrumpit, turbat, & in fugam convertit, relictis Wilhelmo tormentis & impedimentis omnibus, cæsisque eorum plurimis ; quatuor ad quinque circiter millia Galli occidentem versus profugi, spe navibus traducendi, à persequentibus Anglis sunt interempti : Hybernis veniam petentibus Wilhelmus perdonavit. Anglorum pauci ceciderunt, quorum præcipui senior Dux Schombergus, & egregius heros Walcker. Jacobus II. Rex videns se oleum & operam omnem perdidisse, fugit Dublinum noctu horâ decimâ adveniens, apertis ibidem carceribus omnes captivos Protestantes seu Calvinianos libertati restituit, convocatisque belli ducibus & magistratui pro præstitâ sibi hactenus fidelitate gratias agens, suamque deplorans infelicitatem, ignotis vestibus quatuor comitatus sociis properavit in Galliam, quem Dux Berwickus, Fits James, Tirconellus & alii veniam à Wilhelmo desperantes eo sunt secuti : Comes Hamiltonus à Wilhelmo ad Jacobum profugus est captus. Wilhelmus autem Dublini reverenter exceptus inter tormentorum & campanarum applausum *Te Deum laudamus* intonuit, cui se ultroneè Drogheda, & aliæ passim urbes, totumque Hyberniæ regnum subjecerunt. Tum publicatâ amnestia, restitutisque privilegiis & libertatibus Ducem Ormontium regni constituit proregem, aliaque officia & magistratus ad regni con-

Schombergus prælio Jacobū R. vincit.

Victus Jacobus fugit in Galliam

Wilhelmus R. Hiberniam occupat.

servationem, concordiam & felicitatem dispo-nit.

Hæc terrâ in Hybernia felicia, mari fuêre infelicia, quando 10. Julii ambæ Gallica & Anglo-Batavica classes ad plagam Brachy acriter conflixêre: & quia Batavi primum ducebant navium agmen, omnem Gallorum impetum soli sustinebant, non succurrente, ex ventorum, ut prætendebat, defectu, aut fortè proditionis suspicione Herberto anglorum architalasso, nisi quod Dux de Graffton cum tribus Anglicis navibus Batavis associatus contra gallicam 82. navium classem in serum usque vesperum adeo generosè fortiterque pugnaverint, ut nitratus illis pulvis deficeret, ideoque magno suo detrimento & jactura victoriam Gallis cædere debuerint, quamvis Calenbergus & Schry prætoriam gallici architalassi Chateaurenault 100. tormentorum navem, & binas ejusdem socias ita perforarint, ut acie excedere sint coactæ, comes autem Torrington, seu Herbert, in Tamesim subtersugit: cujus certior facta Angliæ Regina, extemplo Comites Pembrochium & Devonshirum eo demitit, rei veritatem inquisituros, qui prædictum Herbertum cum aliis Londinum captivos adducunt, eoque deposito regina Ducem de Graffton archithalassum substituit, & 20. propediem militares parati jubet naves, quales etiam Londinum duodecim, præterea que mille equites & 500. dimachas suis auctorandos sumptibus ad patriæ offert conservationem: & quia gallica classis Caletum inter & Douvres (ubi mutuus tam in Angliam quam

Classis gallica anglicã prælio vincit.

Galliam commodior datur aditus) maritima Angliæ oberrabat loca, excensionem quasi tentatura, & jam triduo Hassingam tormentis, sed irritò flagellabat, fugam plures arripiunt, evocatáque est popularis militia, & Blackheadi castra decem armatorum millibus parabantur, in omnem occasionem tam contra Gallos, quàm factiosos turbatores expediendis, quorum jam multiComites aliique primarii vinculis innodabantur, & plures suspecti inquirebantur: Gallicæ interea classis expeditio quia frustranea, & à viginti armatorum millibus hinc inde repulsa, auctaque anglicana classis altum rursus conscenderat, Chateaurenault archithalassus gallicus revolat in Galliam.

Wilhelmus Limmericum frustra tentat.

In Hybernia porro Wilhelmi Regis miles Athlonam ignibus vexat, Wartesfortum deditione 4. Augusti capit, mox Limmericum obsidione Rex ipse cingit, præsidiariis fortiter urbem propugnantibus; jamque Angli impetu in urbem facto murorum ruinas obtinent, & urbi se ingerunt, sed ab internis recessibus per curules inde machinas abacti cedere coguntur; immo ob pluviosum aërem obsidio in arctam commutata est circumvallationem, cujus cura & imperio in Solmensem Comitem translato Wilhelmus

Londini triumphaliter excipitur.

Rex abiit Londinum, ubi 21. Septemb. ingenti hominum, tormentorum & campanarum applausu ovans inter triumphales portas excipitur, quarum una hanc gerebat inscriptionem: *Surrexit.* Ab uno latere galli digitos arrodentes capillos evellebant, & Rex Ludovicus retrospiciens ajebat; *Estne possibile* ? in altero latere Angli

de

de reditu Regis sui tripudiabant &c. Demùm Gallow-jum, Corckum & Kingsalium Regis se potestati subjiciunt, Limmericensibus adhuc in contumacia sua persistentibus. *Vid. num.* 294.

285. In Sabaudia Catinatus Regis sui Ludovici XIV. jussu duo diversis viis militum agmina in expulsos Galliâ Pedemontanos Vallenses coërcendos immittit, qui subjectos Regi Catholicos aliquot in captivitatem abduxerant: cujus quamprimum Vallenses facti certiores, priùs primum protribuni Paræ 400. agmen cædunt; paucas post horas etiam alterum de Brac, hic lethaliter vulneratus & captus, alter cum 8 Capitaneis & fermè quingentis gregariis occisus est, ne illos inter assueta montium & vallium concava, sed nonnisi in libero adoriretur campo. *Vide hic infrà.* Calviniani seu Vallenses Pedemont. Gallos cædunt.

Et quia Sabaudus Princeps in hoc per Europam bello indifferens erat, nullius adhuc partes secutus, seque vi ad Gallum ex hac exercitûs sui approximatione attrahendum metueret, vigilanter eos & cautius observans, validam Ducatûs sui parat defensionem: cumque Ludovicus Rex ex Grimani Abbatis Cæsaris ad Sabaudum ablegati præsentia fœdus inter illos sub incude versari suspicaretur, jubet in mense Junio Catinatum propius cum exercitu Turinum accedere, qui occupato Orbassanum inter & Avilianum Pado instrato ponte, Regis mandato minaciter Sabaudo significat, quia Dux cujusnam partes amplexurus sit huc usque subticuerit, nunc tandem intra 24. horarum spatium absolutè ad alterutram se partem resolvat: si gallicam? ad hu- Gallus vi Sabaudum ad fœdus sollicitat

jus securitatem sibi Rex petit Veruam & arcem tradi Turinensem: si non? hæc, & plura alia vi armorum invadenda, & occupanda præcipit. Duriora & servilia hæc videbantur Principi, gallicas sequi partes, & præcipua eidem extradere patriæ fortalitia; & quia Cæsar, Hispanus, Anglus & Batavi sufficientes contra Gallorum molimina Duci appromiserant suppetias, horum resolutè amplexus confœderatorum partes, hoc cum Grimano Cæsaris ablegato 4. Jun. off- & defensivum fœdus paciscitur: Declarat imprimis Dux nullum se cum Gallo fœdus iniisse, nec initurum, sed constantem & fidelem Cæsaris, Rom. Imperii & confœderatorum se socium permansurum, eorundemque promoturum semper prosperitatem, consilia, & bellicas contra Gallum expeditiones, nec unquam cum Gallo aut ejus confœderatis pacem sine præscitu & consensu Cæsaris &c. compositurum. Grimanus è contra Cæsaris nomine continuam non tantùm belli; sed & pacis tempore Ducis & Ducatûs protectionem; validam gubernatoris Mediolanensis assistentiam, & ad conservandum Nicæ comitatum classis hispanicæ ibidem adventum appromittit. Submittet deinde Cæsar quamprimum 5. ad 6. armatorum millia suo stipendio, & hyberniis alenda, & præter 8. fugatorum è Gallia millia, ab hispanico legato March. Burgomannero adstipulata, cæteros Vallenses Pedemontanos ad Ducis assistentiam & defensionem permovebit: quovis præterea modo, aut vi laborabunt confœderati, ut Pinarolium Duci extradatur, sine tamen Imperii Romani

Sabaudus Cæsari &c. confœderatur.

mani præjudicio, & earum ditionum possessione, quæ vi Cherucensium tractatuum eidem in Montferato adjectæ accreverunt; omniaque cum Mediolanensi gubernatore de hoc contra Gallos bello pacta conventa Cæsar approbat, rataque habet.

Simile Victor Amadeus pactum cum Rege Hispaniæ, inclusis simul Anglo & Batavis concludit multo latius & particularius deductum; quod cum gallicus Turini legatus intelligit, solemniter simul & minaciter contra protestatus, abitum suum in Galliam urget, quem Dux noluit dimittere, usque dum suus Parisiis legatus redierit Turinum, sed sub custodia illum eo usque detinuit, & literis scripturisque aliquot privavit. Fœdus hoc 13. Jun. publico tormentorum Turini applausu evulgabatur, exponebaturque bellicæ contra Gallum indictionis signũ labarum rubrum Sudario Christi, in altera parte brachio gladiato cum hac insignitum scriptione: *aut vincendum, aut moriendum*. Mox Mediolano adveniunt Turinum 500. pedites & mille equites, Vallenses seu Pedemontani huc usque detenti libertate donantur, eisdemque omnibus publico Ducis manifesto ad valles suas Lucernenses & domicilia liberè redeundi licentia; Galli verò exterminantur: præcipuæ roborantur urbes & fortalitia milite & commeatu, Cæsareus significat cursor, mox Franciscum Eugenium cum ter mille equitibus adfuturum: Wilhelmus quoque Angliæ Rex præter duos milliones, jam tum Coloniæ Allobrogum depositos, quatuor etiam armatorum millia in Helve-

Ad bellum se præparat.

Vallenses Pedemont revocantur.

Helvetia conſcripta ſubſidio mittenda per curſorem denuntiat. Catinatus hæc audiens leniorem, & ſaniorem Regis ſui intentionem Duci expoſiturus ad caſtra venit, cui Amadeus, cum ſe nunquam à Cæſaris, ſociorumq; fœdere receſſurum, reponit Catinatus, graves igitur ubiq; contributiones & militares exigit collectas, vicos & oppida diripit, Guiliaſum, Rivaltam, Grignia & alia loca incinerat, armatisque ruſticis plurimum ſibi detrimenti inferentibus, ſuſpenſionem intentat, qui hæc nauci facientes, vigilanter Gallos ubique obſervant, tributum negando paſſim illos proſternunt: immo Pallavicinus cum legione Montferatenſi & Vallenſium agmine Delphinatum viciſſim tributo & igne vexat, Marchio Parella munimentum S. Birgittæ occupat, ut deſtinatum è Gallia ad Catinatum impediret ſuccurſum; dein Carignani pontem Padi à Catinaco derelictum intercipit, & valido communit præſidio, quem Galli repetentes repelluntur, & ſtipendiarium æs MediolanoHiſpano militi Turinum ſubmiſſum direpturi à Sabaudis opprimuntur, captis eorum 100. & cæſis ducentis. 7. præterea Jul. Sabaudicum exercitum Carignanum abeuntem gallicus adortus equitatus, cæde & captivitate 160. rejicitur & Carignanum Allobroges probè communiunt, Vallenſesque pedemontani omnes ſuis Lucernenſibus vallibus ejiciunt: nam prope Lucernam occupato per vim in monte fortalitio S. Michaëlis, caſtellum & arcem Briqueras etiam capiunt, & intra octiduum expulſis Gallis ſuas recuperant valles, cæſis eorum 1400.

Catinatus irruit Sabaudiam,

Sabaudus Delphinatũ.

286.

286. Infelicior Dux Victor Amadeus suo cum exercitu Villæ Francæ loco & situ ad Padum opportuno inter paludem & saltum consederat, cujus dexterum tamen cornu Catinatus valido ex Delphinatu auctus subsidio [octodecim millium exercitu] 18. Augusti aggreditur; sed quia Amadeus eo ad flumen loco terream extruerat munitionem, Galli post quatuor horarum velitationem repelluntur, ceduntque vi, aut dolo, ut insequentes fervidè Allobroges ad peditum & 25. tormentorum insidias, loco quidem eminentiori, sed frutetis obtectas elicerent; hic acerrimè quatuor amplius horis rursus ambiguè pugnatur; sed Galli quia peditatu & tormentis superiores, cedere coguntur Sabaudi, cúmque interea gallicus equitatus superatis paludibus sinistrum Allobrogum cornu irruendo confunderent, & omnino dissiparent, hi ultra Padum Carmagnolam fugiunt, amissis decem tormentis bellicis, cæsis 500. supra mille vulneratis, & 100. captis: Gallorum vero tria periêre millia, qui victoriâ certò excidissent, si Sabaudicus equitatus Bavarico fortiter pugnanti constantiùs astitisset, & Amadeus pugnam usque in Cæsareanorum adventum (uti suaserat Lovignius Hispanorum, seu Insubrium Archistrategus, mirabili fortitudinis constantiâ cum suis velitatus) distulisset, aut Catinatum ante allatum subsidium fuisset adortus. Inter hanc cruentam in Pedemontio pugnam tribunus S. Ruth totum fermè Sabaudiæ Ducatum decem armatorum millibus sine resistentia subjugavit, Camberiacum Ducatûs metropolim, Rumillum, Aneciũ, & plu-

Sabaudus prælio à Catinato victus.

Gallus Sabaudiæ Ducatum occupat & Marchionatum.

Genevenses Gallos metuunt.

& plura alia Genevam & lacum Lemanum usque loca occupans, non exiguum Genevensibus incussit terrorem, qui Gallorum securitatis promissis fidem non adhibentes, Helveticum Bernensium admittunt præsidium, & novo robore urbem suam fortificando, novum quoq; defensionis causâ militem conscribunt. Catinatus autem Augustam Vagiennorum, Savilianum, Fossanum, & totum occupat marchionatum, cujus incolæ omnia sua ad Savilianam arcem, arma & bellicum apparatum ex mandato Catinati deferentes in fidem Ludovici XIV. Regis jurare debuerunt.

Quemadmodum deinde Catinatus 8000, ita Amadeus Cæsareano 7400. subsidio confirmatur, Montcalierum fortificat, Carmagnolam pluribus machinis & præsidio instruit, valles supra Sabaudiam prope Susam quatuor armatorum millibus tradit conservandas & defendendas, dum Vallenses interim sub tribuno suo Loche in Lucernensibus iteratò vallibus gravia Gallis inferunt damna. Nec feriabatur tribunus S. Ruth utrobique ad lacum usque Lemanum graves sub ignis interminatione militares collectas & contributiones exigens, tum magni ex natura roboris aditum Sevin, capto ejusdem Præfecto Marchione Salesio, intercipit: dein Comitem Berner majoris momenti ac roboris in montibus accessum quadringentis peditibus defendentem à tergo improvisò aggressus in fugam compellit, & locum occupat, atque ità omnis latè regio, & comitatus Mauriennensis, Tarenteserensisque se ultro subjiciunt: Pinarolii præterea

Item Comitat. Maurienens. & Tarenteriens. subjiciuntur.

terea præfectus Villam Francam, Catinatus Somniateram, quanquam semel inde rejectus auctis postea in fine Augusti copiis intercipit: 25. Septemb. autem Eugenius Sabaudus quater mille equites Pinarolenses Rivolum ob moratas contributiones incensuros prope Massagliam opprimit, ultra mediam eorum partem prosternit, Pinarolium usque persequitur, & 200. captivos, nec sine præda ad castra traducit. Catinato horum numerum per tubicinem postulanti responsum, Germanos hujusmodi infamatis incendiariis Gallis nequaquam posse parcere: quo ille maximè indignatus, missis noctu mille equitibus Carmagnolæ suburbium cæsis præter mulieres & pueros omnibus incineravit; & ut Vallensium excursiones & insidias sibi maximè exitiosas compesceret, aliquot armatorum agmina Lucernam inter & Augustam Vagiennorum sub March. de Feuquieres considere & invigilare jubet. Impedire tamen nequaquam Galli potuêre, quin Amadeus Montmeliano eminus cincto militem, aliaque inferret necessaria: Dumque latiùs per Sabaudiam se extenderent, provinciam caballicam, lacumque Lemanum occupando frumentorum advectionem Genevensibus interdicerent, majus hi præsidium in urbem admittunt, & sex armatorum millibus ad prædictum lacum Gallorum motibus invigilant.

Catinatus demum quamvis tribus ex Sabaudia legionibus, ex Burgundia 4000. aliisque ex Catalonia & aliunde copiis esset confirmatus; nunquam tamen ausus Amadeum germano au-

ctum

ctum milite adoriri, sed incensis ob restantes contributiones Casalo, Grasso, & 6. aliis insignibus pagis suum ad hyberna militem deducit, ne illis autem oneraretur Pedemontium, Marchio de Parella cum octo Allobrogum millibus jussu Amadei illico Catinatum est subsecutus; hic igitur cum exercitu per Marchionatum Saluzensem contendens sexaginta pagos & oppida incendit, Savilianum, Fossanum & Augustam Vagiennorum, aliasque civitates muris denudat, deinde Villæ Francæ arce penitus destructâ, Segusium versus ad alpium radices declinat, illucque Marchionem de Larre 9. Novembris cum sex armatorum millibus præmittit circumcingendum, quod paucis antè diebus sex peditum agminibus Marchio Lovignius ingressus confirmarat. Accedens tandem Catinatus secundo ab urbe lapide considet, exercitumque in aciem disponit quasi prælium initurus; dum igitur Lovignius cum prædicto suo milite ob id urbe ad exercitum evocatus contendit, Segusii magistratus ultroneè urbis claves Marchioni de Larre 12. Novembr offert, ingressusque die alterâ urbem Catinatus, vix aliquot tormentorum explosionibus arcem flagellarat, & illam mox etiam deditione capit, præsidiumque more & honore militari cum 3. tormentis Turinum demittit, cujus præfectum, Comitem de Caso, omnesque belli officiales ob immaturam Amadeus deditionem vinculis innodavit. Catinatus occupato Segusio clave Italiæ & vicissim Galliæ, exercitui suo partim in Lugdunensi, partim in Delphinatu assignat hyberna, ipse abit Pinarolium

Catinatus plura oppida incinerat, urbes muris denudat.

Segusiá obtinet.

rolium. Amadeus vicissim suo constituit militi hyberna in Mediolanensi, Pedemontio &c. deinde Aviglianum, Zurcam, Nizam, & Villæ Francæ portum majori communit præsidio, commeatu & bellico apparatu, variæque sub hybernis utrimque factæ excursiones, magna utrique parti, alternante, ut fieri solet fortunâ, intulêre detrimenta. *Vid. num.* 295.

287. Sub his Elector Brandeburgicus Fridericus III. 12. Mart. Regiomontem ad fl. Pregelam Borussiæ metropolim, solemnissimâ pompâ, civium excepturus homagium ingreditur, quod 24. Maji magnâ pariter solemnitate & tripudio in Polonorum Commissariorum præstitum est præsentia; nec non paulò pòst initio Jun. idem Elector à Rege Angliæ Wilhelmo Anglicâ periscelide Auriapoli festivo ritu est condecoratus. **Regiomons Brandenburgo præstat homagium.**

Viennæ Austriæ 3. April. Imperatricis soror Dorothea Sophia Palatino Neoburgica fuit desponsata Principi Parmensi Odoardo; cujus soror Maria Anna Hispaniæ Regina quarto tandem mensis Maji Hispaniam attigit, à Rege Carolo II. sponso suo festivâ excepta magnificentiâ. Econtra Versaleæ 20. April. vivis excessit, igno to medicis morbo, interno scil. ulcere, Delphina Maria Bavarica, uxor Delphini Ludovici XV. cui tres Principes genuit: Ludovicum Burgundum, Philippum Andegavensem, & Gastonem Bituricensem: Episcopum Meldensem sibi in extremis assistentem monuit, ne in sermone funebri eam laudaret, sufficere illustri se familiâ & stemmate esse prognatam. **Mors Mariæ Bavaricæ Delphinæ.**

Obitus Philippi Elector. Palatini: successit Joannes Wilh.

Viennæ Austriæ eandem mortalitatis viam 2. Septemb. ingressus est Philippus Wilhelm. Neoburgus Elector Palatinus, anno ætatis suæ 75. Princeps magnæ prudentiæ & felicitatis, trium Reginarum parens, Lusitaniæ, Hispaniæ, Germaniæ & Imperatricis Coronatæ, cui in Electoratum successit hæreditarius ejus filius Joannes Wilhelmus, & ut talis Viennæ tunc præsens ab ipso Cæsare est salutatus, qui 14. Octobr. Viennâ discedens, Heidelbergam majori præsidio & robore communivit, simulque Palatinatum & cæteros Ducatus in professionem clientelaris obsequii adegit.

Romæ à Pontifice Alexandro VIII. solemni ritu in Sanctorum catalogum relati sunt Laurentius Justinianus Venetiarum Patriarcha, Joannes à S. Facundo Ordinis Erem. S. Augustini, Joannes Capistranus, & Paschalis Baylon, ambo Ord. S. Francisci Observantes, & Joannes Dei, Ord. Fratrum charitatis, seu misericordiæ institutor.

Annus 1691.

Afflixit anni 1691. initio pestis, quæ in tractu Bariensi Apuliæ aliquot suppellectilium invectione exorta, non solùm Regnum Neapolitanum; sed Italiam universam ingenti perculit timore; adhibitâ tamen æquali periculo diligenti curâ effectum est, ne ultra interdicta aliquot loca sæviret, servatis cæteris, quæ eorum commercio infici potuissent. Sed accedamus rursum Orientale Turcarum Imperium, in quo supremus Vezirius recuperatâ, seu potius ab ipsis destru-

destructâ Venetis Valonâ, haud exigui in Græcia prope Epirum roboris urbe, in Ungariam ad maturandã anni hujus expeditionem cuncta sine intermissione adornabat. Haud segnior occidentalis Imperii Cæsar Esseckum, primum haud dubiè offensionis lapidem impetendum, probè communire, & copias ibidem suas jubet congregari; cujus, Essecki, præfectus cum mille Rascianis Walckovarii collectis, Irricum, & finitima tumultuariè loca opprimens, cæsis cum Bassa plurimis, suprà 78. spoliorum currus, generosissimosque equos, & Bassæ fratrem captos abducit: obviantem cum 200. equitibus Cattanam Mustapham Bassam convertit in fugam, & emissitiam Turcarum turmam profligat, haud paucis eorum captis, & multis Christianis libertati restitutis. Rascianorum præterea Capitaneus Antonius audiens Carastabari Præfectum cum parte præsidii aliò excurrisse, noctu revertentem simulans se præfectum, admissus, levi manu locum occupat, altissimis insistentem montibus, muro, munitionibusque roboratum. Atque ita Cæsareanis prævalentibus, & Esseckum confluentibus, maturata admodùm Turcarum prius expeditio periculosâ etiam & fatali retardabatur factionum discordiâ: nam Mahometis IV. fautores ejusdem filium è carcere ad thronum, dejecto Solimanno, evecturi, evulgabant in plebem, honestas à Christianis oblatas pacis conditiones à Solimanno, Vezirio, Tefftertardaro, & Töckelio rejectas, ambabus omnino manibus in periculosissimo hoc vacillantis Ottomannici imperii statu amplectendas: pa-

Variæ Christianorum in Turciam excursiones.

Periculosæ in Turcia factiones.

cem inclamabat plebs Constantinopolitana: Vezirii denique, Tökelii, aliorumque pacem aversantium supplicium urgebat miles Asiaticus, longinquis pertæsus, enervatusque itineribus & exactionibus: exigebant Spahi & Janizari restantia, cuproque meliora sollicitantes adeò tumultuosè stipendia, ut Solimannus seditioni se subtrahens Constantinopoli, ægrâ licet valetudine, discesserit Adrianopolim, legato comitatus gallico, qui speciosis etiam pacem dissuadens rationibus, belli promovebat continuationem; jamque plures cum copiis suis Bassæ Belgradum petebant, multi etiam jam transierant Dravum; sed Adrianopolim subitò revocati, Petrowardinum, Illocum, & totam fermè Sclavoniam deseruerunt, factionum tumultibus implicati, quæ Cæsareani, uti & recuperatam ab Husaris Insulam Orsavam mox occuparunt.

Soliman nus III. Soldanus moritur. Successit Achmet frater.

Tandem tamen Vezirius factionis, seditionisque vix flammas suâ extinxerat prudentiâ, cùm mors Solimanni spiritum 21. Jun. Adrianopoli extinxit hydropi, anno ætatis 50. regiminis tertio: successit ejusdem frater Achmet, Vezirii maximè studio, ac Divani, exercitûsque favore, contradicentibus non paucis, Mustapham Mahometis IV. exauctorati filium, omnibus bellicis politicisque exercitiis excultum postulantibus, & Achmetem à nono ætatis anno carceri inclusum, ac regiminis omninò incapacem reiicientibus: quorum primarios Vezirius ad insulas Rhodum, Lemnos, ac Cyprum relegans, reliquos continuit terrore, & Constantinopoli Achmetem II. Orientis Imperatorem proclamavit.

vit. Inde ſequenti menſe Julio Belgradum profectus, convocatis ad bellicum ibidem conſilium militiæ præfectis deſtinatas contra Venetos copias revocat Tôckelium & Tartaros ad exercitum jubet quamprimum accedere, & congregato exercitu Petrowardinum impetere: ut eo obtento, & Danubio ibidem ponte inſtrato commeatum, bellicumque navigiis apparatum eo commodius ſecuriusque poſſet conducere; eaque de cauſa Titulium haud procul Petrowardino 60. navigiis & VII. armatorum millibus triduo impugnatum capit deditione, & cæſo contra pacta præſidio evertit. Badenſis interea hoſtis ſubodoratus conſilia, ſuum Illoco exercitum traducit Petrowardinum, ibidemque tum ad pontis danubio inſtrati conſervationem, tum ad ſuperioris Hungariæ communicationem continuandam, inceptas fortificationis operas promovet, robuſtiusque confirmat, magnas præterea naves armatæ hoſtium claſſi opponendas inſtruit. His peractis, 1500. Ungaris ſub Com. Budiano, Brandeburgicis quoque copiis, & Bavaricâ auctus legione, 3. Auguſti Carlowicium, inde prope Semlinum conſidens hoſtilis 100000. exercitûs ad Savum conſiſtentis procubitores [cujus aſpectum denſa tegebat nebula] offendit: ubi Vezirius triginta circiter Tartarorum millia (quorum ſupremus Chamus ſub hujus anni initium ex vulnere manûs in nupera velitatione accepto, & ambuſto obierat) expectabat, qui per Walachiam & Moldaviam ſimul invaſuri erant Tranſilvaniam; ſed propter barbaram nationis in amicos etiam & ſo-

Tituliũ Turcæ occupant.

socios crudelitatem, tum etiam accessibus à Veterano Transilvaniæ præfecto probè communitis impediebantur: dum interim Caunitius Jacovarium deditione capit, & tentatâ irritò Posségâ per advolans Turcarum subsidium repellitur.

Turcarum castra inaccessa.

289. Jam quarto Idus Augusti in mutuum uterque venerat exercitus conspectum, atque ita Christianus hostili appropinquaverat, ut Turcæ in aciem prodituri, aut Christiani eorum castra invasuri crederentur: verùm 13. Augusti die germanus referebat transfuga, Turcarum stativa absque multo non posse perrumpi sanguine, id quod exploratores, & captus Janizarorum protribunus confirmabant, Turcarum castra ab arce Zingas lineâ rectâ Semlinum usque altis, latisque foveis, recessibus & munitionibus æquali distantiâ circumvallata, & campestribus 150. tormentis validè communita: quorum exactam Janizarus dabat descriptionem. Consilio igitur bellico dissuasa est invasio; & quia nec pabulatio Turcis, nec commeatus interdici poterat, Badensis consultò annonæ, & aquæ proximioris causâ reditu Salankamentum petit: Vezirius autem ubi Christianum opinione minorem conspicit exercitum, metu veluti fugientem; extrema ejus agmina per expeditos sex mille equites continuo jubet lacessere, toto mox exercitu insecutus, magnâ præveniens celeritate eminentiorem proximum Salankamento colliculum, à Badensi jam tum exquisitum præoccupat: ubi accidit, ut Boucquojana levis armaturæ legio cum aliquot militum legionis

Cædunt Boucquojanâ legion.

Ca-

Capraræ & Hoffkirchianæ supplementis, ac 200. annonatiis curribus, sexcentisque boum jugis ab hostium multitudine, ex Gallorum ad Turcas transfugarum proditione circumdata, internecivè, paucis vix elapsis fuerit deleta: & quod pejus erat, Vezirius castris opportuniori loco per duas ab Danubio horas probè loricatis, & factâ per centenas passuum distantias aggeribus per gallicum machinatorem incredibili celeritate communitis, commeatum, annonamque Petrowardino Christianis transportandam interdixerat, eosque circumcingendo internecione delere intendebat; ita ut hîc aut fame moriendum, aut hostem castris exuendo esset vincendum: *Nemo autem pugnat acrius, quàm qui invitus ad pugnam pertrahitur.* Curtius ait lib. 8. Hæc necessitas (*cujus hic aliud non erat effugium, quàm velle quod ipsa cogit* (Lipſ. de constant.) & ut Curtius lib. 5. ait: *Efficacior omni arte sit imminens necessitas*) generosam Badensis, Christianique exercitûs acuit fortitudinem irruendi in hostem, successu, ut sperabatur ex omine felici: pridie námque certaminis circa medium noctis equorum turcicorum quantitas quo nescio terrore ad Christiana pervolat castra, Turcarum fugam stragemque prævertens. Badensis nâmque 19. Augusti (quo Augustus Cæsar Leopoldus plerumque factus est augustior) ne hosti firmius se circumvallandi moram concederet, suam in hostem aciem sine mora sic format; sex peditum agmina [Battaillon] in lineâ rectâ Danubium versus in ala dextera, totidemque in sinistra; quatuordecim tamen

Acies Badensis prope Salankamentũ.

utrimque equitum cohortibus commixta; corpus vero medium octenis constituit agminibus: huic ipse Badensis cum supremo rei tormentariæ præfecto Souchesio, Styrumio & Brandio præerat: alam dexteram ducebant supremus belli prolegatus Dunwaldus, Beckius, Guido Starrenbergus & Seravius: sinistram belli prolegatus Dux Crojus, Barfusius Brandeburgicorum campiductor & Castellus: pone hanc primam immediate lineam à dextris consistebat Dux Holsatiæ cum duabus equitum Holsatica & Neoburgica, Starrenbergicaque peditum legionibus; à sinistris Hoffkirchius cum duabus equitum Basampierina & Hoffkirchiana, ac Badensi peditum legionibus. His in altera veluti linea succenturiabantur duæ dextrorsum legiones equestres, Crojana & Darmstadiensis sub præfecto Barone de Zanle; quinque verò pedestres, Herbersteiniana, Palfica, Bavarica, Brandeburgica, & Amansaica in medio; ac denique sinistrorsum Hohenzöllerana, Doriana & Herbevillica equestres legiones sub præfecto Duce Aremberg-Areschotano: postremam demum aciem dextrorsum concludebant equites Ungari Budiani, corporis medium levis armaturæ Brandeburgici, & sinistrorsum Ungari Czia-kiani.

Prælium Salankamense.

His ita constitutis, præmissoque horâ circiter tertiâ pomeridianâ signo, certaminis initium sinistra ala factura, ut dexteræ in hostem multis eo loci tormentis bellicis præmunitum faciliorem præpararet aggressum; sed cùm propter invia, & silvestrium graminum copiam admodùm

dùm retardaretur, dextera primùm ala in hostem procurrens, editioremque ambos inter exercitus locum præoccupans, tam generosa hostium castra aggrediuntur fortitudine, ut pedites ipsas castrorum loricas & propugnacula penetrarint, acerrimè ab ingenti Janizarorum multitudine adeo defensa, ut copiose etiam excurrendo, Christianos fortiter repellentes tam tribunorum quam gregariorum plurimos prostraverint; sed dum à succenturiatis mox quatuor legionibus Neoburgica, Holsatica, Crojana & Darmstadiensi per Arembergi & Holsatiæ Duces generose rejiciuntur, dextera rursus ala abs Starrenbergo animata & restaurata, hostile impetens latus in fugam Turcas compellit, qui congregatis subito legionum ordinibus toto rursus equitatu dexteræ Christianorum alæ terribiliter incumbunt, legionesque Seraviam, Caprarianam, & Beckianam cum reliquis furiose repellunt, turbant, perrumpunt, profligant. Adest opportunè desperatis fermè Badensis, qui reductis, subitóque in ordinem restauratis Seraviâ & Caprarianâ legionibus, accersitisque Zanlo & Barfusio cum Brandeburgicis copiis furibundum adeo hostem inauditâ fortitudine ita retundit, ut quiescere paululum hostis videretur quasi enervatus aut devictus; sed resumptis mox animis & viribus Christianorum latus incurrens, magnam Beckianæ, & Taunianæ legionum partem cædit, donec succenturiatæ Hohenzollerana & Doriana legiones succurrerent, hostem repellentes; qui restitutis iterato ordinibus ultimam tentans fortu-

nam, eandem pertinaciter dexteram toto rurſus equitatu aggreditur; ſed generosâ quoque virtute, & tormentis, media ex acie huc traductis non exiguâ rejicitur ſtrage. Badenſis interim hinc ad ſiniſtram properat alam, cum hoſte nunc etiam acriter fortiterque velitantem, ejusque ductu Dunwaldus, Styrumius, Caſtellus, & Hoffkirchius hoſtem à latere & tergo feliciter incurrunt, & veluti circumdant: Ungari autem & Raſciani equites 5000. pleno impetu hoſtis ſtativa penetrantes cuncta cœcè proſternunt, legioneſque Hoffkirchiana, Baſompieriana & Rabautina turbatos confuſione Spahos & Janizaros inſilientes internecione mactant, reliquus equitatus turcicus per mediam Chriſtianorum aciem fugam corripiens ex utroque latere veluti virgatus inſigni fuit ſtrage mulctatus. Fit ad noctem uſque horribilis ubique cædes, & Turcarum fuga, relictis totis caſtris, impedimentis omnibus, & ærario caſtrenſi, inventæque grandes ſunt arcæ 54. cupro ſignato, 12. argento, ad ærarium caſtrenſe remiſſæ, & aliæ 24. honorariis veſtibus repletæ; multa præterea centena pannorum volumina, 158. tormenta bellica, 10. boum, totidemque papilionum millia, ingens equorum camelorumque numerus, omnis commeatus & apparatus bellicus, & ſpolia opulentiſſima in poteſtatem venerunt Chriſtianorum, digniſſimè admirabili ſuâ, & poſteris ſemper laudandâ fortitudinis conſtantiâ meritorum: quorum tum cæſa tum vulnerata univerſim fuêre 6000. alii 8000. aſſerunt adnumeratis ægrotis & illis, quos pirata Mez-

Turcæ victi castris omnibus exuuntur.

zo

20 in navibus annonariis Salankamenti oppressis prostravit, abduxitque, & Boucquojana devoravit strages; quorum tamen plures post prælium, aut cædem elapsi ad suos redierunt.

290. Gloriosissimam hanc suo sanguine generosâque morte Christianitati pepererunt victoriam Christianus Dux Holsatiæ, Comites Caunitzius, Bouquojus, Joseph Ignatius de Pöttingen, Richard. Starrenbergus, & plures alii illustri dignitate & familiâ insignes; Souchesius & Dux Areschottanus ex vulnere postmodùm sunt mortui: vulnerati sunt Comites Guidobald. Starrenbergus, Corbellus, Zacco, Carol. Thom. Lotharingus Vaudemontii filius, Hen. Starrenberg. &c. heroës omnes cedro dignissimi. Unde Petrarcha: Omnibus mors vicina, viris fortibus contigna est; in nullos enim plura pericula, quàm in sui contemptores congerit fortuna: ceteri enim sese abdunt, evitantque impetum, illi se objiciunt fulminanti. Proinde vide ô miles, animam venalem circumfers, & quocunque loco stas, sepulchrum tuum calcas. Nonne mortis es stipendiarius, qui morte quæris, unde possis vivere? *Comicus.* Turcarum verò dicebantur cæsa 16000. (verisimilius secundum alios 25000.) cum supremo Vezirio Mustapha Kiuperlo, Seraskiero, Janizarorum Aga, & cunctis ferme aliis belli ducibus seu Bassis cæsis aut captis, qui omnes cum Ottomannis suis tam ab hominum memoria desperatâ & inauditâ pro- & oppugnaverunt Christianos pertinaciâ, ut his demum pulvis & plumbum defecerit, victoriamque suo nox interventu diremit,

Cæsorũ Turcarum numerus.

remit, & fugientibus Turcis elabendi dedit opportunitatem: in qua præcipue singularis Marchionis Ludovici Badensis enituit militaris scientia, incomparabilis prudentia, imperterrita excelsi animi fortitudo, incredibilis in consiliis dexteritas, admirabilis in disponendo, restaurandoque celeritas; erat namque in periculis primus, ubique dux & miles, plurium annorum bellis in audaciam enutritus, concatenatis victoriis ad victorias assuetus, & longâ virium suarum experientiâ infelicis successûs ignarus: hinc promptissimè secutus est ducem miles, numero quamvis hostibus longè impar; quem licet obsistentium terreret atrocitas, præeuntis tamen generositas simul & auctoritas potentiùs invitabat; habent enim illustria magni sanguinis exempla immensas quasdam vires ad persuadendum, ut cùm in oculos incidunt, occulto fascino mentes corripiant, & inter media discrimina discriminis nihil appareat; illudque in ejus victoriis admirationem habet præcipuam, quòd una illi laurus viam straverit ad secundam, & prior palma victoriosi exercitûs animos proritaverit ad sequentem: nam quorum stipendium est vicisse, nunquam unâ satiantur victoriâ, eoque avidos conjiciunt oculos, ubi vincendum est quod insultat: neque enim satis gloriose vincitur, ubi adhuc superest aliquid quod vincatur. Quare admirabili agendi felicitate & prudentiâ consecutus est illud Badensis, quod magnorum, ac supra humanam expectationem emergentium heroum est proprium, ut communi Europæ consensui materia sit non laudis so-

Badensis laus.

lùm,

lùm, sed etiam admirationis; paucorum enim annorum spatio superat seculorum facundiam, ut cùm de illo quamplurima dixerint oratores, plura supersint quæ dicantur; immortalitatis enim acta non facilè annorum eloquentiâ mensurantur. Magnam etiam ad hanc victoriam contulêre partem Barfusius & Brandeburgici, à Cæsare & Badensi singularibus propterea literis & encomiis apud Principem Electorem suum laudati.

Fugientes tumultuariè Turcas Ungaricus quidem equitatus Savum usque persecutus, hic sistere debuit ob pontis destructionem; Salankamento autem Semlinum usque ingens in campis videbatur cæsorum numerus, nec minor ultra Savum ex vulneribus occubitorum, reliqui obsidionis metu Belgradum partim ingressi, plurima vero pars ad eandem recolligebatur urbem; Illud imprimis hic observatu dignum, quòd magnus à minori devictus sit exercitus; nam in omnibus fermè bellis, ut ait Petrarcha *dial.* 97. Major semper exercitus succubuit, vicit minor. Pompejo, ait Florus, in Thessalico prælio nihil magis fuit exitio, quàm ipsa exercitûs magnitudo. Alphonsus Albuquerquius in India Paganos feliciter superavit, cùm singulis Hispanorum quingenti hostes essent oppositi. Quod & Ferdin. Cortesii copiis usuvenit, ut refert Scioppius *in Consilio Regio*. Badensis autem misso Cæsari victoriæ angelo Viennam Principe Vaudemontio, capta omnia Turcarum vexilla & signa equestria circum papillionem suum exponens, trino tormentorum tam suorum quàm hosti-

hostilium applausu *Te Deum laudamus*, Deo pro immenso collatæ victoriæ beneficio intonavit, suumque defatigatum admodùm exercitum reduxit Petrowardinum, laute ex spoliis reficiendum: deinde per Comitem Thierheimum 4. caudas equinas, victoriæ testes, & præter alia, imperatoria quatuor etiam vexilla, Viride Vezirii, rubrum Seraskierii, Janizarorum Agæ cum aureo pomo, & Janizarorum denique, singulis propria Viennam demisit; ubi 31. Augusti incredibili omnium gaudio ac jubilo exceptus, invictissimo Ludovico Badensi Turcarum terrori, fidei Christianæ defensori, & Romanæ assertori reipublicæ festivè audiit acclamatum, eundemque suum tunc Cæsar renuntians Vicarium, ac supremum exercitûs sui legatum, cum ingentis pretii (6000. impp.) annulo sibi devincit. Cæsar autem missis per Imperium & ad Ratisponense collegium cursoribus variis victoriam principibus & Romano pontifici Innocentio XII. significans huic imperatorium Vezirii labarum submisit, qui solemnissimè in 46. Cardinalium præsentia *Te Deum* intonans, iteratò urbem tormentorum boatu & facibus illuminavit.

Varia Turcarum vexilla.

Terror legatorum Turcicorum.

Turcici vero legati pacis hucusque osores Pottendorffhi tanquam captivi detenti, tanto ex hac victoria perculsi sunt terrore, ut primarius Effendus terræ allisus, & aliquamdiu elinguis, resumpto tandem spiritu rejectas hactenus arrogantissimè pacis propositiones promptius videretur admittere, quas & Kaimakanus, id est, urbis Byzantinæ gubernator amplectendas ratus,

tus, Hussejum equitem, Anglicum legatum 27. Julii solemnissimè excepit, & Sultano Vezirioque absentibus ante prædictam stragem Ottomannicam rarâ magnificentiâ, regioque honore & apparatu ad publicum admisit alloquium. Eandem quoque suspirabapt plurimi hoc Vezireo defuncto (qui in prælio à Christianis circumdatus, cum suis vi perrupturus, lethaliter læsus in via obiit, Belgradi sepultus) hic Mustapha Ciuperlus unicus erat imperii Ottomannici assertor & columna, quâ sublatâ tota rursus vacillabat, tremebatque Porta Ottomannica: quæ sicut sub patris sui Veziriatu multâ floruit felicitate: ita quoque dum hic ad eandem evectus dignitatem, prostratam anno superiori quodammodo erexit; hoc nunc prostrato, jacet illa, & omnino conteri potuisset, si confœderati Poloni ac Veneti majori suppressissent vi ac potentiâ, utrobiq; tum elanguescente: imo vero Tartari Christianorum Petrowardini castra turmatim lacessentes, Cornarum protribunum, ac insignem machinatorem ad castra cum suis tendentem capiunt, & circumquaque equos, mulos & pecora è vicinis abigunt pascuis; quorum quidam cum prædis capti afferebant magnas in Turcarum castris contentiones, stragis causam alterutrimq; ad cædem usque imputantes, quas novus ab exercitu electus Seraskierus Chalilbassa (cujus à Sultano confirmatio Constantinopoli expectabatur) magno tandem labore utcunq; composuit, ruinam supremi Vezirii temerariam conjiciens præcipitantiã, utpote qui Tartarorum cum exercituChanũ,& quindecim

Tur-

Turcarum millium propediem adventum expectare debuisset; addebantque 30. Turcarum millia ab eodem Seraskiero haud procul Belgrado colligi.

Dun-waldi mors, & laus.

291. Ex quo Badensis illos majora tentaturos prævidens, ultimâ Augusti die (quâ gloriosissimus heros Comes Dunwaldus hostium semper victor, ex morbo Essecki mortis cecidit victima, in vita Dux bellis clarus, successu celebris, victoriis felix, ætate & experientiâ adultus, nomine & gloriâ eminens, fortunâ priorum temporum victor; adeoque Salanckamenæ victoriæ gravissimum addidit pondus, quo à tergo serius [cum cladis fermè periculo] eò fortius ferociusque irruendo) ex consensu convocati consilii prolegatum Principem Crojum cum V. legionibus equestribus, & IV. pedestribus ad conservandam Sclavoniam ex Bosniæ finibus hostiliter impetendam dimisit, qui Crojus Croatiæ Bano mox imperat, ut cum Ungaris ex Rascianis Bosniam, absente, & cum copiis suis Belgradi subsistente adhuc ejusdem provinciæ Bassâ, infestaret; Veroviticensem autem centurionem cum Carlstadiensibus, aliisque copiis Possegam ablegat invadendam, cujus 700. præsidiarii Christianorum adventum metuentes, transmisso tumultuariè Savo, urbem deserunt à Christianis occupatam; uti & Crojus in Octobri Brodium, è regione ultra Savum non exigui roboris munimentum aufugientibus etiam nocte 800. præsidiariis invadit: tum præmittit Gradiscam quatuor Turcarum millibus munitam Hoffkirchium (ut conjunctis cum Vene-

Crojus in Sclavoniam tendit.

occupat Brodiũ, Gradiscam, Bacaratium.

tis

tis armis Dalmatiam invaderet; indormiscente vero veluti Leone veneto, molimen erat frustraneum) quem cum mille equitibus advenientem levi potuissent repellere negotio; sed totius metu exercitûs falsò delusi, quatuor urbis angulis seu partibus flammas injicientes, trajecto Savo (quo subsidentibus præ ponderis multitudine navibus, 400. perierunt) fugâ dilabuntur. Ipse Crojus 18. Octobris eò deveniens urbem defensioni aptam assignatis lignis & materiis restaurare jubet. Backaracio denique deditione capto, totam Cæsaris subjicit potestati Sclavoniam; in qua omnibus ad conservationem provinciæ dispositis, Esseckum reversus hyberna militi suo assignans, abiit Viennam.

Badensis interea delatis ad campestre Veresmartoni nosocomium ægrotis & vulneratis, transitoque Petrowardini danubio, XI. Septembris Zentum, atque inde Semlinum magnâ itineris difficultate cum exercitu pervenit: à quo in via Veteranus cum suis in Transylvaniam digressus, Lippam, & in ea 300. præsidiarios 3. bastas, 24. bellicas machinas, 2. mortaria, & ingentem bellicum apparatum intercepit, validoque præsidio, aggeribus, ac militari roboravit sepimento. Badensis autem Zolnockum superioris Hungariæ veniens, majus petiturus Varadinum, Seraskierus Temeswarium ab eo invadendum ratus, Tôckelio ibidem commoranti mandat, ad primum Cæsareanorum adventum omnem latè viciniam penitùs devastare: re aliter præter ejus opinionem eventâ, equitatum suum per Savum reducens magnam Tartaro- **Veteranus Lippam.**

rum & Turcarum turmam Tôckelio submittit; ne vero transito Semendriæ danubio Tôckelii subsidio in Transylvaniam excurreret, & equitatu in Sclavoniam impetum tentaret, Veteranus traductis ulterius prope Devam ad Marisium castris, Portam ferream, firmum Transylvaniæ aditum mille quingentis equitibus & 700. peditibus obfirmat, juxtaque protribunum Antonium cum suis Rascianis considere jubet.

Badensis Varadinum arctius cingit & capit suburbia

Tandem Badensis 11. Octobris majus attingens Varadinum, jam pridem eminus circumseptum, ejusdem situm & robur cum bis mille equitibus inspicit & recognoscit, arctiorique coronat per Comitem Styrum cis fluvium Keres obsidione; tum adductis Zolnocko per Carolum Vaudemontium apparatu bellico & tormentis muralibus, suburbia Bellignes & Olossum haud graviter per Guid. Starrenbergum & Barfusum sunt occupata; horum præsidiarii inde ad congestitium recens aggerem tumultuarie se recipientes, plures ipsi incendunt domos; eisdemque non observantibus 300. Rasciani ibidem captivi feliciter eorum sicas elapsi, ad Christiana redeunt castra: quò & Donatus Häuslerus nuper captus sub militari fide à Tôckelio dimissus advenit, & festivis tormentorum explosionibus charissimus omnibus in castris exceptus, abiit Viennam. Tartarorum inter hæc turmæ Varadinum usque excurrentes, pabulatorum currus, & pecora longius à castris excedentes intercipiunt, qui frustrà insecuti, unus tamen captus afferebat Tôckelium & 6. Bassas viginti armatorum millibus Varadini parare solutio-

Heuslerus à Tôkelio dimittitur.

nem

nem, cujus molimini contraveniendo Badensis tria Rascianorum millia (qui in Salankemeno prælio generosâ pugnaverant fortitudine) ad castra accersivit, urbemque pluribus continuo flagellans tormentis, & patefactis late murorum ruinis dum decretorium meditatur impetum, præsidiarii desertâ & pluribus in locis incensâ urbe ad arcem confugiunt, & desperatè propugnant. Tôckelius autem transmisso infra Lippam Marisio, prope Jenum, Giulam inter & Varadinum considens, subsidium aliquoties urbi per Petrozzium inferre frustra meditatus, inde ob equitatus infirmitatem & pabuli defectum Villagum, atque inde Vipalanckam ad sua properat stativa, quæ protribunus Antonius Veterani jussu oppresserat, plurimum fœni & aliorum frumentorum igne consumpserat, nec paucos ibidem præsidiarios deleverat; tum demum superato Danubio copias suas circa Semendriam ad hyberna dimittit. Veteranus vicissim translatis Devâ Loscadum stativis, suis quoque tum in Transilvania, tum circa portam ferream hyberna distribuit, postquam Caransebem & Lugos præsidio munierat, & Antonius castrum Sidevarum occupaverat.

Ceterum quamvis arcis præsidiarii continuis pertinacissimè explosionibus se defenderent & arcerent Christianos; illi tamen 27. Octob. arcis foveæ appropinquantes, 18. mortariis, & inextinguibilibus novæ recens inventionis à religioso P. Gabriele Franciscano ignibus (atque ideo non minori, quàm primus pulveris nitrati Inventor Bertholdus Schwartzius laude dignus) adeo

Varadinum furiosè oppugnatur.

adeo sunt coangustati, ut ædificia potissima simul & Turcæ horrendo fragore, & lamentabili ejulatu in aëra evibrati perierint. Parciturus autem Badensis militi, literis deditionem arcis postulat; quibus bis rejectis, iteratisque excursionibus cunctas eludebat præfectus turcicus minas & molimina. Visâ hac præsidiariorum contumaciâ, ingruentibusque anni declinantis tempestatibus, fovea evacuari aquis ob copiosos sæpius imbres vix posset: stipendiarii præterea laboris essent pertæsi & exhausi, Badensis erecto sexcentis ab arce passibus aggeri mille pedites, & 400. cæsareanos equites; suburbio autem Olosso 1500. Ungaros imponendo, omnem arcis ac- & excessum arctissimè intercludit, reliquum exercitum ad hyberna Debrecinum (ubi prætoria erant stativa) & vicina circum loca demittit, paucas intra horas, si necesse, recolligendum. Varadino ita occluso elapsus transfuga Janizarus afferebat, in proximo arcis ignivomo impetu 6. Bassas, 2. Agas, 12. bellicos machinatores, 600. præsidiarios absumptos; vulneratos vero Janizarorum Agam, tres alios primarios, & 300. gregarios, vix superesse 1400. defensioni idoneos: armamentarium murorum ruderibus, & domorum ruinis ita obstructum, ut nullus ad bellicum apparatum detur accessus: domos annonarias penè omnes, arcemque igne depastas, & exiguum ambustæ siliginis superesse commeatum, paucis diebus sustentando præsidio in subterraneis locis latitanti sufficientem; neutiquam tamen intra bimestre deditionem meditari, quòd mulier in urbem transfuga

præ-

præfecto persuaserit, Cæsareanos metuere ingentem Turcarum succursum brevi affuturum. Immenso igitur furore in suburbium Olossum spe recuperationis inopinatè excurrunt, turbantque Ungaros; qui resumptis mox animis eosdem fortiter repellunt. Interceptæ tum etiam Seraskieri literæ, præsidiariorum fidem & animi constantiam proximi spe subsidii confirmantes impulêre Christianos, ut plures ad se Esseckó in auxilium Ungaros & Rascianos confestim advocarent. Eodem tempore Turcarum quidam inter Rascianos incognitus, evulgatum audierat, Töckelium Petrozziumque literis significasse Badensi, suis facile persuasionibus Seraskierum & Tartarorum Chamum abs Varadini obsidione solvenda hucusque impedivisse; proindeque Cæsaris sibi gratiam non defuturam sperare: hoc idem ipse Turca evulgatum spe honorarii Seraskiero referens effecit, ut bellici consensu consilii ambo (& Töckelius quidem captivitatis metu se defendendo graviter vulneratus) Belgradum direptis eorum impedimentis sunt deducti, ubi collusionis cum Badensi suspicionem augebat Häusleri demissio, quæ quòd Ottomannicæ Portæ consensu facta, & ceteras vaferrimâ suâ Töckelius eloquentiâ suspiciones delevisset, honori plenè restitutus, ad hyberna juxta Passarowicium, antè denegata, cum Petrozzio remittitur; qui Marchionem quoque Doriam in captivitate Vipalancæ mortuum & pollinctum reddit familiæ sepeliendum: Cæsar etiam post restitutum Häuslerum Ragotziam Töckelii uxorem Viennæ hucusque apud Religiosas

Töckelius & Petrozzius à Turcis captivantur.

Töckeliacum Häuslero commutata remittitur.

giosas Ursulanas virgines honestè detentam eidem transmittit.

Fausta hæc Cæsaris hoc anno expeditio Turcarum animos multum ad pacem inclinabat, & urgebat plebem, eandemque literis neoelectus Vezirius multis adhuc invidiæ expositus periculis, à Badensi apud Varadinum sollicitabat; sed inopina Wilhelmi Hussei legati Anglici, non sine veneni suspicione sublati mors fuit pacis sepulchrum: quam licet Soldanus & Vezirius omnibus clandestinè votis desiderabant, eam tamen exterius dissimulando auctorabant ubique militem, utque nervum ab invita extorquerent plebe, per suos persuadebant flamines pacem iniquissimam, & Mahometismi legibus omnino prohibitam, à Christianis, ablata sua repetentibus præscriptam inire, sed honestam armis tot annis acquisita retinendo & conservando esse extorquendam, ad quod ingens etiam studium & industriam gallicus insumebat legatus. Verum dies posterior erit discipulus prioris.

Gallorũ sævities in extirpandis oppidis. &c.

292. Immanis illa Gallorum in extorquendis sub incendii, captivitatis & mortis intimatione contributionibus, crudelitas multò adhuc sævior & inhumanior continuabat; nam incensis licet & eversis domibus, urbibus & oppidis, spoliatis & eviſceratis civibus & incolis tam dire tamen illas exegerunt, & morosis vinearum & vitium extirpationem in Palatinatu, archiepiscopatibus Moguntinensi, Trevirensi, Coloniensi &c. sint comminati, uti ad incitas redactis Wormatiensibus 20. vinearum jugera penitus exsciderunt. Prætereo frequentes eorum incendia-

diariorum excursiones & vastationes, in quibus non raro deprehensi meritas non sine exiguo suo damno dedere pœnas.

Rex ipse Ludovicus XIV. mense Martio citra omnem subitò expectationem Montes Hanno-niæ situ & arte excellentes, ingenti armatorum exercitu 80000. coronat; ipse cum Delphino suo 21. Martii castra accedens, die altera jubet castrensia valla aperire, & tribus in locis urbem impetere; in portam namque Valentinianam, Hallensem & Bruxellensem impressionem faciens, acerrime, 50. tormentis flagellat, & pyrobolis incredibile ædibus infert detrimentum; tum furiosò in propugnaculum Valentinianam inter & Guerritam 18. millium assulto facto, generose Galli cæsis eorum 4000. & plurimis captis repelluntur; urbis enim præfectus Princeps de Berghes cum 6530. præsidio non minus fortiter quàm prudenter urbem propugnabat, nec minori cura à Belgii Gubernatore Castanaga & Anglo Batavis sollicitabat succursum, quem tam Castanaga, quàm Rex Angliæ Wilhelmus & Princeps Waldeccius Hallæ adornabant, adjunctis sibi septem Lunæburgico - Cellensibus peditum legionibus, & 14. equitum centuriis, sex quoque equestribus Brandeburgicorum legionibus, & mille quingentis peditibus. Cornutum interea Rex propugnaculum Vaubano & 12. aliis machinatoribus per mareschallum Fevilladum aggredi jubet, & haud difficulter obtinet; sed dum machinatores lineis infodiendis, & loco manutenendo occupantur, quinque præsidiariorum centuriones cùm suis centuriis

Ludovicus R. ipse Montes Hannoniæ obsidet.

Gallorũ cruenti in urbẽ insultus.

armati falcibus Gallos in fugam rejiciunt, cæsis eorum septingentis, rasisque eorum lineis, & loricis eversis. Op-& propugnatur utrimque ingeniose & fortiter, interque 6. & 7. Aprilis Galli dimidiatam rursus lunam 8. armatorum millibus insiliunt, magnâ quidem suorum jacturâ; sed non sine victoria: sequenti die 8. summo mane binis consequenter insultibus urbi adeo approximant, ut circa horam nonam tertium 16. armatorum millibus paraverint incursum, certò ut sperabant armatâ manu occupaturi, quem præsidiarii & maximè cives internecionem indubitatam metuentes, deditionem offerunt: præfectum autem contranitentem, & intra biduum (non sine factionis suspicione) adpromittentem subsidium, armatâ cogunt ad consensum manu: pactis igitur eodem postmeridie tabulis, confirmatisque antiquis civitatis ab Hispano indultis privilegiis, urbs Regi ceditur. Quantum Rex Angliæ urbi desiderabat succurrere tam erat illud impossibile; iteratis enim exploratoribus gallica cognoscebat castra, 20. millibus interim aucta, ut jam centum armatorum millia, inter quæ equitum 30000. numerarent, dum econtra 10. vix ille valeret millibus; omnesque ubique aditus erant firmissimè interclusi: decima igitur Aprilis (quâ Rex Wilhelmus multis licet obstantibus difficultatibus omnes suos belliduces ad fortia pro urbis liberatione incitarat, & jam accinctus erat) non sine dolore audit præsidiariorum quinque millia more militari sonantibus tympanis, vexillis volantibus, cum 6. tormentis

Deditione capitur.

&

& 2. mortariis &c. Haillam esse deducta: tum Rex Ludovicus cum Delphino, ejusdemque filio Duce Burgundiæ urbem solemni ingressus triumpho, decantato: *Te Deum laudamu*, urbisque & totius provinciæ præfecto & gubernatore Bertillaco constituto Valentinam est reversus; hic verò, Bertillacus, à civibus pro nova urbi imponenda arce exegit trecenta imperialium millia, pro præsidiariis 10. millia lectisternia, totidem stragulas, & lodicum paria. Gallicus deinde exercitus tripartito diviso, pars ad Mosellam destinata, alteram Humierus ducebat in Flandriam, tertia per urbes usque ad pabuli excrescentiam seu maturitatem distributa, certusque carrorum numerus per totum Hannoniæ Comitatum convocatus aliud prætetea molimen propediē suscipiendū prænotabat.

In superiori Germania tantâ sævitie insatiabilis, contributionum collector Goupillierus miseros exinanitos incolas exugebat, ut in superiori Archidiœcesi Trevirensi 500. florenorum millia intra quindenam sub incendii & captivitatis interminatione crudeliter exegerit, omnesque fugâ ad montes & latibula sibi consuluerint, cleri tam regularis quam sæcularis vineta jure exemptionis immunia penitùs exsciderit. Taliter quoque Bouffleurus cum suo 14. millium exercitu Comitatum Namurcensem vexabat exactionibus.

293. Vere excedente Dux Luxemburgicus cum principali gallico exercitu 27. Maji uno ab oppido Halla lapide considet, quam mox confœderati mille sub Comite Thian præsidiariis

 con-

confirmant; quamprimùm verò audiunt illam à Luxemburgo muralibus quatiendam tormentis Thianenſe præſidium ob loci infirmitatem, tormentorum inopiam, & capiendi per deditionem præſidii periculum, revocant, deſerto oppido Vilvordiam, quod mox Luxemburgus ſine ulla occupat difficultate. Eodem quoque tempore Boufflеurus ſuo 14000. exercitu Leodio approximans, Carthuſiam primò, tum Chinajum occupat, propugnatoribus per medium hoſtium non ſine multo utrimque ſanguine ad urbem Leodium aufugientibus, cui, & Hujo, & Namurco accedunt ſubſidio 14. Brandeburgicæ & Luneburgicæ centuriæ, Comitisque Berlonis legio. Multis interea urbs pyrobolis & tormentis flagellata ingens ædium flammis abſumptarum patitur detrimentum, quo cives animo dejecti arma abjiciunt; at publico Principis Leodienſis edicto (quo ædes deſtructæ communibus reſtaurandæ ſumptibus promittebatur) & juſto Comitis de Lippe Viſeto approperante ſubſidio animati, vires & arma reſumunt: quo 6. Jun. ſub Comitibus de Lippe & Tillio opportunè 14000. adveniente, Boufflеurus motis ſubito caſtris turpiter aufugit. Hunc Leodienſem Epiſcopatum Germaniæ facilè potentiorem, utpote 24. urbibus muralibus, 52. Abbatiis, & 1200. vel ut alii 1700. oppidis valentem, Galli imprimis ob commodum loci ſitum Galliam inter & Belgium ambiverunt. Verſus Septentrionem namque Brabantiam, Hannoniam & Namurcum, meridiem verſus Lucemburgum, & verſus orientem reſpicit Limburgum & Geldriam, eisque utrobique conterminat.

Boufflеrus Carthuſiam Leod. & Chinaum occupat

Leodiũ liberatur.

Sic irrita quoque cessit proditio Moguntina; Gallis enim urbem propiùs accedentibus ad arma est conclamatum, obsidionem suspicantes: sed ubi circa Brenzenheimum & S. Crucem ab aliquot mille pabulatoribus demeti fruges conspiciunt, tormentis iterato illos abigunt. Vigesimâ autem sextâ Jun. Moguntiæ Præfectus Thungenus Comitem Collonizum cum Ungaris, & duas legiones Effram & Bibram in hostium castra emittit; quorum conatus Gallorum elusit vigilantia, nisi quòd captivos aliquot abduxerint, quos tres gallici tribuni repetendo dum cum dimacharum procubitoribus conferunt sermones, Thungenus illos tanquam suspectos ad urbem deduci jubet, & à milite in vinaria aureæ anchoræ taberna custodiri; illos castrensis quæstor ibidem invisens, & confidentius agens, literas clam ab illis capit, quod observans centurio, deferensque Thungeno, sine mora quæstor capitur, & inventis pluribus apud ipsum Moguntiæ Gallis prodendæ literis, capite minuitur: cujus secretarius in carcere mortuus est inventus, prædicti verò gallici tribuni lytro soluto libertati postmodum sunt restituti. Proditione detectâ Galli incensis apud inferiorem Ulmam castris, occupatâque arce Algesheim, spoliatis Laubenheimii, Haxheimii, & Brezenheimii templis, Creutznachii castra metantur; quæ Hungari sæpius involanres opulenta referebant spolia, Baccho Moguntiæ lautissimè consecrata.

Moguntiæ proditio irrita.

Elector interim Saxoniæ Joannes Georg. cum suo Heilbronnam adveniens exercitu, Cæsareanis

Elector Saxon. conjun-

nis & confœderatis conjunctus, rhenum, obnitente licet variè, sed frustra, Uxello, trajicit, & Franckendalii 13. Jun. relictis ultra flumen impedimentis consider, quibus Dux d'Lorge transito Philippopoli rheno cum duobus equitum millibus admodùm insidiatus, frustra tentato aliquoties intumescentis Nicri trajectu est impeditus; ne autem illa ulteriori exponerentur periculo, Obersheimium ad castra sunt translata, & Galli contractis Brisaco & Fort-Luisio copiis Landaviam versus contendunt, inde Philippopolim; hinc Elector Gallis prælium semper instar fugientium declinantibus, exercitum Genheimum inter & Mundenheimum traducit, tribusque aditibus Cronenbruck, Rehhutte & Schiefferstadt mille pedites, & pyrobolarios aliquot ad castrorum suorum securitatem imponit. Uxellus dehinc quòd Cæsareanis rheni transitum non impediverit, ductus est in Galliam regiis exactionibus ita exhaustam, ut deficiente argento & ære, ecclesiarum thesauros in nervum bellicum impenderent, & vulgus pane passim laboraret, plurimis afflictum calamitatibus. Cunctis igitur fraudulentis belli continuandi modis & occasionibus intenti, Flandriæ Brugas ope cujusdam von der Straten intercipere moliebantur, qui cum sociis evibrato noctu 7. Jul. in aërem armamentario diversis in locis urbem incenderet, & centeni aliquot milites rustico habitu pridie urbem ingressi mactarent excubias, decemque armatorum millia proxime invigilantia dato signo portas invaderent; complex sutor urgente conscientiâ confessario rem de-

Gens se Cæsareis Gallos ad prælium lacessit frustra.

Gallia famescens & exhausta thesauros sacros in nervum adhibet.

Brugæ irrita proditio

detegens jussus magistratui aperire, auctoremque indicare, qui mox cum patre, fratre & duabus mulieribus complicibus comprehensus, meritas sceleris pœnas omnes subiêre. Variæ interim inter militantes partes intercessêre velitationes, Gallique in Eifflia arcem Comitum Girolstein intercipiunt, quos Neoburgici inde depulsuri, injecto in oppidum pyrobolo, & illud, & imminentem in rupe arcem simul ignis penitus absumit, & Galli 196. vincentium voluntati se tradidêre. In superiori Germania gallicum Philippopoli exercitum rhenum transeuntem subsecuta sunt aliquot Germanorum agmina, & cum Hungaris Palffius, priora prope Seckenheimium stativa repetentia; ut eorum observarent molimina; nam Poltzheimium Galli tumultuariè irruentes, præsidiarios Wurtenbergenses, relictâ ibidem ex metu & festinatione annonâ & commeatu, captivos secum abducunt, omnem pugnandi aleam & occasionem iteratò oblatam fugientes. *Vid. num.* 303.

294. In Belgio autem inter Ducem Luxenburgicum & Comitem Waldeccium atrox & cruentum 19. Septembr. intercessit certamen; Luxemburgus enim Cheures inter & Blichum primum confœderatorum agmen, quod Nassoviæ ducebat Princeps, horâ 4. pomeridianâ sub beneficio nebulæ tam furiosè stricto gladio est aggressus, turbat & perrumpit, ut de victoriæ successu minimè dubitaret; sed tribus ex eminentiori loco inter illos tormentis primum grandinantibus confœderatus peditatus strictis quoque gladiis incredibili Gallos fortitudine ad usque

Prælium waldecciū Luxemburgo.

que

que Ducis Luxemburgi stativa repellit, qui fugitivos gladio & baculo ad ordinem animando reducens, succenturiatis aliis legionibus Batavos totaliter confundit, opprimit, eisdemque sexdecim signa extorquet equestria. His mox Hubujus cum duabus Brandeburgicis legionibus, aliisque turmis opportunè adeo succurrit, ut restauratis Batavi ordinibus cum illis conjuncti simul Gallos vicissim confundunt & aciem perrumpunt; quo in periculo reservata regia, ut ajunt, Domus pleno in confœderatos furore insilit; pugnatur utrimque fortiter & pertinaciter, ut dubia utrimque diu esset victoria; pyrobolarii tandem Britannici, ternis licet vicibus sævâ impetiti à Gallis furiâ, in fugam tamē illos egerunt, & persecuti sunt, adeoque Gallis fugientibus in tergo vulnera quasi stigmata infligebant, cum non exigua turpis suæ fugæ infamia, qualem hactenus nunquam inflictam maximè execrabantur: certus cæsorum utrimque numerus iniri non potuit, majorem autem Gallorum fuisse certum, qui post pugnam Leúsum, confœderati Gislenopolim castra transtulerunt.

Galli in Catalonia capiunt Urgellam à Rhodopoli rejiciuntur, & Alicantâ

In Catalonia Dux de Noailles Urgelam, post atrocem octo dierum impugnationem 15. Jun. cum 500. præsidiariis suæ fecit potestatis; sed non ita Rhodopolim, quam proditione unicè deperibat, quâ per mulierem detectâ, exercitum inde reducere est coactus: quemadmodum etiam Estreus gallicâ classe Alicantam è regione Siciliæ ter mille pyrobolis à die 22. usque 29. Jul. tam miserè affligebat, ut urbem penitus inflammando destruere videretur; at ubi demum

Ar-

Architalassos Angullarum & Papachinum cum hispanica advenire classe conspexit, fugâ sibi consuluit; quem insecutus Papachinus tribus eum navibus spoliavit. Ob has clades Hispani in Gallos, qui diuturni hospitii jure inter eos inquilini degebant, insurgentes, eos tumultuariâ seditione facultatibus exuerunt. Ast Regi Carolo duplex fuit cura, & Gallis vastatis restitutionem in integrum jubere, & urbibus afflictis ære proprio ministrare, quod ruinis instaurandis sufficeret. Quòd tot jacturæ eorum incuria accidere crederentur, quibus rerum gerendarum sollicitudo incumbebat, Lobcovitius Cæsaris ad Carolum legatus acriter insistens effecit, ut Rex Ducem Oropesam, præcipuum regni administrum officio destitutum aulâ excedere juberet: optimo sanè malis remedio, si quæ supererant, ut rebus ex integro consuleretur, pari constantiâ Rex perfecisset.

In Anglia Rex Jacobus multos adhuc habebat adhærentes & fautores, qui omni illum studio & ope ejecto Wilhelmo ad thronum reducere moliebantur. Londino igitur 17. Calend. Februarii in Belgium fœderatum se contulit Wilhelmus Auriacus, specie quidem se Ducem fœderatis exercitibus præbendi; sed verius forsitan, ut iteratis se conjuratorum molitionibus subduceret. Eo enim, quo laborari Angli solent rerum novarum studio, vix non singulis hebdomadibus audiebantur secretis intenti machinationibus, quæ omnes ad rerum innovationem directæ novi Regis caput petere videbantur. Inter hos præ-

Conspiratio Anglorum in Wilhelmum castigata

præcipuè innovatores & insidiatores erant Comes Preston, Joannes Ashton Franciscus quondam Episcopus Eliensis, seu Elgynensis, Wilhelmus Penn, & Joannes Graham modernum Angliæ, Hiberniæ, & Scotiæ statum, classis & exercitûs sui vires, modum Gallos introducendi literis, consiliis, correspondentiis &c. ad gallicam clandestinè aulam referebant. & in nervum bellicum sexagies mille Sterlingorum libras collegerant. Re apertâ tres ultimi fugâ sibi consuluerunt, cæteri duo Ashton & Preston comprehensi, & rei læsæ majestatis & proditionis convicti ad laqueum sunt condemnati; quo iste etiam condonatis aliis à Regina pœnis & suppliciis ad aliorum terrorem periit; hic autem, Preston, *quòd* totam proditionis & conspirationis seriem promitteret & enucleatè aperiret, condonatus liber est dimissus, seriemque postmodum Regina evulgavit, quæ Romano-Catholicos Londino, aliisque civitatibus ultra decem milliaria prætterquam mercatores regni legibus permissos jussit exulare.

Romano-Catholici persecuti in Anglia.

Nihilo tamen minus in Hibernia & Scotia inter utrasque partes iterati sunt conflictus, & obvia quævis oppida intercepta, Jacobi partibus plerumque succumbentibus, & querulantibus debita sibi stipendia, aliaque expeditioni necessaria à reduce ex Gallia Tyrconelo, non fuisse collata. Wilhelmus autem Rex dispositis ad imminentem hujus anni cum Hollandis terra marique expeditionem rebus ex Hollandia in Britanniam 23. April. transvectus, Comitem Meinardum Schombergum Hiberniæ Du-

Ducem Lemsterensem cum annuo decies mille sterlingorum lib. proventu creavit, constituitque plures more gentis regni Episcopos, expeditisque ibidem regni negotiis inde 13. Maji nocto Hagam Comitis revertitur, dum interim ex conspiratione Galli Dublinum Hiberniæ metropolim quatuor in locis inflammandum moliuntur occupare, quod interceptæ opportunè literæ impediverunt; castella deinde Slego, Carrick, Connel, Bally, & Limmericum, insignis roboris oppidum ab initio Septembris in Octobrem usque obsessum, ultronea deditione in potestatem Wilhelmi Regis, pactâ Religionis Romano-Catholicæ libertate devenerunt; sicque Hiberniâ totâ devictâ Mars ibidem quievit; ob quod tota Regi Anglia solemnissimo congratulabatur triumpho: VIVat VVILheLMVs aVrIaCVs VICtor aVgVstVs, AngLIæ, sCotIæ, HIbernIæ, GaLLIæ ReX, anno ætatIs sVæ XLI. *Vid. num.* 302.

Schombergus fit Dux Lemsterensis, &

Limmericum occupat cum tota Hibernia.

295. Occupato, ut dixi, Segusio, uti Catinatus suum, ita Sabaudiæ Dux suum sub Eugenio Sabaudo exercitum cum tormentis aliquot ad hyberna demisit in Ducatum Montisferratensem, Duci quidem Mantuano commissum, sed Romano Imperio clientelarem, quorum genium Gallo nimis addictum ut Eugenius quodammodo compesceret, occupato Moncalvo & Pondesturâ, certam illis ad militum alimentationem collectam imponit, jubetque arma extradere; utrumque recusantes dum miles licentiosius vivit, quidam aliorsum sedem mutant, alii cum armis Casalium ad Gallos se conferentes

Montisferratenses Eugenius domat.

parant defensionem; nam paulò pòst eorum 700. & Gallorum 300. quatuor legionis Taffiçæ centurias haud procul Casalio oppressuri non modò generosè fortiterque repelluntur, sed accedente ejusdem legionis protribuno, omnes tum capti, tum cæsi sunt, 50. circiter solùm fugâ elapsis: qualia iteratò, sed irritò, & non sine jactura tentantes, quidam resipientes militarem collectam contribuunt, quidam contumaciores vina & victualia inficientes Cæsareanos corrumpunt milites, eosdemque alii captivos Fingnalum abducunt, quod Eugenius tormentis quassatum irruit, & 300. internecione Gallos & Montisferratenses occidit, quo terrore passim omnes tremefacti collectam persolvunt. Similes vicissim contributiones Pinaroli præfectus Marchio Feuquierus Turinum usq; ferro & flamma exigebat, morosumq; oppidum Millefleur, aliàs Mirafioram haud procul Turino flamis subjicit, & capta arce Stamazî præsidiarios Pinarolum traducit; quo Pedemontani ingenti terrore perculsi, incredibilem frugum & pabuli copiam Pinarolum contulerunt; Vallenses è contra, seu Waldenses sub æquali ignis & gladii intermi natione circumquaque Pinarolum usque contributiones extorquebant. oppidum Perosum, & Abbatiam Pinarolensem incendunt, dumque excursionibus iter in Delphinatum, uti & præsidiarii Rivolenses & Avigliani versus Segusium iter admodum redderent periculosum, Feuquierus Aviglianum binis peditum millibus, & mille quingentis equitibus 27. Januar. triplici furoris impetu aggressus atrociter rejicitur; immo

Variæ utrimq; excursiones.

Præ-

Præfectus Comes Manselus factâ excursione cæsis Gallorum trecentis, ipsoque Feuquiero saucio in turpem compellit fugam, captis eorum 3. tormentis & bellico apparatu; neve Feuquierus in Turinensium simul & Rivolensium manus incideret, his cautè declinatis per diverticula Sigusum versus, inde rediit Pinarolum, non gloriosis, ut sperabat, spoliis, sed illusionibus affatim oneratus: generosam Manseli fortitudinem Dux Sabaudiæ & honore & munere liberaliter compensavit.

Insuper Catinatus Montmelianum robore celeberrimum, in viva rupe ad ripam Iseri fluv. quater mille quingentis armatis 5. mensis Februar. tormentis & pyrobolis immaniter quassat, patefactis licet latis murorum intervallis, consumptisque aliquot incendio ædibus vix quicquam oppugnationi proficuum effecit, sed urbis Præfectus Marchio de Bagnasco factâ in oppugnatores excursione, cæsis eorum mille, duas murales machinas & bina cepit mortaria: hinc Catinatus solutâ 20. Februar. obsidione, per Hoquettum à longè, obstructis cunctis accessibus, intercludit; at cum exiguæ namque efficaciæ pyrobolis ludebant præsidiarii: si mallet autem præfectus expugnari aureis, liberalem se promittebat Catinatus; sed aureos magis quàm ferreos detestabatur pyrobolos Bagnascus, Duci suo fidelissimus; ideoque ligneum muris imposuit equum, alligato caudæ fœni fasciculo, cum hac inscriptione: *Tunc Galli Montmelianum occupabunt, quando hic equus hoc fœnum devorabit.* Hoquettus igitur circumvallationis **Catinatus Montmelianum oppugnat.**

lineæ stipites pro avertendis præsidiariorum excursionibus, & militum suorum securitate infigit, itaque firmius omnes occludit ad urbem aditus, & pontem denique Isero instratum demoliri meditatur, cujus certior Bagnascus sexcentos clam præsidiarios in hostem immittens, illos cæde 240. rejicit. Inter hæc Catinatus 18. Mart. Villam Francam, 22. & 23. Montelbanum & fanum S. Hospitii deditione capit; 24. Mart. aggressus Nicæam in Liguria ad alpium radices & mare mediterraneum, quam paulò ante Estreus navali classe, & Marchio de Vins terra cinxerat: opertâ mox viâ potitus, dum urbis Episcopus cerneret civium vires hostium potentiæ multò esse inferiores, convocatis quater ad Ecclesiam civibus ultroneam persuadet traditionem, 29. Mart. salvis privilegiis & libertatibus, antequam ullo tormenti globo peti-ti, factam: arcis verò præfectus nec civium precibus, nec Episcopi persuasionibus, nec minacibus Catinati verbis motus vertit in urbem tormenta granarium destructurus, quo terrore perculsi cives urbe demitti à Catinato petunt & emittuntur. Tum arx tormentis & sphæris incendiariis adeo horribiliter est impetita, ut accensa domus pulveraria ultra 500. præsidiarios miserè prostraverit, & paulò pòst alia pyrobolorum & pilarũ punicarum injectione correpta domus atrocius intulit nocumentum. Primâ tandẽ Apr. evibratus cuniculus ingens & periculosũ mœniorum causavit intervallum, assultui commodissimum, & quia præterea hostis castrensia sua valla ad opus usque cornutum, promoverat,

Villam Francam, Montelbanum & Nicæam capit.

rat, nec ulla appareret ſpes ſubſidii, ultroneam Præfectus Comes Frocaſcus 2. Aprilis offert deditionem, (quæ omnes piratarum antehac Turcarum vires fregerat) niſi intra biduum adventaret ſuccurſus: quintâ igitur militari modo & honore cum 14. machinis bellicis & præſidiariis urbe egreſſus Onegliam eſt conductus, quam Eſtreus navali interea claſſe cinxerat & pyrobolis vexarat, ſpe illam ante Frocaſci adventum occupaturus, immo jam invicem de traditione tractantibus approperans urbi Frocaſcus inclamat: VIVAT DUX SABAUDIÆ, ingreſſusque cum ſuis urbem haud ſegniter tormentis Eſtrei claſſem impetit. Eſtreus autem trecentos licet pyrobolos urbi non ſine exiguo ædium detrimento injecerit; propter claſſiariorum & militum tamen defectum coactus eſt abſcedere Villam Francam, quam, & Nicæam poſtquam majori Catinatus firmaverat robore, abiit Pinarolum. Ab Oneglia rejicitur.

296. Sub hæc non feriabantur Vallenſes ſeu Waldenſes Lucernenſes & Barcellonetenſes Gallis paſſim inſidiari; hi enim 20. mulos ex Delphinatu victualia Pinoralum deportantes, aliaque propediem plura intercipiunt, quod Feuquierus interdicturus, Fanum S. Bartholomæi irrito ſucceſſu aggreſſus repellitur; ipſe autem ut ſecuriorem ex Delphinatu Pinarolum verſus redderet acceſſum, ſibi maximè neceſſarium, cum mille peditibus, 100. equitibus, 200. dimachis & 2. campeſtribus tormentis movens in Waldenſes ſtrenuè diu ſe defendentes; ſed Gallorum multitudini impares, captis eorum Vallenſes Gallis inſidiantur.

duobus signis equestribus in fugam aguntur: eodem verò mox die sociorum confirmati subsidiis tanto in Gallos irruentes furore confundunt, dissipant, & Feuquierum ipsum trajecto ejus equo ad ipsas usque Pinaroli portas persequuntur, multisque Gallis sauciis, 500. occumbunt, & in reditu obvia quævis oppida & pagos devastant & incendunt. Feuquierus impostertum cautior, illi vero in vindictam animosiores hosticum iterato invadunt in omnem spoliandi occasionem intenti, quintâ namque Maji 60. mulos frumenta Pinarolum devehentes capiunt, permissis & intactis inscienter & dolenter duobus primis, militum stipendia deferentibus, ne tumultu excitato cæteri elaberentur.

Majora subinde Catinatus meditabatur Turinum obsidione coronare, quod prævidens Sabaudiæ Dux, dum generosam urbis sub Eugenio præfecto adornat defensionem, Catinatus optato diffidens successui, præterito Turino Avighanum præsidio infirmum, Rivolum & Assignum occupata destruit, & flammis subjicit: inde transito Pado Carmagnolam 6. Jun. obsidione cingit, & quamvis binis irrito cum ingenti jactura factis insultibus repulsus, 10. tamē Jun. deditione obtinet, hinc adjecto urbi robore movet versus Sabaudiæ Ducis exercitum Moncalierum inter & Carmagnolam considentem, Feuquiero Pinaroli præfecto dans in mandatis Cuneum decem millibus adoriri, quos Marchio de Bernes feliciter cum 2000. perrumpens urbem 15. Jun. ingressus, ferocem die alterâ in dimidiatam lunam impressionem generosè repellit,

Catinatus Carmagnolam occupat.

Cuneū irritò tentatur.

lit, & factâ excursione præter plurimorum stragem hostiles etiam operas diruit, Feuquierus è contra novis Ducis de Bulonde auctus copiis terribiliter urbem intra quindenam tormentorum globis quinque mille, & 1300. pyrobolis flagellat; sed audiens Eugenium & Parellam cum 4. equitum, & 2. peditum millibus appropcrantes, convasatis tumultuariè castris, plenus terrore noctu subterfugit, relictis 4. tormentis, 2. mortariis, & copioso bellico apparatu; octo verò insultibus occubuêre gregariorum 3950. officialium 86. præter eos, qui in fuga à persequentibus & rusticis sunt prostrati, saucii verò 1300. Hinc Feuquierus & Bulondus Regis jussu Carignani arresto sunt innodati. Hoquettus deinde valles irruit Augustanas, ingentem pecuniæ summam abs tenuissimæ fortunæ inter alpes incolis exigendo, dum nihil æris extorquet, 300. vaccas, 300. mulos, 100. frumenti saccos, & ditiores aliquot obsides vi abducit. In tantis Sabaudiæ Ducis periculis & angustiis favorabiles Catinatus pacis conditiones offert Sabaudo, regias modò partes amplexuro: hoc aliquamdiu simulando & differendo adsunt opportunè Augusto mense subsidio Maximil. Emman. Dux Bavariæ, & generalis campi Mareschallus Caraffa, cum selectis duodecim Germanorum millibus, qui Mediolani & Turini splendidè, non sine gaudio excepti, cuncta ad imminentem præparant expeditionem, dum Catinatus plura continuo meditatur molimina, & jam Hoquettum sex armatorum millibus ad Montmilianum spe urbis sibi prodendæ auxe- Montmeliانæ obsidionis solutio.

confirmant; quamprimùm verò audiunt illam à Luxemburgo muralibus quatiendam tormentis Thianense præsidium ob loci infirmitatem, tormentorum inopiam, & capiendi per deditionem præsidii periculum, revocant, deserto oppido Vilvordiam, quod mox Luxemburgus sine ulla occupat difficultate. Eodem quoque tempore Boufflleurus suo 14000. exercitu Leodio approximans, Carthusiam primò, tum Chinajum occupat, propugnatoribus per medium hostium non sine multo utrimque sanguine ad urbem Leodium aufugientibus, cui, & Hujo, & Namurco accedunt subsidio 14. Brandeburgicæ & Luneburgicæ centuriæ, Comitisque Berlonis legio. Multis interea urbs pyrobolis & tormentis flagellata ingens ædium flammis absumptarum patitur detrimentum, quo cives animo dejecti arma abjiciunt; at publico Principis Leodiensis edicto (quo ædes destructæ communibus restaurandæ sumptibus promittebatur) & justo Comitis de Lippe Viseto approperante subsidio animati, vires & arma resumunt: quo 6. Jun. sub Comitibus de Lippe & Tillio opportunè 14000. adveniente, Boufflleurus motis subito castris turpiter aufugit. Hunc Leodiensem Episcopatum Germaniæ facilè potentiorem, utpote 24. urbibus muralibus, 52. Abbatiis, & 1200. vel ut alii 1700. oppidis valentem, Galli imprimis ob commodum loci situm Galliam inter & Belgium ambiverunt. Versus Septentrionem namque Brabantiam, Hannoniam & Namurcum, meridiem versus Lucemburgum, & versus orientem respicit Limburgum & Geldriam, eisque utrobique conterminat.

Boufflleurus Carthusiam Leod. & Chinaum occupat

Leodiũ liberatur.

Sic irrita quoque cessit proditio Moguntina; Gallis enim urbem propiùs accedentibus ad arma est conclamatum, obsidionem suspicantes: sed ubi circa Brenzenheimum & S. Crucem ab aliquot mille pabulatoribus demeti fruges conspiciunt, tormentis iterato illos abigunt. Vigesimâ autem sextâ Jun. Moguntiæ Præfectus Thungenus Comitem Collonizum cum Ungaris, & duas legiones Effram & Bibram in hostium castra emittit; quorum conatus Gallorum elusit vigilantia, nisi quòd captivos aliquot abduxerint, quos tres gallici tribuni repetendo dum cum dimacharum procubitoribus conferunt sermones, Thungenus illos tanquam suspectos ad urbem deduci jubet, & à milite in vinaria aureæ anchoræ taberna custodiri; illos castrensis quæstor ibidem invisens, & confidentius agens, literas clam ab illis capit, quod observans centurio, deferensque Thungeno, sine mora quæstor capitur, & inventis pluribus apud ipsum Moguntiæ Gallis prodendæ literis, capite minuitur: cujus secretarius in carcere mortuus est inventus, prædicti verò gallici tribuni lytro soluto libertati postmodum sunt restituti. Proditione detectâ Galli incensis apud inferiorem Ulmam castris, occupatâque arce Algesheim, spoliatis Laubenheimii, Haxheimii, & Brezenheimii templis, Creutznachii castra metantur; quæ Hungari sæpius involantes opulenta referebant spolia, Baccho Moguntiæ lautissimè consecrata. **Moguntiæ proditio irrita.**

Elector interim Saxoniæ Joannes Georg. cum suo Heilbronnam adveniens exercitu, Cæsareanis **Elector Saxon. conjun-**

gens se Cæsareis Gallos ad prælium lacessit frustra.

nis & confœderatis conjunctus, rhenum, obnitente licet variè, sed frustra, Uxello, trajicit, & Franckendalii 13. Jun. relictis ultra flumen impedimentis considet, quibus Dux d' Lorge transito Philippopoli rheno cum duobus equitum millibus admodùm insidiatus, frustra tentato aliquoties intumescentis Nicri trajectu est impeditus; ne autem illa ulteriori exponerentur periculo, Obersheimium ad castra sunt translata, & Galli contractis Brisaco & Fort-Luisio copiis Landaviam versus contendunt, inde Philippopolim; hinc Elector Gallis prælium semper instar fugientium declinantibus, exercitum Genheimum inter & Mundenheimum traducit, tribusque aditibus Crenenbruck, Rehhutte & Schiefferstadt mille pedites, & pyrobolarios aliquot ad castrorum suorum securitatem imponit. Uxellus dehinc quòd Cæsareanis rheni transitum non impediverit, ductus est in Galliam regiis exactionibus ita exhaustam, ut deficiente argento & ære, ecclesiarum thesauros in nervum bellicum impenderent, & vulgus pane passim laboraret, plurimis afflictum calamitatibus. Cunctis igitur fraudulentis belli continuandi modis & occasionibus intenti, Flandriæ Brugas ope cujusdam von der Straten intercipere moliebantur, qui cum sociis evibrato noctu 7. Jul. in aërem armamentario diversis in locis urbem incenderet, & centeni aliquot milites rustico habitu pridie urbem ingressi mactarent excubias, decemque armatorum millia proxime invigilantia dato signo portas invaderent; complex sutor urgente conscientiâ confessario rem de-

Gallia famescens & exhausta thesauros sacros in nervum adhibet.

Brugæ irrita proditio

detegens jussus magistratui aperire, auctoremque indicare, qui mox cum patre, fratre & duabus mulieribus complicibus comprehensus, meritas sceleris pœnas omnes subière. Variæ interim inter militantes partes intercessêre velitationes, Gallique in Eifflia arcem Comitum Girolstein intercipiunt, quos Neoburgici inde depulsuri, injecto in oppidum pyrobolo, & illud, & imminentem in rupe arcem simul ignis penitus absumit, & Galli 196. vincentium voluntati se tradidêre. In superiori Germania gallicum Philippopoli exercitum rhenum transeuntem subsecuta sunt aliquot Germanorum agmina, & cum Hungaris Palffius, priora prope Seckenheimium stativa repetentia; ut eorum observarent molimina; nam Poltzheimium Galli tumultuariè irruentes, præsidiarios Wurtenbergenses, relictâ ibidem ex metu & festinatione annonâ & commeatu, captivos secum abducunt, omnem pugnandi aleam & occasionem iteratò oblatam fugientes. *Vid. num.* 303.

294. In Belgio autem inter Ducem Luxenburgicum & Comitem Waldeccium atrox & cruentum 19. Septembr. intercessit certamen; Luxemburgus enim Cheures inter & Blichum primum confœderatorum agmen, quod Nassoviæ ducebat Princeps, horâ 4. pomeridianâ sub beneficio nebulæ tam furiosè stricto gladio est aggressus, turbat & perrumpit, ut de victoriæ successu minimè dubitaret; sed tribus ex eminentiori loco inter illos tormentis primum grandinantibus confœderatus peditatus strictis quoque gladiis incredibili Gallos fortitudine ad usque

Prælium waldecciũ Luxemburgo.

que Ducis Luxemburgi ſtativa repellit, qui fugitivos gladio & baculo ad ordinem animando reducens, ſuccenturiatis aliis legionibus Batavos totaliter confundit, opprimit, eiſdemque ſexdecim ſigna extorquet equeſtria. His mox Hubujus cum duabus Brandeburgicis legionibus, aliisque turmis oppotunè adeo ſuccurrit, ut reſtauratis Batavi ordinibus cum illis conjuncti ſimul Gallos viciſſim confundunt & aciem perrumpunt; quo in periculo reſervata regia, ut ajunt, Domus pleno in confœderatos furore inſilit; pugnatur utrimque fortiter & pertinaciter, ut dubia utrimque diu eſſet victoria; pyrobolarii tandem Britannici, ternis licet vicibus ſævâ impetiti à Gallis furiâ, in fugam tamē illos egerunt, & perſecuti ſunt, adeoque Gallis fugientibus in tergo vulnera quaſi ſtigmata infligebant, cum non exigua turpis ſuæ fugæ infamia, qualem hactenus nunquam inflictam maximè execrabantur: certus cæſorum utrimque numerus iniri non potuit, majorem autem Gallorum fuiſſe certum, qui poſt pugnam Leuſum, confœderati Gislenopolim caſtra tranſtulerunt.

Galli in Catalonia capiunt Urgellam à Rhodopoli rejiciuntur, & Alicantâ

In Catalonia Dux de Noailles Urgelam, poſt atrocem octo dierum impugnationem 15. Jun. cum 500. præſidiariis ſuæ fecit poteſtatis; ſed non ita Rhodopolim, quam proditione unicè deperibat, quâ per mulierem detectâ, exercitum inde reducere eſt coactus; quemadmodum etiam Eſtreus gallicâ claſſe Alicantam è regione Siciliæ ter mille pyrobolis à die 22. uſque 29. Jul. tam miſerè affligebat, ut urbem penitus inflammando deſtruere videretur; at ubi demum

Ar-

Architalassos Anguillarum & Papachinum cum hispanica advenire classe conspexit, fugâ sibi consuluit; quem insecutus Papachinus tribus eum navibus spoliavit. Ob has clades Hispani in Gallos, qui diuturni hospitii jure inter eos inquilini degebant, insurgentes, eos tumultuariâ seditione facultatibus exuerunt. Ast Regi Carolo duplex fuit cura, & Gallis vastatis restitutionem in integrum jubere, & urbibus afflictis ære proprio ministrare, quod ruinis instaurandis sufficeret. Quòd tot jacturæ eorum incuria accidere crederentur, quibus rerum gerendarum sollicitudo incumbebat, Lobcovitius Cæsaris ad Carolum legatus acriter insistens effecit, ut Rex Ducem Oropesam, præcipuum regni administrum officio destitutum aulâ excedere juberet: optimo sanè malis remedio, si quæ superant, ut rebus ex integro consuleretur, pari constantiâ Rex perfecisset.

In Anglia Rex Jacobus multos adhuc habebat adhærentes & fautores, qui omni illum studio & ope ejecto Wilhelmo ad thronum reducere moliebantur. Londino igitur 17. Calend. Februarii in Belgium fœderatum se contulit Wilhelmus Auriacus, specie quidem se Ducem fœderatis exercitibus præbendi; sed verius forsitan, ut iteratis se conjuratorum molitionibus subduceret. Eo enim, quo laborari Angli solent rerum novarum studio, vix non singulis hebdomadibus audiebantur secretis intenti machinationibus, quæ omnes ad rerum innovationem directæ novi Regis caput petere videbantur. Inter hos præ-

Conspiratio Anglorum in Wilhelmum castigata

præcipuè innovatores & insidiatores erant Comes Preston, Joannes Ashton Franciscus quondam Episcopus Eliensis, seu Elgynensis, Wilhelmus Penn, & Joannes Graham modernum Angliæ, Hiberniæ, & Scotiæ statum, classis & exercitûs sui vires, modum Gallos introducendi literis, consiliis, correspondentiis &c. ad gallicam clandestinè aulam referebant, & in nervum bellicum sexagies mille Sterlingorum libras collegerant. Re apertâ tres ultimi fugâ sibi consuluerunt, cæteri duo Ashton & Preston comprehensi, & rei læsæ majestatis & proditionis convicti ad laqueum sunt condemnati; quo iste etiam condonatis aliis à Regina pœnis & suppliciis ad aliorum terrorem periit; hic autem, Preston, *quòd* totam proditionis & conspirationis seriem promitteret & enucleatè aperiret, condonatus liber est dimissus, seriemque postmodum Regina evulgavit, quæ Romano-Catholicos Londino, aliisque civitatibus ultra decem milliaria præterquam mercatores regni legibus permissos jussit exulare. Nihilo tamen minus in Hibernia & Scotia inter utrasque partes iterati sunt conflictus, & obvia quævis oppida intercepta, Jacobi partibus plerumque succumbentibus, & querulantibus debita sibi stipendia, aliaque expeditioni necessaria à reduce ex Gallia Tyrconelo, non fuisse collata. Wilhelmus autem Rex dispositis ad imminentem hujus anni cum Hollandis terra marique expeditionem rebus ex Hollandia in Britanniam 23. April. transvectus, Comitem Meinardum Schombergum Hiberniæ

Romano-Catholici persecuti in Anglia.

Du-

Ducem Lemsterensem cum annuo decies mille sterlingorum lib. proventu creavit, constituitque plures more gentis regni Episcopos, expeditisque ibidem regni negotiis inde 13. Maji noctu Hagam Comitis revertitur, dum interim ex conspiratione Galli Dublinum Hiberniæ metropolim quatuor in locis inflammandum moliuntur occupare, quod interceptæ opportunè literæ impediverunt: castella deinde Slego, Carrick, Connel, Bally, & Limmericum, insignis roboris oppidum ab initio Septembris in Octobrem usque obsessum, ultronea deditione in potestatem Wilhelmi Regis, pactâ Religionis Romano-Catholicæ libertate devenerunt; sicque Hiberniâ totâ devictâ Mars ibidem quievit; ob quod tota Regi Anglia solemnissimo congratulabatur triumpho: VIVat VVILheLMVs aVrIaCVs VICtor aVgVstVs, AngLIæ, sCotIæ, HIbernIæ, GaLLIæ reX, anno ætatIs sVæ XLI. *Vid. num.* 302.

Schombergus fit Dux Lemsterensis, & Limmericum occupat cum tota Hibernia.

295. Occupato, ut dixi, Segusio, uti Catinatus suum, ita Sabaudiæ Dux suum sub Eugenio Sabaudo exercitum cum tormentis aliquot ad hyberna demisit in Ducatum Montisferratensem, Duci quidem Mantuano commissum, sed Romano Imperio clientelarem, quorum genium Gallo nimis addictum ut Eugenius quodammodo compesceret, occupato Moncalvo & Pondesturâ, certam illis ad militum alimentationem collectam imponit, jubetque arma extradere; utrumque recusantes dum miles licentiosius vivit, quidam aliorsum sedem mutant, alii cum armis Casalium ad Gallos se conferentes

Montisferratenses Eugenius domat.

parant defensionem; nam paulò post eorum 700. & Gallorum 300. quatuor legionis Taffiçæ centurias haud procul Casalio oppressuri non modò generosè fortiterque repelluntur, sed accedente ejusdem legionis protribuno, omnes tum capti, tum cæsi sunt, 50. circiter solùm fugâ elapsis: qualia iteratò, sed irritò, & non sine jactura tentantes, quidam resipientes militarem collectam contribuunt, quidam contumaciores vina & victualia inficientes Cæsareanos corrumpunt milites, eosdemque alii captivos Fingnalum abducunt, quod Eugenius tormentis quassatum irruit, & 300. internecione Gallos & Montisferratenses occidit, quo terrore passim omnes tremefacti collectam persolvunt. Similes vicissim contributiones Pinaroli præfectus Marchio Feuquierus Turinum usq; ferro & flamma exigebat, morosumq; oppidum Milleflcur, aliàs Mirafioram haud procul Turino flamis subjicit, & capta arce Stamazâ præsidiarios Pinarolum traducit; quo Pedemontani ingenti terrore percussi, incredibilem frugum & pabuli copiam Pinarolum contulerunt; Vallenses è contra, seu Waldenses sub æquali ignis & gladii interminatione circumquaque Pinarolum usque contributiones extorquebant. oppidum Perosum, & Abbatiam Pinarolensem incendunt, dumque excursionibus iter in Delphinatum, uti & præsidiarii Rivolenses & Avigliani versus Segusium iter admodum redderent periculosum, Feuquierus Avuglianum binis peditum millibus, & mille quingentis equitibus 27. Januar. triplici furoris impetu aggressus atrociter rejicitur; immo Præ-

Variæ utrimq; excursiones.

Præfectus Comes Manselus factâ excursione cæsis Gallorum trecentis, ipsoque Feuquiero saucio in turpem compellit fugam, captis eorum 3. tormentis & bellico apparatu; neve Feuquierus in Turinensium simul & Rivolensium manus incideret, his cautè declinatis per diverticula Sigusum versus, inde rediit Pinarolum, non gloriosis, ut sperabat, spoliis, sed illusionibus affatim oneratus: generosam Manseli fortitudinem Dux Sabaudiæ & honore & munere liberaliter compensavit.

Insuper Catinatus Montmelianum robore celeberrimum, in viva rupe ad ripam Iseri fluv. quatet mille quingentis armatis 5. mensis Februar. tormentis & pyrobolis immaniter quassat, patefactis licet latis murorum intervallis, consumptisque aliquot incendio ædibus vix quicquam oppugnationi proficuum effecit, sed urbis Præfectus Marchio de Bagnasco factâ in oppugnatores excursione, cæsis eorum mille, duas murales machinas & bina cepit mortaria: hinc Catinatus solutâ 20. Februar. obsidione, per Hoquettum à longè, obstructis cunctis accessibus, intercludit; at cum exiguæ namque efficaciæ pyrobolis ludebant præsidiarii: si mallet autem præfectus expugnari aureis, liberalem se promittebat Catinatus; sed aureos magis quàm ferreos detestabatur pyrobolos Bagnascus, Duci suo fidelissimus; ideoque ligneum muris imposuit equum, alligato caudæ fœni fasciculo, cum hac inscriptione: *Tunc Galli Montmelianum occupabunt, quando hic equus hoc fœnum devorabit*. Hoquettus igitur circumvallationis

Catinatus Montmelianum oppugnat.

lineæ ſtipites pro avertendis præſidiariorum ex-curſionibus, & militum ſuorum ſecuritate infigit, itaque firmius omnes occludit ad urbem aditus, & pontem denique Iſero inſtratum demoliri meditatur, cujus certior Bagnaſcus ſexcentos clam præſidiarios in hoſtem immittens, illos cæde 240. rejicit. Inter hæc Catinatus 18. Mart. Villam Francam, 22. & 23. Montelbanum & fanum S. Hoſpitii deditione capit; 24. Mart. aggreſſus Nicæam in Liguria ad alpium radices & mare mediterraneum, quam paulò ante Eſtreus navali claſſe, & Marchio de Vins terra cinxerat; opertâ mox viâ potitus, dum urbis Epiſcopus cerneret civium vires hoſtium potentiæ multò eſſe inferiores, convocatis quater ad Eccleſiam civibus ultroneam perſuadet traditionem, 29. Mart. ſalvis privilegiis & libertatibus, antequam ullo tormenti globo peti-ti, factam: arcis verò præfectus nec civium precibus, nec Epiſcopi perſuaſionibus, nec minacibus Catinati verbis motus vertit in urbem tormenta granarium deſtructurus, quo terrore perculſi cives urbe demitti à Catinato petunt & emittuntur. Tum arx tormentis & ſphæris incendiariis adeo horribiliter eſt impetita, ut accenſa domus pulveraria ultra 500. præſidiarios miſerè proſtraverit, & paulò pòſt alia pyrobolorum & pilarũ punicarum injectione correpta domus atrocius intulit nocumentum. Primâ tandẽ Apr. evibratus cuniculus ingens & periculoſũ mœniorum cauſavit intervallum, aſſultui commodiſſimum, & quia præterea hoſtis caſtrenſia ſua valla ad opus uſque comutum, promoverat,

Villam Francam, Montelbanum & Nicæam capit.

rat, nec ulla appareret ſpes ſubſidii, ultroneam Præfectus Comes Frocaſcus 2. Aprilis offert deditionem, (quæ omnes piratarum antehac Turcarum vires fregerat) niſi intra biduum adventaret ſuccurſus: quintâ igitur militari modo & honore cum 14. machinis bellicis & præſidiariis urbe egreſſus Onegliam eſt conductus, quam Eſtreus navali interea claſſe cinxerat & pyrobolis vexarat, ſpe illam ante Frocaſci adventum occupaturus, immo jam invicem de traditione tractantibus approperans urbi Frocaſcus inclamat: VIVAT DUX SABAUDIÆ, ingreſſusque cum ſuis urbem haud ſegniter tormentis Eſtrei claſſem impetit. Eſtreus autem trecentos licet pyrobolos urbi non ſine exiguo ædium detrimento injecerit; propter claſſiariorum & militum tamen defectum coactus eſt abſcedere Villam Francam, quam, & Nicæam poſtquam majori Catinatus firmaverat robore, abiit Pinarolum. Ab Oneglia rejicitur.

296. Sub hæc non feriabantur Vallenſes ſeu Waldenſes Lucernenſes & Barcellonetenſes Gallis paſſim inſidiari; hi enim 20. mulos ex Delphinatu victualia Pinoralum deportantes, aliaque propediem plura intercipiunt, quod Feuquerius interdicturus, Fanum S. Bartholomæi irrito ſucceſſu aggreſſus repellitur; ipſe autem ut ſecuriorem ex Delphinatu Pinarolum verſus redderet acceſſum, ſibi maximè neceſſarium, cum mille peditibus, 100. equitibus, 200. dimachis & 2. campeſtribus tormentis movens in Waldenſes ſtrenuè diu ſe defendentes; ſed Gallorum multitudini impares, captis eorum Vallenſes Gallis inſidiantur.

duobus signis equestribus in fugam aguntur; eodem verò mox die sociorum confirmati subsidiis tanto in Gallos irruentes furore confundunt, dissipant, & Feuquierum ipsum trajecto ejus equo ad ipsas usque Pinaroli portas persequuntur, multisque Gallis sauciis, 500. occumbunt, & in reditu obvia quævis oppida & pagos devastant & incendunt. Feuquierus impostterum cautior, illi vero in vindictam animosiores hosticum iterato invadunt in omnem spoliandi occasionem intenti, quintâ namque Maji 60. mulos frumenta Pinarolum devehentes capiunt, permissis & intactis inscienter & dolenter duobus primis, militum stipendia deferentibus, ne tumultu excitato cæteri elaberentur.

Majora subinde Catinatus meditabatur Turinum obsidione coronare, quod prævidens Sabaudiæ Dux, dum generosam urbis sub Eugenio præfecto adornat defensionem, Catinatus optato diffidens successui, prætterito Turino Avigliarum præsidio infirmum, Rivolum & Assignum occupata destruit, & flammis subjicit: inde transito Pado Carmagnolam 6. Jun. obsidione cingit, & quamvis binis irrito cum ingenti jactura factis insultibus repulsus, 10. tamē Jun. deditione obtinet, hinc adjecto urbi robore movet versus Sabaudiæ Ducis exercitum Moncalierum inter & Carmagnolam considentem, Feuquiero Pinaroli præfecto dans in mandatis Cuneum decem millibus adoriri, quos Marchio de Bernes feliciter cum 2000. perrumpens urbem 15. Jun. ingressus, ferocem die alterâ in dimidiatam lunam impressionem generosè repellit,

Catinatus Carmagnolam occupat.

Cuneū irritò tentatur.

lit, & factâ excursione præter plurimorum stragem hostiles etiam operas diruit, Feuquierus è contra novis Ducis de Bulonde auctus copiis terribiliter urbem intra quindenam tormentorum globis quinque mille, & 1300. pyrobolis flagellat; sed audiens Eugenium & Parellam cum 4. equitum, & 2. peditum millibus approperantes, convasatis tumultuariè castris, plenus terrore noctu subterfugit, relictis 4. tormentis, 2. mortariis, & copioso bellico apparatu; octo verò insultibus occubuêre gregariorum 3950. officialium 86. præter eos, qui in fuga à persequentibus & rusticis sunt prostrati, saucii verò 1300. Hinc Feuquierus & Bulondus Regis jussu Carignani arresto sunt innodati. Hoquettus deinde valles irruit Augustanas, ingentem pecuniæ summam abs tenuissimæ fortunæ inter alpes incolis exigendo, dum nihil æris extorquet, 300. vaccas, 300. mulos, 100. frumenti saccos, & ditiores aliquot obsides vi abducit. In tantis Sabaudiæ Ducis periculis & angustiis favorabiles Catinatus pacis conditiones offert Sabaudo, regias modò partes amplexuro: hoc aliquamdiu simulando & differendo adsunt opportunè Augusto mense subsidio Maximil. Emman. Dux Bavariæ, & generalis campi Mareschallus Caraffa, cum selectis duodecim Germanorum millibus, qui Mediolani & Turini splendidè, non sine gaudio excepti, cuncta ad imminentem præparant expeditionem, dum Catinatus plura continuo meditatur molimina, & jam Hoquettum sex armatorum millibus ad Montmilianum spe urbis sibi prodendæ auxe- *Montmeliane obsidionis solutio.*

rat; sed præfectus rei non nelcius, proditoribus, mortis victimis, vitam condonat, si condictum proditionis modum & locum ingenuè aperirent, quo demonstrato adveniens noctu hostis tormentorum grandine & excursione ita est salutatus, ut obsidionem solvere sit coactus. Econtra Duces Sabaudiæ & Bavariæ ad initium Octobris Carmagnolam obsidione coronant, septem propugnaculis, & ubi desunt paludes, castellis portæ præstructis probè munitam; dumque 8. Octobr. urbs primùm 40. tormentis muralibus & pyrobolis quateretur, ultroneè Præfectus Marchio du Plessis eadem se die pactâ abeundi securitate submittit, inde imposito urbi præsidio Fossanum & Salutias Gallis extorquent, transitoque Pado Rivolum versus Duces Sabaudiæ & Bavariæ castra metantur; Gallorum verò exercitus, (in cujus ferme conspectu capta Carmagnola) Pinarolum versus movet, & Catinatus superstites ædes fani S. Joannis & Angrogni, simul & pabulum, & castaneas arbores igne consumpturus, Principem d' Elbeuff cum aliquot eò equitum peditumque turmis dimittit; qui ne Lucernenses quoque depopularetur valles, Mallet Vallensium Ductor, convocatis tumultuariè sociis, insignem Gallis variis in accessibus infert cladem, & in fugam ubique agit, cæsis Gallorum 600. suorum vix octo amissis & 12. vulneratis.

Sabaudus & Bavarus Carmagnolam, Fossanũ, Salutiasque recipiunt.

Postremò anni hujus expeditioni finem & coronam Catinatus impositurus, duodecimâ mensis Novembris inter copiosas nives Montmilianum iterato cingit, & 40. muralibus machinis

chinis, 24. mortariis in illud fulminat; ad hoc ter mille laneos, & viginti mille arenarios saccos ad castra conduxit, omnibusque circumquaque ad medium milliare resciſſis arboribus militares casas arcendo nivis & frigoris injurias extrui juſſit. Tum fulminatur utrimque acriter, sed magna Gallorum jactura, quorum injectos pyrobolos exigui effectûs culcitris & bovinis coriis mulieres & præsidiarii paſſim promiſſo pro singulis duorum dalerorum pretio extinguebant, obstructisque præfectus portis indesinenter in hostem ejaculatur, sperans sexdecim millium armatorum succursum brevi, ut fama vulgabat, adfuturum; sed nimiam nivium copiam succursurus miles superare nequibat; galli interim cuniculis suas strenuè operas promovent, vix tamen eorum cuniculus major, ut vocabant, evibratus, optatum consecutus est effectum; nihilominus indefeſsè laborabant cunicularii rupes penetrare, Catinatus namque singulo pedi duplonem promiserat; ideoque 17. Decemb. octo pedes & 19. Decemb. 24. pedes (terminante paulatim rupis duritie) penetraverant, ut jam ad urbis foveas pervenerint, inter hæc urbanus sub propugnaculo Beauvoiſino cuniculus, an ab hostili pyrobolo, an à proditore accensus, tam grandem efficit murorum ruinam, ut nulla amplius defenſionis spes supereſſet; emanente igitur subsidio, & præsidio deficiente, Bagnascus præfectus 21. Decembr. post longinquam, laborioſam, glorioſamque propugnationem offert deditionem, pactisque altera die tabulis cum 220. sanis, 150. sauciis, & 200.

Catinatus tandem Montmelianũ subjugat

ægrotis, honore militari, tonantibus tympanis, accensis funiculis & vexillis volantibus urbem egressus Veillonam in Pedemontium est conductus, suumque Catinatus militem ad hyberna circa lacum Lemanum demittit; Dux econtra Sabaudiæ omnes, augustanæ præsertim vallis, & Sabaudiæ aditus 16. communit legionibus; quas tamen postmodum discedentibus Gallis inde, exceptâ unâ, revocavit. Ad finem denique decembris Marchio Bagnascus cum suis præsidiariis Turinum adveniens abs Duce benignissime exceptus, ob strenuæ fortitudinis & generositatis vigorem eques ordinis B. Virg. Annuntiatæ, & supremus aulæ suæ præfectus, Comes Guerre gubernator Rerruensis, Marchio Chamouserus præfectus Turinensis sunt creati, omnes succenturiones in centuriones, campi ductores in succenturiones sunt adoptati; gregarii verò quoad viverent, duplici gauderent stipendio: Bene de hoc principe Jura : *Hanc certè sibi quodammodò nobilitas legem imponit, ut debere se, quod spontè tribuit, existimet.: & nisi in beneficiis creverit, nihil se præstitisse putet. Cap.* 1. ẍ *de donat.* Ludovicus autem Rex Galliæ ob devictum Montmilianum, totius Europæ fortissimum, mandat archiepiscopo Parisiensi, publicâ in ecclesia B. Virginis ibidem solemnitate *Te Deum laudamus* intonare. *Vid. num.* 304.

Veneti Valonâ dimittunt. 297. Veneti Valonam Turcis eam obsidentibus tam defendendo quam propugnando impotentes, rebus suis raptim convasatis in aëra cuniculis evibrant, navibus elapsi, solâ totius

Moreæ,

Moreæ, & hucuſque acquiſitorum conſervatione hoc anno contenti. *Vid. num.* 300. In confinem autem Poloniam à Tartaris latè ſævitum eſt, non ſine maximo Lubomirskii undequaque circumdati, tandem tamen emerſi periculo.

Nuptiæ hoc anno factæ ſunt Jacobi Sobieski Polonorum Principis cum Eliſabetha Neoburgica: & Joannis Wilhelmi Neoburgici Electoris Palatini cum Anna Maria Aloyſia Medicæa, filia Coſmi III. Florentiæ Ducis, cujus hoc anno palatium incendio eſt conſumptum damno 200000. ſcutatorum.

Romæ Calendis Februarii vitâ fungitur Alexander Papa VIII. Venetus, anno ætatis 81. regiminis 16. menſibus, minus 6. diebus, die decimo ſexto ſuæ ægritudinis, magno ſuorum mœrore, in quos non mediocres divitias & dignitates contulerat, Gallo plurimùm addictus; biduo tamen ante diſceſſum ſuum convocatis ad ſe 12. S. congregationis Cardinalibus, erectus ſedens in lecto ſtatum differentiæ inter Sedem apoſtolicam & Regem Galliæ aperuit, & Innocentii XI. prædeceſſoris ſui acta eximiè deprædicans, inſtrumentum, ſeu bullam 4. Auguſti 1690. à ſe confirmatam, ſed necdum ſpe compoſitionis ſine Sedis Apoſtolicæ præjudicio ineundæ publicatam, ab Albano Cardinale prælegi jubet; hac verò non ſubſecutâ, omnia contra Pontificis & Sedis Apoſtolicæ auctoritatem & poteſtatem acta, & propoſitiones Cleri gallicani in comitiis 1682. Pariſienſibus aſſertas in habitu ſuo pontificio omni ſolemni ritu improbat,

Mors Alexandri 8. Pontif.

Bullam contra Regalia Ludovici publicavit.

bat, damnat, & annihilat; in cujus legitimum testimonium duos protonotarios apostolicos, & alios duos prælatos testes advocat, jubetque hanc bullam & declarationem consuetis locis & modo affigi & publicari. Quo sane declaravit pontifex se nihil unquam in Sedis apostolicæ præjudicium voluisse permittere, aut concessisse, obligatumque se esse omnium Regalium urgere restitutionem, quæ Rex Galliæ ab anno 1682. in regno suo, & acquisitis provinciis urbibusque hucusque sibi arrogavit, non contentus iis solùm provinciis & episcopatibus, qui in concilio Lugdunensi ipsi permittuntur, & in prædicta bulla allegantur. Damnavit etiam peccati philosophici assertores, & liberiorem quorundam carpendi facilitatem, qui prætextu vetera enucleandi, novis aut difficultatibus, aut opinionibus obvia quæque implicabant. Simul quoque Pontifex se ideo Gallo hucusque spe solùm pacificæ compositionis fuisse addictum protestabatur, unde quidam ex S. Malachiæ prophetia illud *Pœnitentia gloriosa*, referebant. Exhalato pontificis spiritu Cardinalis Altierus Camerarius inspecto de more Pontificis corpore, illud pollinctum & pontificali ornatu indutum in Vaticani capella S. Gregorii triduo publico exposuit spectaculo, receptumque à Bartolo Cameræ præfecto pontificis annulum Cardinali Cybo Collegii Decano extradit, quem Cæremoniarum magister simul & plumbeum ejusdem sigillum diffringit. Huic majoribus Cardinalium votis 12. Julii electus Card. Antonius Pignatellus Neapolitanus successit, nomine Innocentius XII.

XII. vir grandævus annorum 75. ad imperatoriam quondam & Hispanicam aulas nuntius apostolicus. Hic ab initio statim osor nepotismi, & asyli in legatorum ædibus, nullos nisi virtutis, doctrinæ & fidelitatis meritis excellentes ad officia promovit. Successit Innocentius XII.

Elector quoque Saxoniæ Joannes Georgius III. supremus imperialis exercitûs legatus Tubingæ dysenteriâ 22. Septembris moritur, quâ, & aliis malignis febribus tam gallicus quàm germanicus tum infectus exercitus, generosissimi periêre Duces & milites plurimi. Patrij successit filius hæreditarius Joannes Georgius IV. cui 18. Novembris status & nobilitas Saxonica Dresdæ solemni pompâ & jubilo præstitit homagium. Mors Elect. Saxon. successit filius.

Annus 1692.

298 Tum Torgoviæ 18. Januarii sequentis anni 1692. præsente ibidem Electore Brandeburgico duodecim Saxones & totidem Brandeburgicos equites ordinis *Perpetuæ amicitiæ*, recens ab his electoribus instituti creavit, cujus insigne est armilla binis loricatis manibus decussatim incisa, sub quibus decussati itidem duo gladii palmis circumdati hoc cum lemmate: *perpetuò unita*. In altera armillæ parte amborum Electorum nomina J. G. IV. & C. F. III. cum hac inscriptione: *amicitia sincera*. Inde Brandeburgicum electorem initio Februarii Berlinum abeuntem Saxo subsecutus, 5. Februarii solemnissimè ibidem est exceptus. Saxonis] & Brandeburgi amicitia

Elector denique Bavariæ Maximilianus Emmanuel, Cæsaris sine dubio instinctu, à Carolo Maximilianus Bavarus

fit Belgii Gubernator. lo II. Rege Hispaniarum perpetuus Belgii hispanici Gubernator absolutissimus die 5. Decembris est designatus & confirmatus, majori quàm antehac Archidux Leopoldus, aut Joannes Austriacus, aut ullus alius authoritate & potestate disponendi in omnibus tam civilibus quàm militaribus causis, officiis, negotiis &c. sine ullo Regis præscitu aut consensu, cum menstrua 75000. imperialium perceptione & emolumento; quo certe præclara illum & famosissima in Oriente & Occidente, in Italia, Sabaudia & Germania concatenatâ hucusque facinora & gesta militaria evexerunt. 25. mensis Martii Ruremundæ, 26. Bruxellis insolentissimo jubilo utrobique à populo, clero & episcopis est exceptus. Hujus autem promotionis causam plures variant, quidam ideo factam à Carolo asserunt, ut Ludovici Regis Galliæ ambitioni, à quo injuriosa hactenus & indigniora sustinuerat plurima, opponeret impugnatorem, & provinciarum defensorem. Decrectarat per aliquot menses rebus ibidem multâ confusione implicitis oblatam inire provinciam, quòd instantes belli curas præsentibus destitui auxiliis supremi regni moderatores fatali negligentiâ paterentur; unde verebatur nominis famam, quin & personæ dignitatem promissis permittere, quæ ob continua acerrimi belli pericula largâ ærarii effusione compleri egebant. Mirum Europæ visum est Gallos tantâ contentione Belgii dominio inhiantes, hujus quasi interregni oblatam neglexisse occasionem, quâ Bruxellas provinciæ caput invaderent, & unius facilis obsidionis

fructu

fructu integrâ rerum summâ potirentur: distracto maximè ad propria commoda procuranda exauctorati Gubernatoris animo, cujus impar ad tantam provinciam ineundam ingenium populos ad querelas, & Regem ad novi Gubernatoris delectum impulerant. Ludovicus verò audiens Bavarum Belgii futurum gubernatorem, omnem id impediendi per suos in aula Cæsarea & Hispanica legatos movit lapidem, fusius sua prætendens in Belgium jura, quòd illud Galliæ Rex & Imperator Carolus Magnus in certos distinxerit Comitatus, ipseque Carolus V. Flandriæ Comitatum Francisco I. Galliæ Regi clientelarem dederit; reliquos verò Comitatus jure sibi dotis ex Hispaniarum infante Maria Theresia, uxore sua, deberi, asserat; in cujus tamen desponsatione omni Belgarum & Hispaniarum juri publico & legitimo instrumento simul cum Maria Theresia uxore renuntiavit. Alii ideo perpetuum Belgarum gubernatorem creatum asserunt, quod Mariam Antoniam, filiam Leopoldi Imp. ex Margareta Hispana, Caroli II. sorore natam duxerit in uxorem, cui in dotem, ut ajunt, dederit Belgium. Utrumque est ambiguum, certum illud, quod Jacobus Masenius *in sua Anima historiarum ad ann.* 1539. *lib.* 5. *num.* 75. scribit: *Tali decreto Pelusius legatus à Carolo V. ad Franciscum I. profectus est, ut significaret: Cæsarem pacis studio, privatis emolumentis cariturum, ac majora etiam postulatis Regi concessurum. Carolum Franciscum filium accepturum in generum, dotalique jure Belgarum facturum Regem; quo beneficio nihil*

nihil augustius expectare Franciscus possit, quando utrosque filios regnis geminis, iisque opulentissimis, & ad mutuam opem conjunctis, inauguratos habere liceat: ac si deinde alterutri proles deficiat, unus amplissimis totius Europæ regionibus potiri queat. Cisalpinam tantùm deposcere Galliam (Insubriam, seu Ducatum Mediolanensem) hac neque sibi, neque fratri abeundum videri; non enim obstruendum sibi aditum ab Hispania in Liguriam; aut expeditum in Germaniam venturo iter amittendum, quòd sua dignitatis non sit, ea pro alieno arbitrio usurpare. Ad hæc Franciscus, quamvis spe conceptâ dejectus, hilari fronte, Cæsari nomine suo gratias referendas, dixit, quòd ampliora votis, pacis gratiâ deferret; neque enim aliud abs se postulari, quàm ut avito jure debitis possessionibus frui liceat quæ aliter sibi denegari nisi cum pace nequeant. Belgii se nequaquam appetentem optimo jure Carolo debiti. Fruatur ipse suis, aliena deserat, hac lege, non aliâ pacem colendam. In qua utrorumque Regum sententia admirandum est, rem tantam, quanta est belgicarum provinciarum possessio, potuisse deferre Carolum, Franciscum recusare. Has opulentissimas Belgii provincias avito jure Austriacis ipso Francisci testimonio debitas, & solemniter renuntiatas Elector & Gubernator Maximilianus post Caroli II. mortem in Ludovici Gallorum Regis manus tradidit & gallico munivit præsidio, unde ingens postmodum humani sanguinis emanavit diluvium, de quo plura infra.

Austriacis jure compet Belgium Mediolano præstantius.

299. Transeamus in Ungariam, & Viennam, ubi

ut hic nonagesimus secundus annus videbatur jam tum Jani templû latius aperuisse, ubi plures Regum Principumque delegati tum ad Christianæ religionis, tum ad Imperii Rom. incrementum complures offerebant auxiliares Cæsari copias; Wilhelmus Rex Angliæ legiones tres hybernicas suis sumptibus Hamburgum, inde à Cæsare in hæreditarias transferendas provincias: episcopus Monasteriensis 4000. Rex Daniæ, Duces Hannoveranus & Saxo-Gotha certum etiam per transactionem numerum maturè sistendum sanctè pollicebantur, quibus majora Cæsar sperabat molimina: nec tamen adhuc induratus Varadinensis & Janizarorum Agæ animus ad deditionem poterat emolliri; & quamvis omnes montium aditus nivibus, & transitus à fano S. Jacobi & Debrezino sex legionibus germanicis probè essent occlusi; Bassa tamen quidam cum octo aliis urbem penetrans, stipendia militi persolvens, indubitatâ spe subsidii mox adfuturi ita eorum confirmavit animos ad contumacem constantiam, ut desperatis omninò excursionibus plurimùm obsessores, non absque suo tamen detrimento lacesserent. His autem ut majorem incuteret terrorem Aversпergius, obsessionis hujus moderator, contractis aliquot germanicis ungaricisque legionibus Giulam tentaturus, prædationem imprimis militi sub pœna capitis interdicit, si fortè captâ urbe arcem quoque posset occupare; interceptâ igitur subitò noctu urbe cum binis suburbiis, interfectisque præsidiis & civibus somno oppressis, Hungari & Rasciani prædis inhiantes, op-

Varadinum oppugnatum

Aversрergius Giulam tentat.

portunum Turcis tempus carraginem ante arcem instruendi concedunt, quâ se strenuè defendunt, & arcent Cæsareanos; quare urbe in Varadinensium conspectu & terrore flammis subjectâ, & Bego loci præfecto nudo vix elapso, uxorem ejus & socrum captivos cum signis aliquot & timpanis abducit, omneque passim pabulum ignibus consumens, desideratis è suis 50. hostibus vero præter cives mulieresque quingentis, Varadinensem prosequitur obsessionem: quam Bassa nuper ingressus urbis necessitates Seraskiero delaturus, inter varias perrepere excursiones perhibetur; & cum Aversbergus audisset Ungaros auro sollicitatos in proxima excursione fugam ad Turcas, defectu stipendii, meditari, soluto stipendio infide confirmati, excurrentes tum Turcas, ad internecionem fermè afflixerunt; in vesania nihilo minùs sua adhuc manebant pertinaces, ideo congestitius rusticorum operâ urbi coërcendis excursionibus agger est præstructus, decretâque Viennæ in militari consilio formali urbis obsidione, militaris eò necessarius est bellicus apparatus & commeatus devectus, & Heuslerus hujus obsessionis moderator advocato ex Transilvania & undequaque milite, apertisque ad 17. Maji vallis castrensibus urbem acriter impugnat pyrobolis & tormentis; nec minus eam segniter propugnant præsidiarii; ad 30. autem Maji diem incensus ad murorum ruinam cuniculus foveam adeo humo incursui percommodam implet, ut Heuslerus urbis peteret deditionem, mox armorum vi extorquendam; quam præfectus, & omnium per-

Formalis Varadini obsessio per Heuslerum, & deditio.

na-

tinacissimus Janizarorum Aga ob certum intra quindenam succursum submittendum constanter denegabant; ad decretorium igitur impetum dum omnia indefesse parantur, Turcæ suis diffidentes viribus 5. Junii ultroneam offerunt deditionem, pactâque incolumitate duo præsidiariorum millia præter mulieres & liberos, cum sua omni supellectili, relicto magno in urbe commeatu bellicoque apparatu, Ban zovam quidem abducenda, sed ob violatam nuper 800. Pescabarensibus fidem Tôckajum in captivitatem usque ad satisfactionem & restitutionem sunt traducta. Deposita verò ibidem securitatis ergo pretiosiora, quæ ad Ungaros & Transilvanos pertinere ab ipsis Turcis proditum est, jure belli sunt retenta, quòd ii tali ad infideles confugio perduellionis nota laborarent, ideoque indigni, quibus sub justæ defensionis titulo commissa hostibus reciperent; Pescabarensesque paulo post Belgradi ut mancipia detenti liberè demissi sunt, discentibus barbaris inflictâ reciprocæ talionis pœnâ sacra juris gentium privilegia alterno commodo integrare, atque ita Turcæ vicissim dimissi sunt. Reconciliatis mox per Renckovicium (qui episcopatûs simul ibidem capiebat possessionem) ecclesiis, militari solemnitate gratiæ Deo sunt actæ, quòd tam faustis anni hujus auspiciis proximè instantem felicitarit expeditionem, ad quam Heuslerus Viennam vocatus à Cæsare urbis Varadinæ, & omnium ultra Tibiscum comitatuum generalis designatus præfectus, imposito cum sufficienti præsidio sui loco Comite Corbello vicepræfecto, &

bellico machinatore Keisersfeldio, in murorum & aggerum restaurationem sine intermissione intento, se indefessè præparat.

Fervida utrimque ad bellum præparatio.

Nam Cæsar rescindens pacis tractatus legatos turcicos remitti, & cuncta in maturam jubebat expeditionem parari, navalem præsertim per Austriam in Danubio armaturam : Nam arma, quæ de barbaro hoste toties triumphabant, difficiles patiebantur commeatus in longinqua regione posita transferri ; dum Turcæ adverso flumine se, & omnis generis munitiones ad sua castra ingerebant : unde commoditatis parandæ, & hostis retundendi, necessitatisque studio Cæsar intentus, navigia 40, grandiora, & 130 minora jussit extrui, quæ secundo flumine bellicos omnis generis apparatus ad usum suorum deportarent. Delectus est ad hujus classis imperium Marchio Floriacus, de Fleury, qui natione Transalpinus nave propriis sumptibus instructâ, sub auspiciis Regis & Reipub. Polonorum diu maria & flumina excurrerat, jure nominis Christiani, & propriæ sortis alea è barbaris prædas facturus. Hic Germaniæ & Belgii portus præcipuos ære, & nomine Cæsaris lustrarat, ut nautas scriberet, qui tandem Viennam delati, classique impositi Petro-Varadinum devenère. Si nihil hoc anno primo ulterius classis effecit, certè impervium præstitit flumen barbaris, qui tormentorum metu, quibus abundè erat instructa, necessariò consilio circa Taurunum distenti sunt, unde nec insultare, aut copias trajicere inparatos adversarios sunt ausi. Literis demum Cæsar Joannem Poloniæ Regem impellebat ad armorum æmulationem prioribus

Cæsar classem Danubio imponit.

annis

annis gloriosiorem. Ottomanni quoque in Divano suo, urgentibus maximè Gallo & Töckelio Adrianopoli tùm præsente, bellum paci præferebant, Mufftio supremo eorum flamine idem approbante. Novis igitur exactionibus bellicus extorquetur nervus, paratur Belgradi arx in Sultani Imperatoris adventum, ipsaque civitas ad Cornari machinatoris antehac Cæsarei aliquamdiu ibidem capti, nunc feliciter elapsi, delineationem restitutis aggeribus ad omnem impetum excipiendum roboratur, & grandia à Vezirio procuduntur non belli tantùm, sed suæ etiam avaritiæ & crudelitatis molimina: huic enim quisquis vel leviter in aula suspectus erat, laqueo prævocabatur, bonorumque confiscatorum pars fisco, potior autem cedebat Vezirio, quorum apud Soldanum insimulatus à Mufftio, & huic ideo amoto succenturiavit alium Vezirius Mufftium, ejusdem suæ injustitiæ, tyrannidis, & avaritiæ sororem priore odiosorem, gravi cujus etiam accusatione coram Soldano convictus, ad perpetuos cum filio & Kihaja damnatus carceres, omnibus nudatus est bonis & fortunis: de his 250000. Imperial. in argento, in auro 300. ducatorum millia, & majus gemmarum pretium publico illata ærario militum cessit stipendiis, unicè desideratis. Officio successit Alibassa Diarbekierensis in Mesopotamia, cujus quoque caput sex antè diebus depositus Vezirius per Campejum quendam eo missum petierat; sed alius Soldani jussu cursor Arabs illum celeritate præcurrens, pro mortis nuntio angelum pacis detulit, & supremæ dignitatis: quâ vix

ſuſceptâ præter grandia difficultatum onera, exhauſtum ærarium, enervatum ære & viribus turcicum imperium, factionibus, tumultibusque ſciſſum, optimis Divanum conſiliariis aut captivitate, aut morte mulctatis ſpoliatum, & quod adhuc majus, audit à Cæſareanis captum Varadinum, ideoque regiminis ſui initium, & ſtatum Ottomannici imperii admodùm deplorat. Turcæ interim cum obſeſſum Varadinum neque liberare, neque ſuccurſum ullo modo inferre poterant (maturam cujus liberationem Seraskierus, & proximus Walachiæ princeps cum ſumma Ottomannicæ portæ offenſione neglexerant) ægrè admodum etiam ferebant Piſcabaram, ſeu Petræ foramen, & Orſavam nuper inſulam à Chriſtianis captam, militari ſepimento per Chiliarchum Antonium firmari & terreno aggere ſibi occludi tranſitum Danubii (quâ rupibus ibidem coarctatus, totusque in latitudinem petroſus, à Romanis olim inciſo foramine factus eſt pernavigabilis, ab eisdemque tunc catenis ut periculoſis temporibus fieri ſolet conſtrictus) ut nullum hucuſque commeatum & apparatum potuerint Belgradum conducere: repetito igitur per medium majum furore, præfectum loci Baronem Aranum ad deditionem pactâ incolumitate (quam tamen perfide infregerunt) coëgerunt.

Piſcabaram ſeu Danubii tranſitū Turcæ capiunt.

Hoc Petræ-foramine intercepto, Belgrado tamen valide licet munito metuentes, ingenti illud commeatûs apparatusque bellici copiâ complent, in ejusdemque defenſionem Vezirius exercitum 20. Turcarum millium, Aſiaticis

mox

mox copiis secuturis præmittit; unicè autem suspirabat pacem, quam legatus quidem gallicus multis sui regis prætextatis in Germania contra Rom. Cæsarem victoriis, & ampullariis dissuadebat sponsionibus; sed his meritò diffidens Vezirius, alterum Regis Angliæ caduceatorem Harbordum equitem Viennâ propediem expectat Belgradi, arbitraturque hujus, & Batavorum interpositione Polonorum simul & Venetorum simultates componi, & ad pacis descendi posse conditiones. Nec Cæsar pacem declinabat, sed cum damni & ablatorum reparatione: quibus extorquendis auxiliares & adventitiæ Viennâ copiæ ad destinatum navigio mittuntur diribitorium; cujus certam quoque designationem Heuslerus cum suis Varadini præstolatur, hostium interim machinationibus Transilvaniæ irruptionem molientibus invigilans; sed quia Veterani etiam curâ & vigilantiâ Transilvaniæ aditus optimè erant oppessulati, Titulium Belgradenses aggressi primo impetu repelluntur; numero auctiore reversis cedunt præsidiarii viribus impares: at Petschium superioris Ungariæ oppidum tentantes nece 200. suorum rejiciuntur. Tunc Cæsareus etiam exercitus Essecum confluit, & ad finem Julii Dux Crojus, Badensis paulò post adeptam Jaurinensis præfecturæ possessionem accedens, habito Valkovarii armilustrio, exercitum aliquot invenit millibus quàm priori anno inferiorem, & defectu sanæ annonæ plures valetudinarios, militarique ineptos expeditioni, atque ideo effluxo fermè optimo belligerandi tempore, vix ardui quidquam fore ten-

Item Titulium.

tandum. Eodem videbatur fato turcicus tardari exercitus: nam convocatum Belgradi consilium bellicum persuasit Vezirio ob militum inopiam non offensive, sed defensivè Belgradum maximè conservandum, emanentibus præsertim Tartaris, qui numero 22000. viæ jam accincti, invalescente inter illos discordiâ, domum revolarunt: quæ res non exiguum in Vezirio belli tædium; maximum verò pacis augebat desiderium, literis Harbordo, ut adproperaret significatum; neque hic moratus sanitati Viennæ restitutus Belgradum festinat, ubi summâ à Vezirio benevolentiâ & honore exceptus, eo rem brevi perduxit, ut pacificatio mox secutura nemo non speraret; sed subitaneâ morte, uti prædecessor, decedens, variam passim præbuit suspicandi materiam; plures gallico sublatum veneno affirmabant, quòd hi bellum in Regis sui favorem & emolumentum præ pace nervis omnibus sollicitarent: certum est mortuo Harbordo omnem pacis in Vezirio cogitationem fuisse demortuam, frustratis præsertim, & rejectis à Caneæ obsidione Venetis.

Turcæ pacem desiderant à Gallo turbatâ.

300. Haud leviter namque Venetos amissa per proditionem Carabusa pungebat; hinc Mocenigo ut damnum refunderet, Caneam, validissimam regni Candiæ urbem non longè Carabusâ dissitam sexdecim armatorum millibus sub Trautmanstorfio invadit. Muris jam proximus Bassa Retimensis succurrens, tormentis Venetorum castra de monte haud leviter affligit, & navibus de nocte urbi auxilium immittens Venetos ingenti involat furore. Et ecce in pleno cer-

Veneti amissâ Carabusâ frustra Caneam impugnant, & amittunt Cettinā.

certaminis fervore aliquot Gallorum centuriæ à Venetorum signis proditoriè quasi ex condicto ad Turcas profugæ, incredibili furoris insania in Venetos irruentes, ordines tumultuariè laxant, & confundunt; Melitensium tandem fortitudo & eorum pressit furorem, & restauratis ordinibus prælium, plurimis utrimque cæsis (Venetorum 3000.) diremit; hique ab urbe discedere sunt coacti. Veneta igitur respublica hac Mocenigi expeditione non contenta, quòd validum Caneæ succursum non maturius, quamvis præmonitus, non evitasset; ideoque ultroneè architalassi dignitate defunctus, privatim Vicentiæ, in reipublicæ tamen officio vixit: cui subrogatus Franciscus Maurocenus Dogus seu Dux, exhaustas tertio suas corporis excusans vires, tandem vicit amor patriæ, cui id, quod superesset, vitæ generosè consecrans, velut alter Atlas imperium admisit, tanto reipub. & populi gaudio, ut in omnes belli sumptus prompti liberalesque ducali illum comitatu ad expeditionem demiserint. Tum Seraskierus hac gloriosus victoriâ Naupactum adortus, acriter tormentis flagellat; succurrente autem urbi Vendramino cæde suorum mille, relictis tormentis, impedimentis, & signis aliquot equestribus aufugit. In Dalmatia econtra Bassa Albanensis fuso cum Morlacis Erizzo, Venetorum Stratego, Cettinam deditione occupat. *Vid. n.* 306. Mustapha verò Bassa Sorockâ Polonorum ad montes Carpacios validum commodumque ad Caminecum transitum invadit; sed iteratis præsidiariorum eruptionibus, cæde suorum 2000. fortiter feliciterq; rejicitur. Cæ-

tetum Polonis felicite in Tartaros moventibus, Turcarum supremus Chamus privatam Polonis pacificationem, exclusis confœderatis Cæsare & Venetis, cum perpetua Camineci & Ukraniæ offert cessione, quam regni Senatores licet amplecti viderentur, Rex tamen rejecit omnino, & hujus propositionis tartaricæ confœderatos fecit certiores. *Vide num.* 306. Qui inito Viennæ cum Hemskerckio Batavorum ad Portam Ottomannicam internuntio consilio, eundem ut Belgradum iter in pacis negotio maturaret, permoverunt, ubi ab Alybassa & Maurocordato primùm perhumaniter exceptus, altero pôst die insigni solennitate, nec non ingenti gestientis populi gaudio extra urbem ad Vezirii papilionem deductus omni humanitatis & honoris genere est complexus, postque alloquium eodem ritu non sine spe optimi successûs ad hospitium est dimissus; nam uterque in castris quiescens exercitus hyberna meditari videbatur; Asiaticus siquidem miles ad importunam instantiam ad sua remissus, alium in vicinas Belgrado provincias Vezirius distribuit, amoto Bosniensis præfecturæ Bassâ, quòd exitialem Croatarum in Bosniam, viciniamque excursionem non repressferit; unde & contigit, quod Rasciani in Serviâ ad Moravæ tractum excurrentes, insignem castrensis ærarii turcici partem, ultra 300. imperialium leoninorum millia cæsis defensoribus, ingenti Vezirii, summè indigentis, dolore interceperint. Cæsareus verò exercitus Petrowardini loco admodum opportuno & inaccessibili castra fixerat, ante se altam latamque habens

fo-

foveam , à dextris montes, in finistris & tergo Danubium , quem Marchio de Fleury navali classe tormentis affatim, & 3500. militibus seu classiariis instructa ad hostium terrorem occupabat. Hic Cæsaris imperio, & urgente Badensi per Keisersfeldium machinatorem maximo Petrowardinum robore firmabatur, tum ut danubio dominari, tum etiam Sclavoniam ab hostium posset defendere incursionibus. Castrensi tunc morbo infirmabatur exercitus, quo & afflictus Badensis Viennam à Cæsare valetudinis curandæ causâ vocatus, commisso Imperio Principi Crojo, & copiis militaribus ad hyberna dimissis; Bavaricæ & Monasterienses domum rediêre, Danicæ & Hanoveranæ cum Cæsareanis in Ungaria ; veteranum verò corpus vel exercitus priora in Transilvania repetivêre hyberna.

Interea tertius à Guilielmo Rege Britanniæ ad Portam Ottomannicam designatus est internuntius Eques Paget, antehac extraordinarius ejusdem Regis ad aulam Cæsaream legatus, qui maturato itinere simili, imo solemniori cæteris magnificentiâ & benevolentiâ Belgradi & Adrianopoli à Vezirio exceptus, indefesso studio pacis promovit negotium. Cæterùm vix annus exierat, & magnus vitâ exiit Adrianopoli tyrannus Mahomet IV. quondam Turcarum Imperator, vitiis illaqueatus, & hucusque ab anno 1687. carceris vinculis, non serico strangulatus laqueo, Turcis consueto ; sed ut sentiret se mori, diu mortuus est, & sensim hic vivere desineret, ut pœnâ moreretur in inferno, ergastulo tyran-

Mors Mahometis IV.

tyrannorum sempiterno: Mustapha filius ejus aptior regimini, parum abfuit, ut qui captivitatis, fieret & socius mortis; sed diversum à patre genium principale cunctis admirandum vitam ei conservavit, ademit tamen libertatem. Circa idem tempus in Ungaria mortui sunt Comes Erdödus, Croatiæ Banus, & Marchio de Fleury, danubialis classis architalassus, ambo Viennæ deplorati, quòd ille eximius Christianitatis defensor, & vigilans hostium explorator; hic verò, quòd periculosa Danubii vada & brevia, gurgites, & voragines ubique magno exercitûs Christiani emolumento haberet explorata.

12. Calend. Maji familiari maximè Germanis consuetudine Fridericus Christianus Daniæ Regis filius Europam lustrans, Romamque deductus, ut urbis omnium celeberrimæ singularia monumenta scrutaretur & viseret, in Quirinali palatio egregia omnimodi honoris contestatione excipitur: ne enim Pontifex à sua religione dissidentes incivili odio aut contemptu prosequi culparetur, Principem ab aulæ suæ Præfecto salutari, & officiis omnibus honestari voluit, rejecto in alienam fidem odio, si non ipse Catholicorum Princeps advenam complecti, & præsens intimi affectûs & humanitatis signa deferre permitteretur, velut antiquioribus sæculis Romani Pontifices, Reges, & Regibus proximos suis ritibus consentientes devotionis, & genii ergo Romam deductos excipiebant. Deinde X. Calend. Jul. jam diu ab Innocentio XI. normam, quâ Pontifices Romani propensiorem in consanguineos affectum intra congruæ liberalitatis termi-

nos

nos coercerent, nondum elapso primo Pontificatûs sui anno decrevit Innocentius XII. Bullâ, ut vocant, seu lege super hoc editâ, quâ proventuum statûs ecclesiastici ultra signatam quantitatem in eos elargiri vetabantur, exscinderetturque obloquendi occasio, quam effusior aliquorum Pontificum indulgentia tum in palatiis extruendis, tum in aggerundis reditibus multorum animis non sine invidia & scandalo ministrarat. Ne ultra mortem statuenti necessaria auctoritas, & robur legi deesset, adduxit Innocentius præsentes omnes & absentes Cardinales, quin & futuros in prima dignitatis assumptione, ut ei subscriberent cum proprio cujusque juramento hos limites (nulli æquo judicio æstimanti angustos) non excedendi. Quo facto Innocentius toti Ecclesiæ grande moderationis & pietatis argumentum prærogavit, spemque fecit talis in statu regendo justitiæ, quæ suasoribus forma imitanda præluceret.

301. Rhenus in Germania ad ultimum usque Februar. congelatus magnâ tandem aquarum abundantiâ dissolutus, ingens quà navium, quà hominum intulit ubique detrimentum; ad futuram autem expeditionem ferventissimus ab utraque belligerantium parte fiebat apparatus; in Anglia Rex Wilhelmus postquam regni negotia, & campestrem maritimamque hujus anni expeditionem, utriusque Domûs seu parlamenti consilio & auxilio disposuisset, & exercitûs sui belliduces designasset, Harwicum in comitatu Ducum Wurtenburgensis, & Hasso-Darmstadiensis, variorum etiam legatorum Stratmanni

ni Cæsarei, Danckelmanni Brandeburgensis, Schultzeni Hanoverani, & Citters Hollandici profectus, Schovelii classe in Hollandiam cum aliquot equitum, peditumque legionibus trajecit, dum Regina Maria interim varios in se, Regemque conspiratores justis afficit pœnis, & carcerationibus, ac novæ auctorantur legiones; atque ita collatis cum Hollandiæ statibus consiliis Bredam, inde ad castra Belgii Gubernatoris Maximiliani Eman. Electoris Bavari Anderlacum se confert; quo etiam legiones Hispanicæ, Anglicæ & Hollandicæ properabant, 11510. equitum, & 53444. peditum, universim sexaginta quatuor millia, nongentos quinquaginta quatuor conficientes. Ludovicus quoque Rex Galliæ subornatis exercitûs & expeditionis suæ ducibus decimâ mensis Maji Varsaliâ abiit Montes Hannoniæ, ibidemque ipse 60000. militum suorum habuit delectum, quibus mox obsidione cinxit Namurcum inter Hannoniam, Brabantiam, Luxenburgum & Leodium situm, & terribiliter tormentis tribus in locis flagellat, nec minus fortiter urbem Dux Barbanzonus decem millium præsidio propugnabat, sternebatque Gallorum plurimos, terræ præsidio destitutos, quam aliunde huc deferre necessitabantur, simul & annonæ in castris invalescebat caritas: nec ideo Gallis animus deficiebat; sed Rex urbem, arcem Bouffleurus, & Villarius ad Sabim incredibili impugnabant impetu, quem intercidebat igneus ex urbe 31. Maji ejectus globus octo millionum libras nitrati pulveris incendens, vicinos mille quingentos dimachas Gallos con-

Gallus Namurcum capit.

contrivit, & licet defixum S. Nicolai castellum post quintum occupaverint impetum, oppidani tamen 5. millibus excurrentes, castrensia Gallorum valla destruunt, eorumque 3000. perimunt, quamvis præterea Dux Luxemburgicus 70. Gallorum millibus urbem inter & hostium castra oberrans confœderatorum motus vigilanter observaret, & omnes ad urbem obstrueret aditus; Bavarus tamen superato Mehaino fl. [quem terrea Galli munitione & 7. tormentis obfirmaverant] cæsis eorum 2000. captis 600. sex signis equestribus & 2. tormentis potitus subsidium aliquod urbi inferre voluisse videbatur, quæ ingenti tandem Gallorum furori cedens ultroneè se Ludovico 5. Jun. post ternam 25000. singulis vicibus impressionem submittit, cui Rex decem præsidiariorum millia imponens, arcem (quam Barbanzonus generosè non minus quàm fortiter propugnabat) 130. muralibus tormentis horrendè verberat. Ambo interea exercitus æqualibus utrimque viribus, singuli centum armatorum millibus valentes, sibi invicem approximarant, de urbis possessione quasi decertaturi, sed opportuniori gallicus loco inaccessibili, duobus conclusus fluminibus, magnam victualium aliarumque rerum passim interceptarum patiebatur inopiam, ideoque insaniente furore, & iteratis arcem premebat insultibus, qualis sanè 13. Jun. fuit admodùm 3000. cæde cruentus, Rege ipso & Delphino præsentibus, urgentibus, & certam fortiter dimicantibus auri mercedem promittentibus; ideoque locum seu præstructum aggerem, inspe-

ctante & condolente confœderatorum exercitu [qui propter loci inaccessum subvenire nequibat] tandem post obstinatum trium horarum certamen devincunt & occupant; sed mox Cohornius ex sua à se extructa excurrens munitione Gallos eodem loco (la Casatte) incredibili omnino fortitudine ejicit, & Sallines usque depellit, viasque eorum obsidionales adeo destruit, ut viderentur Galli urbem deserturi, tum ob pabuli inopiam, tum quod majora modò tormenta inde Philippopolim essent traducta, & vicinus uterque exercitus decertatoriâ tandem pugnâ rem confecturus, eò quòd Galli irrito etiam bis conatu S. Spiritûs propugnaculum impugnaverint. His tamen aliisque obstantibus difficultatibus labor improbus omnia vincit, adeoque indefeſsè Batavicam Cohornii impetunt munitionem, ut iteratis devicta impugnationibus sese submiserit, salvâ tamen incolumitate præsidiarii 23. Jun. more militari, expansis vexillis, & sonantibus tympanis exierunt; arx verò in viva rupe aliquot adhuc diebus arietata, & quaternâ impressione irritò tentata omnes Gallorum illusit comminationes; tandem autem ob annonæ & victualium defectum, ac præsidiariorum in solo pane & aqua inter tot gravissimos labores, & continua pericula diu victitantium discordiam Barbanzonus 1. Jul. quamvis invitus & coactus obtulit deditionem, alteraque die reliquum ex decem millibus præsidium 1600. cum aliquot tormentis, 2. mortariis, & consueto militari honore traduxit Lovanium; Rex autem perlustratâ urbe & arce

4. Jul.

4. Jul. inde cum Delfino, concubina sua Maintenon, & copioso gynæceo abiit Varsaliam.

Confœderatorum interea exercitus viginti millibus tum Brandeburgicorum sub Flemmingo, tum Leodiensium sub Zerclasio Tillio auctus, universim 61. millibus valens, Ducem Luxemburgicum Namurco cum suo 58. millium exercitu [alias legiones in superiorem Germaniam & oras maritimas , alias cum Bouffleuro ultra Mosæ tractum Condronum dimiserat , cui eò destinati Brandeburgici & Leodienses invigilabant] Soniam migrantem, & castra Steinkirchium inter & Angiam metantem est subsecutus: ubi illum Rex Angliæ Wilhelmus adorturus, proximum ejus castris silvestrem montem jubet 3. Augusti Ducem Würtenburgensem primo suo agmine occupare; hoste inde dejecto captisque ejus tormentis pugna non exigua utrimque cæde invalescit, & ad vesperum usque recrudescit; sed quòd iniquiori situ versarentur fœderati , ne equites suos accirent, & novis Bouflerus succurreret copiis & tormentis, magnum in monte confœderatis infert detrimentum , hinc Wilhelmus Rex ob noctem incidentem, & aliqualem suorum confusionem relictis sex campestribus in monte tormentis, quæ prius Gallis eripuerat, pugnæ satis cruentæ facit finem: Gallis ob amissos & vulneratos Duces, confœderatis ob gregariorum cædem fuit funestior: horum enim præter Duces ceciderunt gregariorum 3271. saucii fuêre 2937. Gallorum tum cæsi tum vulnerati 600. gregarii, Ducum autem plurimi, & ex tota legione regia vix qua-

Prælia inter confœderatos & Luxemburgum prope Angiã.

tuor mortem evaserunt, ad internecionem omnes perempti; nec ipse Dux Luxemburgus bino ejus trajecto equo procul mortis abfuit periculo, Galli sese pro victoribus gesserunt; sed cruentâ adeo victoriâ, ut hoc pretio pluries vicisse prope vinci foret.

302. 6. Idus Aprilis Londino decedit ad suos in Lusitaniam reditura Catharina, Caroli Anglorum Regis vidua, omnibus honestata officiis tum ab Anglis, dum regno discederet, tum à Gallis, per quorum fines commodo itinere divertit; præteritâ tamen Regis Ludovici aulâ, è qua plures ablegati sunt, qui transeuntem tum ipsius Ludovici, tum aliorum regiæ familiæ Principum nomine salutarent. Iter cœpit animo, aut saltem spe factâ in Angliam redeundi; sed quominus hactenus redierit, immutata rerum facies (quæ tunc abeundi causa fuit) necdum in priorem statum reformata effecit, Regis Catholicæ excidio Reginæ mentem eo dolore funestante, qui ne ad devotos sibi alioqui populos redeat minime est passurus. Reginæ discessu ædes sacra, quæ Londini unica supererat, in qua Romano ritu sacra fierent, occlusa est, secretisque precibus Catholici, qui bene multi in Anglia religionis avitæ observantes sunt, operari dein sunt coacti. Interea 8. Calend. Maji paratæ secretâ expeditione ultra 80. bellicarum navium, & 300. onerariarum classi, eique 30000. militum instructæ imperaturus Jacobus Rex, in Normanniam deducitur, ut in Angliam trajiceret; eo præmissis oblatæ veniæ libellis, si Wilhelmo exauctorato ad primam erga se fidem

dem rediret. Rebus absente marito gerendis Maria Auriaci uxor præerat; sed quod initi ab aliquibus Anglis Jacobo Regi consentientibus tractatus inopino eventu in publicam lucem prodiissent, rerum facie mutatâ, spe cadens Jacobus Rex Parisios, intentato facinore se contulit. Cæterum non in aperto solùm campo marte; sed in occultis etiam intimis Regis Galliæ consiliis contra Regem Angliæ Wilhelmum agebatur latrociniis: nam quia hic providenti suâ sagacitate omnia Ludovici Regis evertebat consilia, hinc in ejus necem aula conspirabat gallica, quam eidem præcedente machinatus est anno intimus Regis Secretarius, & deficientibus Regis Ludovici viribus aulæ & negotiorum primarius minister & director Marchio de Louvois, per Antonium Dumont intentandam; sed interrupta est subitaneâ Louvoisii morte, qui sane meridionatus dum secretiores cum Rege literas confert, malè sentiens à Rege digressus, domum suam vix subiens inclamat: morior, & eo ipso moritur. Hujus postliminiò filius Marchio de Barbisieux intimus etiam Regis Secretarius idem hoc anno promovit latrocinium per Bartholomæum Grandval Wilhelmo Regi inferendum: hic cum conjuratis, ut sibi videbatur, sociis Dumontio & Leefdalio sub ingenti spe præmii (20000. lib. annui reditûs, & equestris S. Lazari ordinis) necem Wilhelmi, excubias visitantis, auspicaturus, ab eisdem sociis proditur; Leefdalius nempe suis in Hollandia amicis rem aperuit, Dumontius Hanoverano Principi, hic demum Wilhelmo Regi; Grandvall igitur

Galli vitæ insidias struunt Wilhelmo R.

Eindhovii captus, & ductus Sylvamducis reus læsæ Majestatis convictus, ad mortem est condemnatus. *Vid. num.* 303.

Irrito hoc consilio, dicam an latrocinio, aliud aula gallica & Dna Maintenon (conscia & cooperatrix) moliebatur, propitio devovendum Neptuno, si Russelium Architalassum Britannicum suas in partes posset subdolè pervertere; nec Eduardus Russelius promisso sibi 20. millionum pretio videbatur gallici propositi alienus esse moliminis, quod secretissimis fovebat literis, & simulatis correspondentiis, conscio tamen omnium & permittente Rege Wilhelmo, ut intimas sic Gallorum introspiceret, exciperetque machinationes, nulli nisi soli Regi & Russelio secretissimas. Galli spei jam certi, duos Russelio anticipativè numerant milliones, reliquos octodecim re peractâ propediem numeraturi, sicque ingentem & formidabilem militarium 97. navium [præter alias 66. onerarias, incendiarias &c.] classem sub candido Architalassi Comitis Tourvilli aplustro instruunt, 40299. epibatis seu classiariis, & 5181. tormentis bellicis munitam: nec minor, sed terribilior Anglo-Batavica militarium (præter alias) 99. navium classis erat, 40650. classiariis, & 6994. bellicis machinis, sub rubro Russelii aplustro instructa. Igitur 29. Maji ambæ in altum provolant classes, Gallique haud procul Barfleuro Anglo-Batavicam classem conspicientes, sine mora Batavicam ex condicto irruunt; Russelius autem Anglicanam suam sensim à Batavis retrahens, expositoque candido similis gallici coloris aplu-

Naumachia ex proditione Gallis malè cedit.

stro

ſtro, quaſi ſe illis conjuncturus, Batavicam à Gallis affligi claſſem permittit: pugnatur utrimque ſtrenuè, & à Gallis eò generoſiùs, quo certius ſibi victoriæ palmam ex Ruſſelii aſſiſtentia pollicebatur; ſed ecce in medio certaminis fervore Ruſſelius circa meridiem ad Batavos ſe convertens tanto Gallos impetu & tonitrali tormentorum fulmine adoritur, ut maritima Normandiæ Depas, aliaque vicina oppida tremefacta, & feneſtræ fuerint excuſſæ: Gallis inſperatò ita circumventis, hìc quædam eorum naves correpto ab igne nitrato pulvere in aëra evibrantur, illic in altum ſubſidunt & demerguntur, aliæ incenduntur, truculenterque adeo tota Gallorum claſſis [adverſante ſibi imprimis vento] affligitur, ut fugam ocius corripuerit; cujus perſecutionem maris poſtmodum impedivit malacia, quâ ceſſante Britannicus cærulei apluſtri talaſſus Aſchbius quatuor omnino horis eam inſecutus, tres Gallorum naves diſruptas ſalo immergit; alterâ pòſt die gallica claſſis vix aſſequibilis, trigeſimâ autem primâ ab Anglo-Batavis rurſum invaſa adeò eſt coanguſtata, ut in confuſionem adducta AlDernam fugerit, & 1. Jun. prætoria Tourvilli navis à talaſſo de la Vall, & Capitaneo de Wicke impugnata periit incendio, quod vix Tourvillus & 12. ejus Capitanei ſcaphâ ſeu horiolâ ſubterfugerunt. Architalaſſus itaque Ruſſelius tredecim gallicas cepit naves, ſex incendit, & ad Inſulam Wicht olim Vectam ſex, & Maclopoli etiam ſex luxatas reddidit inutiles. Architalaſſus Batavicus quoque Allemondus 14. naves gallicas compre-

prehendit, quinque inflammavit, & sex in brevia impegit, sicque tota Gallorum classis fœdissimè dissipata, partim capta, partim exusta, partim salo submersa numero ferme quinquaginta sex, quo & aliquot epibatarum, & duodecim armatorum millia igne & aqua periere, Anglorum verò navis (quod mireris) non periit unica. Infausta hæc naumachia Jacobi Regis animum in tam desperatam dejecit perturbationem, ut in occulto orbis angulo imposterum sibi vivendum Ludovico XIV. scriberet, dolerque ejusdem Regis copias gloriosè hactenus triumphantes, in sua nunc causa devictas occubuisse; malum præterea augebat. Jacobi hybernicarum in maritimis oppidis copiarum seditio, quæ auditâ gallicæ classis jacturâ ad Anglos declinantes, in Gallos arma convertebant; sed auctoribus tempestivè percussis, quædam in Pictaviam, aliæ in Flandriam, in Cataloniam quædam sunt amandatæ, Anglia econtra & Batavia gloriosè ubique triumphabant bene meritis condigna distribuentes præmia.

Classis gallica internecivè deleta.

Tourvillus interea Malcovium, seu Maclopolim cum 16. militaribus confugerat navibus, quibus, & aliis 40. onerariis, vectoriis &c. super anchoras ibidem stantibus, quia hostiles imminere ignes, aut exscensionem metuebat, portum & urbem variis adhibitis machinis communit, portûs aditum demersis concatenatisque navibus occludit, naves malis, rudentibus, anchoris, velis, tormentis &c. exonerat: aggeribus & tormentis circumquaque magno studio & labore corroborat; subsidium tamen

pro-

propediem 30. navium classem ex portu Brivates expectabat; quam Anglo-Batavi intercepturi 28. Junii Malcovium provolant; at quia ob tormentorum etiam in maris cautibus expositorum multitudinem nequibant urbem accedere, exscensione Barffleurii, alibique factâ, cùm provinciam incolis reperirent procul aufugientibus orbatam, & Bellefontium suis cum copiis contranitentem, magnâ deinde lacerati maris tempestate, in Angliam remeare sunt coacti.

303. In superiori autem Germania Marchio Baireutensis & Hasso - Casselensis in nullum Gallos certamen hactenus potuerunt pellicere; ultimâ tamen Augusti motis Schwetzinga castris, transmissoque rheno Gallos Spiram se proripientes, hic per viam regiam, ille per silvam diviso exercitu insequuntur; sed quia Galli loco ad rivum Spirensem opportuno militari tumultuariè sepimento cincti vix aggredi potuerunt, actum est solùm utrimque tormentis, occubuitque præter ducentos circiter alios franconicus vigiliarum præfectus Samuel Seudert de Leynd in 54. sua militari expeditione, anno ætatis octuagesimo. Inde confœderatus exercitus Neapolim Nemetum contendit, unde 200. tempestivè Galli decesserant: tum arces Neo-Leinigen & Stauffen intercipit. Sub hæc Galli Pfortzheimium capto præsidio occupant, quorum ulteriores in Ducatum Würtenburgensem barbaré ab illis devastatum progressus Dux Würtenburgensis Fridericus Carolus oppessulaturus, cum 4. legionibus equestribus Entisheimium contendens, reliquum ibidem expectat exercitum, Dux Wurtenburg. à Galliis opprimitur & capitur.

quem ibidem inopinatè imparatum hostis crassæ beneficio nebulæ toto suo opprimit peditatu, ipsumque Ducem administratorem, egregiè quamvis duorum Gallorum cæde sese defendentem & saucium capit, Parisios abductum; jamque etiam alterius Ducis Ludovici equestre frænum Gallus apprehenderat, cujus caput simul & frænum Turca, Ducis famulus, uno rescindit ictu,& dominum liberat; jactura quidem principio ferebatur haud exigua; sed legionibus undequaque ad castra confluentibus, mille deesse reperti sunt; totumque Marchio exercitum transmisso rheno Hailbrunnam traducit, dum interim Hasso-Cassellensis arcem impetit Ebernburgum, altæ rupi in tractu Hunnorum haud procul Creutznachio insidens:quod quia exRegis Imperio succurrenti Mareschallo Duci de Lorge viribus omnino impar Hassus esset deserens, & rhenũ navali ponte transiens,per Rheingaviam pergit Moguntiam. Et quia in hac superiori Germania hujus anni expeditio minus feliciter successerat, Suevicus Ulmæ congregatus Circulus Gallorum fortunam & stratagemata etiam sub hybernis metuens, Ludovici Badensis ex Ungaria Viennam cum conjuge adventantis præsentiam, consilii & auxilii causâ à Cæsare, cum plena ejusdem auctoritate & potestate suppliciter rogat, ut inclytissimâ, perque Orientem & Occidentem celebertimâ suâ militari scientiâ & experientiâ Gallorum sequentis anni machinationibus anteverteret. Hoc Suevorum desiderium & votum vix in aula Cæsarea locum invenit, interpositione demum Marchionis Bayreu-

reutensis à Suevico simul & Franconico circulis interpellati, reiq; periculum & necessitatem Viennæ coram demonstrantis, Ludovicus Badensis ad Rheni Tractum in imperio à Cæsare archistrategus designatur, illucque amandatur. *Vid. num.* 310.

In Comitatu autem Namurcensi marchio Boufleurus, & Comes de Montal Caroloregium 18. Octobr. tumultuariè oppugnant, spe brevì, antequam succurrerent confœderati, expugnandi; sed incensis tantummodò 40. circiter domibus 23. Octob. turpiter coguntur abscedere; inde 26. Decembr. idem Boufleurus cum 18000. Huyum ad Mosam (cui vicinum oppidum Staat Comes Guiscardus 13. Novemb. capto præsidio, duabus scilicet exercitatæ militiæ centuriis, crudeliter expilarat) irrito quoque conamine, & capto tantùm D. Catharinæ suburbio aggressus, magno post biduum dedecore, & 1200. suorum strage debuit deserere, insigni equorum detrimento, quorum magnus ibidem numerus factus est inequitabilis. Felicius oppidum Fournes deditione 6. Jan. 1693. intercipit, præfectumque Com. Hornium cum præsidio Neoportum more militari cum 2. tormentis dimittit. *Vid. num.* 311. Paulò ante hanc occupationem Tallardus 17. armatorum millibus Rheinfelsiam toties desideratam tentaturus, usque dum res tormentaria Monteregio adduceretur, oppidum S. Goaris ad pedem montis, seu Rheinfelsiæ situm, irritò invadit; nihilo tamen minus arcem 20. Decemb. tormentis acriter arietat, spe octidui occupaturus; præsidiarii au-

Caroloregium frustra à Gallis tentatur

Uti & Rheinfelsia.

autem æquè generosè excurrentes Gallorum 400. prosternunt, & Tallardum adeò sauciant, ut ille translato in Gen. Saxim obsidionis imperio castris debuerit excedere. Tentant tamen medio noctis 22. Decemb. tam in oppidum, quàm arcis propugnaculum impetum, utrobique fortiter ternis vicibus repulsum, eisque haud exiguum ex arce Catz, seu neo Catzenelenbogen, è regione ultra rhenum inferebatur detrimentum; quo necdum deterriti Galli sexdecim pyrobolariorum centuriis furiosum in turrim Maissen faciunt impressionem, & post trium horarum certamen exteriorem muri fossam obtinent. Unde præsidiarii resumptis animis leonum instar in Gallos irruentes horribili eos cæde ejiciunt: decretorium demum tentant assultum; sed irritum quoque, & suorum 1200. cæde cruentum. Galli cùm vix quidquam gravi suâ efficerent jacturâ, & Hassorum jam prope sylvam Esch adesset subsidium, remissis tumultuariè Ebernburgum tormentis, accumulatisque obsidionalibus instrumentis ignem subjicientes 2. Januar. 1693. inde cum jactura 4000. gregariorum, & 50. centurionum &c. præter Regis, faustiora sperantis, opinionem turpi fugâ discesserunt.

Terræ motus & eluvio per Europam.

304. Hoc eodem anno, 15. Augusti, alii 18. & 20. mense Septembris terribilis per Europam fuit terræ motus, per Germaniam, Belgium, Hollandiam, Angliam, Galliam, & Italiam cum ingenti hominum, templorum, & ædificiorum detrimento: in provincia Forojuliensi ditionis Venetæ 177. pagi & oppida devastata, ali-

aliquot hominum millia submersa, & mons Cargna in fluvium Tajamentum præcipitatus cursum fluvii aliquot inde milliaribus divertit. In calabria mons est apertus, ex cujus hiatu flumen ingens tanto prorupit impetu, ut arbores, pecora, homines & pagos abriperet. Pluit etiam tanta imbrium copiâ, ut novo se diluvio perdendos homines arbitrarentur: integri pagi aquarum eluvie stirpitus abrepti, sabuli, & arenarum abundantiâ agri oppressi, valles oppletæ, obrutæ domus. Extemporaneo hoc portentó arbitram Dei potentiam in rebus humanis addiscat, qui illam quasi leviusculis argumentis demonstratam negligit vereri. *Vid. num.* 305. Hi terræ motus etsi alicubi fuerint perbreves, omnibus tamen, & quibuscunque incusière tremorem, præterquam Galliæ Regi Ludovico XIV. ad cœli, terræ, hominumque minas semper impavido, qui unus contra omnes, & omnes contra unum; cujus in Sabaudia archistrategus Catinatus hunc assiduè Ducatum moliebatur subigere; hinc justum ex Gallia expectabat, sed irritò, subsidium; eo quòd major militiæ gallicæ pars in Belgium esset destinata; neque secretissima Ducis Victoris Amadei consilia, quo tenderent, poterat expiscari, eorum licet indaginem à primario Ducis ministro conaretur auri corruptione elicere: & quia quotidie per quater mille monticolas & milites à Villa Franca Cuneum usque per montes & rupes viam sternebat, huic Sabaudus oppido metuens, firmius, quàm per hyemem fecerat, adjicit robur; & invigilantes ubique Germano-Sabaudi gallicos

In Sabaudia utrimq;' molimina.

ex-

excursores, ac contributionum Turinum usque collectores sæpius non sine sanguine rejiciunt.

Sabaudus magno roboratur subsidio.

Nec feriabantur Vallenses tam Lucernenses, quàm alii Pedemontani Gallis qua ferro, qua igne, qua direptione magna inferentes detrimenta: imo insignis undequaque non procul Pancale confluebat confœderatorum 45000. exercitus, Hispanorum scilicet ex Ducatu Mediolanensi 20000. Cæsareanorum 15000. & profugorum Sabaudorum 10000. Catinatus autem vix ultra 12000. numeraret, quibus longè viribus impar, haud iniquis Regis sui imperio Sabaudum conditionibus ad pacem sollicitat; sed quia Rex justam ablatorum restitutionem, & Pinarolii, Casaliique destructionem denegaret, Italicos deinde Principes, Pontificem & Venetos in suas contra Sabaudum partes, quamvis irritò, conaretur allicere, Victor Amadeus habito cum Gubernatore Mediolanensi, Caprara, Commercio, Palfio, aliisque belliducibus suis militari Turini consilio rejiciens armistitium, 30. Junii duo pabulatorum millia sub 6000. armatorum protectione Pinarolum dimittit, qui horâ ab urbe ingentem frugum copiam unius diei spatio, frustra Pinarolensibus continuò explodentibus, ad castra contulerunt; Catinatus verò Susam inter & Pinarolum hucusque considens, advocatis quotquot posset copiis, pone Pinarolum loco admodùm opportuno, & inaccessibili castra 17000. armatorum metatur: qua de causa ex militaris rursum consilii decreto Palfius cum exercitûs medietate Pinarolum includit, altera medietate ipse Amadeus

deus Cæsarearum in Italia copiarum generalissimus, Caprara, Dux Schombergus cum Valdensibus, Lovignus cum Hispanis, Parella, aliique belliduces cum aliquot mille diversi generis armis ad induendos vernaculos seu popularem militiam per vallem Barcellonetensem in Delphinatum 20. mensis Julii tribus diversis irruit itineribus; quo Ducis motu intellecto Catinatus sine mora marchionem de Vins ad Vallis Barcellonetensis introitum cum aliquot amandat legionibus, ut advocatâ ad se Provinciæ & Delphinatûs militiâ non harum solùm provinciarum (unde omnis illi adducebatur commeatus) conservaret communicationem; sed ulteriorem etiam hostis impediret progressum & excursiones; aliam 4000. turmam ad montes Delphinatûs Brigantinos obstruendo accessus destinat, ipse cum reliquo etiam exercitu in Delphinatum aditus Provinciæ tuendi causâ contendit, cujus ad Pinarolum castra Marchio de Lorroy cum suis Susâ adveniens turmis occupat; sed Amadeus Dux magnâ præveniens per altissimos montes celeritate primum Pedemontium inter & Delphinatum accessum oppidum arcemque Guilestrem cum septingentis præsidiariis, dein Barcellonetam, aliaque oppida deditione capit. 3. Augusti Commercius cum emissitia levis armaturæ turma pontem ad fanum D. Clementis recognoscens 500. Hybernos in fugam ad montana adigit, metatisque ibidem castris totus 4. Augusti exercitus Embrunum cingit obsidione, quod Galli variis quidem excursionibus & tormentorum ejaculationibus generose aliquamdiu

Delphinatum invadit.

Capit Embrunum, Vapincum &c.

diu propugnarunt, decima tamen quinta Augusti præfectus marchio de Larre ultroneam obtulit deditionem, pactâ abeundi libertate, nulli ipsius Ludovici Regis judicio par aut sufficiens impressioni sustinendæ; fuit tamen hac in urbe gallorum granarium, repertaque ibidem sunt 8000. farinæ maldra, 250. muli, & menstruum totius exercitûs stipendium cessit victoribus. Deinde Vapin cum omnibus omnino incolis & civibus ad montana fugitivis vacuum confœderati occupant, & de inventis ibidem laute vivunt. Interea Princeps Eugenius mille quingentis armatis longiùs in hosticum progressus, Beaufinum, Villarium, fanum S. Cremini, Evilles; aliosque pagos militarem denegantes collectam ferro vexat & igne, illatasque germanus miles vendicat injurias; ne vero ultra progrederetur Bocchevillerus ad oppidum Alay mille equitum turmam opponit.

Ceterum amadeus tantum per totam provinciam circumferebat terrorem, ut ultrâ octo mercatorum & indigenarum millia Lugdunum confugerent, quibus ibidem archiepiscopus ob neoconversorum urbem intercipiendi metum portas occlusit, uti & Viernæ, Valentiæ ad Rhodanum, & Delphinatûs metropoli Gratianopoli factum est: & quia hic Gratianopoli bellicus deficiebat apparatus, omne stannum conflabatur in globos, & præsidium ad quinque millia augebatur, archivum cum omnibus scriptis, templorum ornamenta, thesauri & totius civitatis pretiosa Lugdunum tempestivè sunt translata; Sed intactâ Gratianopoli Amadeus Embruni

Quæ Dux postmodum deserit.

bruni possessionem aditurus, ejusmodi homagium à civibus & archiepiscopo postulavit, quale Regi Galliæ præstare coactus episcopus Nizensis; quod ille recusans cum Cardinale Camo aufugit Gratianopolim. Poterat Amadeus plus ultra, si metropolim Gratianopolim occupasset; sed variolis affectus, & Catinato variis indies subsidiis confirmato, non sine confœderatorum stomacho deserens occupata regreditur; nam postquam Embrunenses incolæ pro incendii condonatione 58000. libr. persolvissent, & per cuniculos tribus in locis urbis muros evertisset, 17. Septembris inde discedit, quam mox tribunus de Vins cum 200. peditibus subiens, pontem ibidem; uti & ad fanum S. Clementis & Savines reparat. Vapincum etiam cum metropolitana ecclesia flammis subjectum est totum, præterquam 200. ædificia, episcopale palatium, omniaque templa & monasteria conservata; sed quia confœderati subodorabant tractatum contributionum, earumque solutionem ab incolis & nobilitate ideo differri & longius tardari, ut Catinatus majoribus interea roboratus copiis, omnes confœderatis elabendi aditus firmiùs obpessularet; hinc omnibus trucidatis incolis, totam in acervum lapidum urbem redegerunt, & circumquaque 60. pagos incinerarunt: Turmæ subinde versus Gratianopolim emissæ, 400. arces, oppida, pagos & urbes flammis devastarunt, ultra 200000. maldra siliginis ruri in hostium conspectu igne consumpserunt, multa granaria spoliarunt, 50. boum, vaccarum, equorum, mulorum &c. millia deprædarunt, &

Delphinatus à confœderatis devastatur.

& miles ditiſſimis locupletatus eſt ſpoliis; atque ita Delphinatus aliquot millionum detrimento hac Sabaudica affectus eſt expeditione. *Vid. nu.* 307.

Ludovici Pariſiis ſtatua, Viennæ SS. Trinitati pyramis erigitur.

Nihilominus Pariſiis publico Regis monumento fuſa ex ære, & erecta Ludovici XIV. ſtatua, pondo 80000. monarchicæ ſuæ potentiæ & magnificentiæ ſymbolum; en etiam ſuperbi regis Nabuchodonoſoris ſtatuæ, inanis abs Daniele vanitatis interpretatæ æmulam? Nec erubuit ædepol, ſuam velut deum adorari ſtatuam: quod Herodes olim *Actor.* 12. 22. affectans, confeſtim ab angelo Domini percuſſus, & conſumptus à vermibus expiravit. Non dico Ludovicum ideo occulto inguinis morbo, quem nominare pudet, & medici fiſtulam ani indigitant, percuſſum, non ſine mortis periculo; ad cujus curationem medici undequaque per Europam inquiſiti, celeberrimus tandem Norimbergenſis Chirurgus Sutorius per cæſuram, demptâ notabili carnis portione, curavit, in ulteriorem Europæ, & imprimis Germaniæ caſtigationem, dicam an flagellationem; quòd menſura necdum adimpleta eſſet. Econtra Viennæ Auſtriæ à Leopoldo Cæſare piiſſimo elegantiſſima pyramis ex marmore, alta pedes 66. SS. Trinitati dedicata, & ab ipſa auguſtiſſima manu variis exornata eſt inſcriptionibus; qualis à dextris erat hæc: *Sanctiſſimæ ac individuæ Trinitati Ego Leopoldus, humilis ſervus tuus gratias ago, quas poſſum maximas, pro averſa anno MDC. LXXIX. per ſummam benignitatem tuam ab hac urbe, & Auſtriæ provincia dira peſtis lue; atque in per-*

perpetuam debitæ gratitudinis tesseram præsens monumentum demissè consecro. à sinistris: *Suscipe clementissime Deus servi tui, demissè te adorantis, vota; & me, conjugem, liberos, domumque meam, populos & exercitus meos, regna & provincias continua misericordiæ tuæ protectione guberna, custodi, defende. Ita VoVI anno DoMInI saLVatorIs nostrI IesV ChrIstI.* Et hæc vota publicè annuâ hucusque renovata sunt devotione, & processione. Ibidem Viennæ Austriæ nascitur Maximiliano Electori Bavaro, & Belgii gubernatori ex Maria Antonia Austriaca Hispaniæ Infante, Leopoldi filia, bis hactenus velut abortiva, feliciter tunc 18. Octobris filius, Josephus Ferdinandus Leopoldus. &c. eodem vespere abs Nuntio Apostolico undis baptismalibus renatus, cujus mater gravi affecta ægritudine; respirans quidem aliquamdiu restituta, sed recidiva 24. Decembris vespere summo omnium, Electoris imprimis & Cæsaris dolore diem clausit extremum.

Institutus præterea à Leopoldo Cæsare nonus imperii Rom. electoratus, ac ducali familiæ, seu Domui Brunswico-Luneburgicæ, ejusdemque descendentibus masculis juxta ordinem primogenituræ collatus cum electorali insigni & officio vexillariatûs. Hanc dignitatem anno MDCLXXXX. apud electorale collegium Augustæ Vindelicorum in Josephi I. Neo-Regis Rom. electione arduè à prædicta familia sollicitatam, & quadantenus obtentam Georgius Wilhelmus senior, quia improlis, fratri suo Ernesto Augusto, Episcopo Osnabrugensi cum Ducati-

Electoratus nonus domui Brunswico-Lunæburgicæ conceditur.

tibus Brunswico-Luneburgico, Cellensi, Calenbergensi, Grubenhagensi, ac Comitatibus Hojensi & Diepholtensi, ceterisque dependentiis ac pertinentiis electoratui huic perpetuò annectendis cessit. Cujus primam quoque investituram hoc anno præfatus Ernestus Viennæ per legatos suos Ottonem Baronem de Groot, & Christophorum de Limpach 19. Decembris à Leopoldo Cæsare accepit, tum propter eximia antiquissimæ hujus familiæ in Rom. Imperium merita & fidelitatem; tum propter militare 6000. contra Turcas præstitum subsidium &c. Hac dignitatis collatione Cæsar obtinuit mutuam à Principe gratiam, quâ se hic obligavit liberum permittere Romano-Catholicis in subjecta sibi provincia religionis, & sacrorum suorum usum; qui Protestantium Principum faciliori indies genio in omnibus ferè Germaniæ partibus reviviscit. Habuit autem ob religionis catholicæ periculum contradictores electores Trevirensem, Coloniensem & Palatinum; ceteros Moguntinum, Bavarum, Saxonem, & Brandeburgum approbatores; Principum verò collegium rejiciebat omnino, quòd Cæsar se inconsulto potentissimum membrum à principali abstractum collegio insereret electoratui, & vexilliariatûs insigne jam olim à tot seculis Principibus Saxoni & Würtenbergensi concessum, in nonum transferret electorem: quod negat Luneburgicus, & enervatis Würtenburgici rationibus per Kulpisium ad Comitia Ratisponensia delatis, suam cum hac probat distinctione & differentia sententiam; Würtenbergico scilicet

con-

concessum esse vexillum militare rubrum Sturm Fahn/ vel Auffboths-Fahn/ cum unicipite aquila, in cuspidem obliquatum; Luneburgico autem vexillum imperiale Reichs-Pannier quadratum cum bicipite aquila. Uti hanc differentiam notat Pfeffingerus *in notis ad Vitriacii jus publ. lib.* 3. *tit.* 13. *num.* 25. Sed tempori res commissa est; quæ enim ratio non potest, sæpè tempus sanat: nam ad annum MDCCVIII. dilata, solennis consuetaque in electorale collegium introductio pacificè est adimpleta.

In Africa Muley Ismaël Rex regni Fezzæ & Marocci in Mauritania Tingitana, seu Barbaria post cladem acceptam cum Algeriensibus pacificitur. In amplissimo autem Sinarum regno ab Imperatore concessa est libertas propagandi toto regno religionem Romano-catholicam, magno ecclesiæ emolumento. **Fides catholica in Sina.**

Annus 1693.

305. Initio anni MDCLXXXXIII. insulæ circum Italiam Sicilia, Calabria, & Malta tristissimo terræ motu 9. 10 & 11. Januarii sunt concussæ: Sicilia in mari mediterraneo insula omnium maxima & fœcundissima, Romanorum olim horreum, seu granarium, Italiæ, seu terræ firmæ, ut scribunt veteres, annexa, ab ea postmodum per mare Siculum separata, ingentem & horribilem passa est ruinam; per medium namque horæ quadrantem urbes venustæ decem, oppida muris vestita 40. castella & arces plusquam centum collapsa, terræ hiatu, vel mari **Horribilis in Italia terræ motus.**

terribiliter ſunt demerſa; hominum autem plura centena millia ruinis miſerè ſunt involuta & occiſa. Auguſta celebris regni civitas terrâ abſorpta eſt, mari locum ſupplente; Catanà prope Ætnam, cujus flammas, cineres, & lapides ejectos ſæpius velum S. Agathæ prohibuit & retroegit, tunc cum incolis terræ motus devoravit pene totam, maris ibidem æſtus terminos egreſſus magnam terræ partem inundavit; unde homines ad montem Ætnam fugientes, ejus flammis & lapidibus ad 6000. ſunt proſtrata: alii ad metropolitanam confugientes, peccata deplorantes, & miſericordiam Dei inter miſſæ celebrationem implorantes, altero terræ motu templum concuſſum, omnes 1600. præter ſacerdotem celebrantem miſerabiliter oppreſſit: adeo in hac una civitate ultra 16000. hominum ruinis ſint contrita; prætereo Syracuſas, Meſſinam, aliaſque urbes & oppida funditus adeo everſa, & ſepulta ut Sicilia ad priſtinam vix unquam venuſtatem ſit reſurrectura. *Vid. num.* 314.

Inde Julios tranſiens montes ſeu alpes, in Pannoniam devenio, ubi ad futuram expeditionem nihil omittebatur conſilii, nihil apparatûs, ad eamque Cæſar confœderatos Polonos & Venetos urgentibus excitabat rationibus & argumentis; ſed promptam generoſamque Poloni regis Joannis II. Sobiezki voluntatem comitiorum retardabat diſcordia: Venetorum Dogus ſeu Dux Franciſcus Maurocenus ſperabatur rem reſtituturus, ideoque expediebantur omnia ſingulari ſtudio quàm citiſſimè: Cæſar etiam

Leo-

Leopoldus Ungariæ Rex ut generoſos Martis Heroes ad majora animaret, in grati animi ſignificationem, inque perpetuum familiæ Badenſis monumentum tot graviſſimis ſimul & feliciſſimis glorioſum expeditionibus & victoriis Ludovico Wilhelmo Comitatum Gunsburgenſem cum oppido & arce, Ulmam inter & Auguſtam Vindelicorum ſitum, liberali largitus eſt donatione; cui quoque Carolus II. Hiſpaniæ Rex vellus aureum in generoſæ fortitudinis argumentum per Eugenium Sabaudiæ ducem ſubmiſit. Donatus Häuslerus autem propter eximiam ſuam militarem prudentiam generalis belli commiſſarius eſt deſignatus loco Comitis Caraffæ: nominato etiam ad aulam pontificiam alio legato, inde Princeps Lichtenſteinius Viennam eſt revocatus. Badenſi Comit. Gunsbergenſis, & vellus aureum donatur

Soldanus Achmet è contra Tefterdaro ſuo, ſupremo theſaurario ob crudeles nimium exactiones, & ſtipendia militibus, in ſeditionem propterea effuſis dilata, ſericam donavit reſtim: & quia in ſordidam hujus tyrannidem ſupremus Vezirius à Soldano juſſus non animadverterat, ſed defenderat, & hunc quoque cum Janizarorum Aga, & aliis quæſtoribus laqueo tolli jubet: habuit ille quidem deprecatorem vitæ Kaimakam, qui ſubdolus erat officii & dignitatis ejus æmulator, ad perpetuos tamen damnatus carceres, ſigillum & Veziriatum transtulit in dictum Kaimakam Muſtapham: in hujus autem officium (urbis ſcilicet gubernatoris) ſucceſſit Candion Oſman. Ambiverat quoque tunc temporis certâ ſpe plenus Tôckelius Walachiæ Officiorum mutatio apud Turcas.

Hospodaris, seu Ducis, non sine veneni suspicione necati, principatum; verùm & hic honestè repulsus, & junior defuncti filius à Walachis electus, & à Soldano est confirmatus: atque ita pari passim vicissitudine pleraque apud Ottomannicam Portam immutata sunt officia & dignitates, continuis fortunæ rotis, immo mortis plerumque falcibus subjecta; apud quam varii alterius nationis, ni fallor gallicæ, se insinuarunt pyrotechnites ballistarii, & machinatores bellici, qui firmiores castra roborandi operas, facilioremque urbes breviùs occupandi artem & methodum offerentes, Ottomannorum animos ita capiebant, ut invisâ rursus pace horrenda passim Martis cuderent fulmina, & ad expositum Adrianopoli Mahometis vexillum Muselmannicæ undequaque copiæ confluerent, Belgradum ad maturandam expeditionem destinandæ, dum Constantinopolis interim toto ardet biduo, domibus & tabernis fere 14000. exustis.

Variæ utrimq; partis excursiones.

Jam tum Turcæ Temeswarium annonâ instruendum submittebant rusticos; sed impedierunt, repuleruntque Hungari: bis mille Belgradenses Essecum exploraturi ob attentam præsidiariorum vigilantiam abstinentes, totam latè viciniam igne & ferro crudeliter devastant, & innumeros abducunt captivos, quorum partem mox expediti ab Ogilvio Esseci præfecto 800. equites ad oppidum Brazenicum offendentes, incenso mox oppido 200. delent barbaros, capiunt 300. redimuntque plures Christianos, & prædam non contemnendam: & quia iidem

Bel-

Belgradenses iteratò Petrowardinum & Tituli-
um usque excurrentes haud exigua inferebant
damna, magnis illud incrementis ad quemvis
impetum sustinendum præsidiarii communiunt.
Interea Sibertus Heisterus (alii Häuslerum
ajunt) germanicis aliquot & ungaricis legioni-
bus Giulam & Jenoum arctius includit; & hoc
quidem, Jenoum, invasurus, urbem in Tran-
silvaniæ finibus muris, propugnaculis, foveis,
interfluente fluvio Keres, & quadriturritâ arce
probè munitam, ejusdem suburbium, locum
urbis oppugnationi percommodum per præ-
missos hungaros equites & pedites 17. mensis
Maji circumcingit: deditionem postulanti offe-
runt, si biduo succursus non adveniret; quo
quia spatium acuendæ defensioni & resistentiæ
sublatis domorum interim tectis prolongare
præsidiarii videbantur, Heisterus muros conti-
nuè tormentis arietando tantum dejicit inter-
vallum, ut ultroneam 27. Maji offerrent tra-
ditionem, modò incolumes more & honore
militari dimitterentur, quo negato cum armis
& sarcinulis quisque suis, sine vexillis & tympa-
nis tamen die 29. ultra Lippam versus Temes-
warium sunt deducti. Similem quoque dedi-
tionem fecerunt præsidiarii validissimæ arcis
Philogawari: quod licet Turcæ ægre ferrent,
prætereaque in Syriæ unica Aleppo urbe pestis
30000. hominum devorasset, & in Arabia in-
gens Rebellium 40000. exercitus captâ ad si-
num Persicum Bassorâ tum ferro tum aqua
14000. Turcarum ad Euphratem internecioni
dedisset, & quod pejus, in intercepta navi,

Jenoum deditione capitur.

Variæ Turcarum clades.

ſeu Caravana, ut vocant, 1500000. numeratæ pecuniæ, præter varias merces in prædam hoſti ceſſiſſent: hæc, inquam, licet maximâ Portam Ottomannicam afficerent jacturâ & turbatione; magnificis tamen Gallorum promiſſis (quòd eorum Rex intima hoc anno Imperii Rom. viſcera certo eſſet penetraturus) effaſcinati, pacis caduceatorem Pagetum iteratò pacificationis media ſuggerentem audire recuſantes, militarem Chriſtianorum claſſem, magno audentibus propoſito præmio, incendere moliuntur: quo fruſtrati Seraskieri conſilio omnia ad Savi tractum oppida & munitiones Brodium uſque occupare, demoliri, & totam latè regionem, antequam in campum prodirent Chriſtiani, depopulari intendunt, tùm ut his Belgradum invaſuris, quod metuebant, tollerent ſubſiſtentiam, tùm ut ſibi liberum in Sclavoniam, & Brodium intercipiendi aditum aperirent. Primum eorum impetum ſuſtinet Babinagredum, in danubii inſula opportunè à Kyba Brodii præfecto robore aliquo indutum: magno hos Kyba ſilentio tumultuariè aggreſſus in confuſionem actos repellit, fugitivosque ad naves onere ſuppreſſas danubius ingurgitat, cæſis pluribus, captisque decem militaribus ſignis, Kyba Grazininam in Boſnia, excurſionibus hactenus moleſtam, impetu rapit, & glorioſus ſpoliis captivisque dives Brodium revertitur.

Turcarum vaſtatio ad Savi tractum.

Interrupto hoc Turcarum conſilio, illisque quieſcentibus 24. die menſis Jul. Cæſareus movet exercitus cum parte claſſis Michalovam, Salan-

lankemenum, & Petrowardinum, ubi die 31. convocato bellico consilio decreta est Belgradi impressio, sat copioso præsidio, & duplicibus vallaribus sudibus, aliisque munitionibus per Cornarum machinatorem roborati: quo militari astu evacuando, Carolus Dux Crojus [qui tunc præerat exercitui, Badensi in Germania contra Gallos præfecturam agente] literis ad Veteranum in Transilvania datis Temeswarii fingit obsidionem, ipsius simul curâ promovendam: illis studio interceptis Turcæ magnam præsidii Belgradensis partem, machinas bellicas eò dimittunt, dum interim Crojus parato Savum ponte trajicit, obnitentibus frustra Turcis, & tertiâ mensis Augusti factâ à Danubio ad Savum circumvallationis lineâ die altera totus Belgradum urbem obsidet exercitus, validioribus quàm antè aggeribus, operisque, omnigeno commeatu, apparatu bellico, & 8000. præsidio firmatam, quo & plures Galli Germanis studiosè commixti, passim ad urbem transfugebant. Defendunt se præsidiarii fortiter, & continenter excurrunt, non rarò tamen fustibus & vi coacti; propediem autem præfectus obsidionem, urbisque statum denuntiat Vezirio, qui, ut Veteranus significabat 20. Turcarum & 30. Tartarorum millibus Coronopoli proximus Transilvaniam invasurus, Belgradi periculum audiens, Widinum contendit, ibidem majoribus Sophiâ copiis augmentandus; superato Widini Danubio ad urbis liberationem approperat. Crojus igitur 26. Augusti Comitem Heidersheimium cum sex equitum legionibus pri-

Crojus Belgradum cingit.

mò, postea Herbevillum ultra Danubium inter Donavecium & Brizam loco satis opportuno jubet hostibus invigilare, Danubiique transitum intercludere: hoc autem extremum sibi exitium omnibus præsidiarii viribus avertebant, & tam hic quam aliis in locis strenuè machinis urbem defendebant, ut Marchionem Monrojum Crojo astantem globo prosternerent, & omnium paulò post dolore machinatorem Kaisersfeldium, ac Comitem Archintum. Cæsareani econtra tormentorum globis, pyrobolis, sphærisque incendiariis eo magis urbem arietabant, quo propius Vezirium appropinquare cognoscebant; ideoque Marsiglius excitato ad Danubiũ aggere, & Herbevillus in via Benzovam versus (quam tribus Belgrado horis distantem deditione recens nostri interceperant) hostilem observabant accessum. Tum fossis urbem castrensibus propius accedentes generalem decernunt impressionem, antesignanis & ducibus Guidone Starrenbergo & Seibelsdorffio octavâ Septembris irritò tentatam, & strage Seibelsdorffii, Blanckensee, Hornii, & 600. gregariorum, totidemque vulneratorum, ex defectu pulveris, pilarum, malleolorum, aliorumque necessariorum, quibus nostri ob pertinacem desperatamque Turcarum defensionem exhausti erant, frustratam. Irritus hic impetus urgentibus de caussis abitum suasit, quòd hostis 80. millibus esset proximus, quòd Danubius ad prohibendas urbi suppetias ex classis seu navium inopiâ occludi non potuisset, hostili classe multum prævalente; & quòd hostium denique vires ab imminente

Tran-

Transilvaniæ irruptione (quod hâc Belgradi obsidione Cæsar maximè intendebat) abstraherentur. 18. igitur Septembris convasatis impedimentis & tormentis bellicis inde Christianus, sine ulla hostium à tergo invasione discedens exercitus, Semlini pernoctat, inde Salankemenum & campum cruentâ ante biennium Kiuperli Vezirii & Turcarum strage insignem transiens, Carlowicii considet, ubi festivo tormentorum applausu Janizarorum Agam, & die alterâ Vezirium cum Tartarorum Chamo Belgradi exceptos intelligit; passam verò à prædonibus Tartaris impedimentorum jumentorumque in hoc itinere jacturam Cæsareanus resarciit equitatus, prædam omnem recuperando. **Inde discedit.**

Dum interea Vezirius omnes undequaque ad liberandum Belgradum convocasset ad se copias, Banus Croatiæ Batthianus 17. Septembr. Brunceno-Meydanum, iteratis importunum excursionibus, spontaneam denegans deditionem vi capit, & ingentem globorum, pyrobolorum, ærisque parati nanciscitur copiam & multitudinem; erat enim ob abundantes ferri & æris fodinas Turcarum fusorium pyrotechnicum seu tormentarium, quod tormenta, & omnem bellicum suppeditabat apparatum, tantæque vastitatis mortaria, ut 200. libras ejacularentur: cæsis itaque omnibus in ore gladii incolis, expilataque urbe flammis eam consecrans cum opulenta præda, & raris æreis artificiis machinisque discedit. Tum nullo adversante hoste totam latè regionem emisso devastat equitatu; pane autem deficiente dives prædâ reversus, **Batthianus Bruncenо-Meydã occupat.**

sus, signa aliquot militaria Cæsari, felicis insignia expeditionis transmittit. Vezirius quoque convocato Belgradi Divano, ut vocant, emissitias aliquot turmas ultra Savum amandat, Moravicium & Essecum usque, ut cuncta depopularentur; sed hoc frustratus conatu, Giulæ & Temeswario commeatum illaturus, & ad Tibisci tractum ferro cuncta & igne eversurus, vigilantiâ Croji cum exercitu Futaci in superioris Ungariæ & Petrowardini defensionem consi-dentis prohibetur. Ad securiorem etiam Tibisci tractûs tutelam Crojus tribunum Bolandum Agrippinatem cum duobus Ungarorum millibus, & quinque equestribus legionibus Segedinum ablegat, & audito postmodùm emissitias quatuor Turcarum millibus turmas esse adauctas, tres alias eò legiones, & generalem Comitem Hoffkirchium, earum omnium ibidem copiarum præfectum dimittit, qui haud procul Giula 19. Octobris hostem subitò & improvisò invadens, ultra mille eorum feliciter prostravit, capto & incenso commeatu Giulæ inferendo, & ultra 2500. equis & camelis, impedimentis & signis equestribus, Cæsari Viennæ oblatis: alia 12. Tartarorum millia Debrecinum prævolantia assequi non potuit, qui incineratis circumquaque sexdecim pagis plurima pecora, opimam prædam, & bis mille captos Christianos ultra Marisium abduxerunt. Et hic fuit ultimus victoriarum terminus Hoffkirchii haud procul Debrecino subitâ morte extincti, simulque finita utrimque hujus anni expeditio. *Vid. num.* 312, quæ tam ex parte Polonorum quàm

Variæ utrimque excursiones.

quàm Venetorum, Mauroceni præsentia licet summa spondente, minus tamen vigorosa fuit & gloriosa, imo ex ejusdem obitu dolorosa, qui ex Corinthiaco Isthmo redux febri obrutus tertiaria Neapoli di Romania 6. inter & 7. diem Januarii 1694. calculi demum doloribus gloriosam in Reipublicæ suæ servitio septuagenario major animam efflavit, quartus è Maurocena familia Venetorum Dux omnium fortissimus & felicissimus, immortalitati meritò per orbem inscriptus: per plures quippe annos felicibus imperans auspiciis præter alias tum insulas, tum arces integram Peloponnesum Veneto dominio adjecit. In ultimo Cretensi bello jam bis summo cum imperio copiis præfectus, iterum anno 1684. dum novum in Turcas bellum respublica moliretur, exercitui præpositus fuit; & quidem ingenti Veneti nominis gloria, & fœderis Cæsareo-Polonici commodo, quæ causa fuit, ut obeunte Justiniano Principe ei supremus Reipublicæ clavus pleno omnium Ordinum suffragio deferretur. Dux factus, & singulari exemplo summam in castris auctoritatem jussus retinere, eam pari zelo & industria tractare perrexit; sed non pari felicitate: quippe qui Eubœam insulam inutili obsidione tentarit. Mortuo meritis honoribus parentatum est, omnigenis nempe contestationibus optimi & felicissimi imperii: ad quarum perennitatem ærea statua in ipso reipub. sanctuario, aula scilicet consiliorum, est donatus, ut in omne ævum posteri gratis plausibus civem be-

Mauroceni mors.

ne

Valierus dux succedit.

ne meritum prosequerentur. Successorem habuit Sylvestrum Valierum 24. Februarii 1694. electum, opportunè iis ingenii dotibus ornatum, quæ liberæ reip. Ducem maximè decerent. Hic Bertuci Valierii, alterius aliàs Venetorum Ducis An. 1683. defuncti filius à domesticis opibus habuit, quo splendido familiæ suæ cultu inter paucos clarescceret; tanta alioqui indolis comitate omnibus acceptus, ut jam dudum demeritis affectibus ad Reip. clavum sessurus videretur. Præterita est in ejus gratiam ab eligentibus sueti rigoris attentio, qua illi à principatu arceri solebant, qui uxoribus essent copulati; quin novo Reip. & civitatis jubilo Elisabetha Quirina, Sylvestri uxor Ducali corona simul cum marito est donata, aulamque habere permissa, quam nobiles matronæ contra gentis usum frequentarent. *Vid. num.* 312. Polonos verò particularem post obsessum irritò Caminiecum, & toleratas Tartarorum cruentas excursiones & depopulationes speciosis Gallorum instantiis pacem affectantes Cæsar gravi dehortatus epistola. *Vid. n.* 312. Sic Gallorum ubique ambitio per Europam factiones, proditiones, turbas & confusiones dolis suis & astutiis excitabat: in Belgio Montium Hannoniæ Præfectum necare, in Sicilia duplici Messinam conspiratione acquirere: Cuneum in Pedemontio proditoribus duobus Truchiis & Matthæo Musio, promisso huic 100000. scutatorum, & illis 10000 duplonum præmio rapere moliebatur. *Vide num.* 309.

Gallorum molimina.

3. Ca-

3. Calend. Jul. ingens ducentarum pene navium classis, quæ bellicis & onerariis constans, ab Angliæ & Hollandiæ portubus solverat, ut Ægeum mare contenderet; dum Herculeum fretum parat transire, à Tourvillio, gallicæ classis præfecto impetita, qua *vi*, qua terrore dispergitur, magnâ tot navium parte aut incensâ, aut submersâ, aut subactâ, reliquis in Gaditanum, Malacensem, & alios Hispanorum portus ægrè dilapsis. Nec hic quidem fugitantibus salus: Galli enim insistentes alias ex fuga retractas, & alias in ipsis portubus novis conficiunt flammis, raro tantæ victoriæ exemplo, quo dum Angli & Batavi omnibus Galliæ litoribus excidia minantur, ipsi internecino excidio, & immensâ mercium & opum omnis generis jacturâ afficiuntur. In judicium vocati sunt tres classis præfecti, ut causam dicerent; sed deficientibus argumentis, quibus propositum tradendi consilium probaretur, sola diuturni carceris acediâ sunt mulctati: postmodùm tamen 12. Calend. Januar. anni sequentis Wilhelmus Rex officiorum eos privatione castigat, admissi licet delicti probationes non apparerent. Probata autem est à Gente vindicta, quæ etsi aliquando innoxios, & ineluctabili fatorum necessitate propriæ conscientiæ securos opprimere videatur, hac tamen exemplari pœna decet diluere criminis suspicionem, & prævertere minaci periculo fiduciam, qua, maximè in Anglia Nobiles favore suffragiorum innixi, incautâ sæpe oscitatione commissa sibi munia exequuntur.

306. Neapolim præterea Regni metropolim

Neapolim Estreus ex proditione irritò tentat.

lim gallicus Architalassus Comes Estreus insigni 20. militarium, 12. incendiariarum, aliarumque navium classe, batavicis signatâ aplustris ad diem 18. Mart. invasurus, & hispanam ibidem classem incensurus, aëris & ventorum tempestate ad 45. milliaria rejicitur: Neapolitani Anglo-Batavicam arbitrantes, quamprimum hostilem gallicam intelligunt, convocatâ mox nobilitate & militiâ in vigorosam & constantem properè omnia disponunt defensionem, & 21. ejusdem mensis die reducem tantâ excipiunt alacritate & tormentorum ejaculationibus, ut 23. Mart. attenta Neapolitanorum vigilantiâ & proditionis verosimiliter manifestatione Estreus irritum prævidens conatum suum inde unde venerat, ad Hieres Insulam revertitur, horribilem rursum passus tempestatem. Tum demum proditores deprehensi bini religiosi, tres nobiles, & duo naucleri, die Veneris Parasceve, quando omnes belli officiales consuetæ vacarent pietati & processioni, classem hispanicam vulcano, & portum maritimum Gallis tradere à duobus jam mensibus conspirarant, omnes capite sunt minuti. Et ut in Hispania tempestivius faciliusque miles auctoraretur, certam auri summam omnes Regni Status, Principes, civitates & Nobiles contribuebant. Unus Gadium præfectus unius spatio diei ducenta scutatorum millia in spontaneum donativum à suis collegit civibus. Sed antequam in campum prodirent Hispani, Galli eos prævenientes Rhodam, seu Rhodopolim Cataloniæ robustissimam die 28. mensis Maji Mareschallus Dux de Noailles terra, mari Comes

In Catalonia occupat Rhodopolim & Ampuras.

Estreus

Estreus classe 24. navium circumcingunt, adeoque igne & pyrobolis ad 8. usque Jun. coangustant, ut præfectus Petrus de Robles in brachio vulneratus (quo ex vulnere postmodum obiit, ejusque filius in urbe occubuit) ultroneam prædicto die obtulerit deditionem: die altera 9. Junii cum præsidio 2000. militari more & honore deductus Gerundam, ob maturatam nimium traditionem custodiæ est mancipatus; reperto autem ob bellici apparatûs defectum factam, redditus est libertati; Galli verò alteram è regione arcem Ampurias eisdem incolumitatis conditionibus occupant; jamque Gerundam destinatus exercitus gallicus in Sabaudiam Pedemontium revocatur. *Vid. num.* 314.

307. Cæterùm Sabaudiæ Dux Casalium & Pignarolum (observante interea Catinati motus Eugenio) arctius mense Junio includit; & illud quidem Dux Monmorancius cum aliis belliducibus habitu rustico penetraturus capitur, & octingenti boves sub tormentorum tutela abducuntur; Pignarolum etiam interceptis circumquaque per Strategum Parellam munitionibus Mirebelo, fanisque S. Facundi & S. Brigidæ à longe cingitur obsidione; sed dum interim Catinatus justo 40000. exercitu confirmatur, Dux Sabaudiæ deserto 2. Octobr. Pignarolo, omnique ibidem bellico apparatu & pyrobolis ad urbis oppugnationem adhibendis Piscinæ consumptis, exercitum Marsaliæ seu Orbassani contrahit, & appropinquante Catinato in aciem distribuit; sinistræ alæ ex hispanico peditatu & equitatu, legionibusque

Prælio Orbassano Sabaudus à Catinato vincitur

que Commercia, Taffia & Scrottenbachia imponit Marchionem de Leganes: Princeps Commercius alam ducebat dexteram, in qua equitatus Cæsareus & Sabaudus, peditatus similiter Cæsareus, Sabaudus & Anglicanus, cum Duce Schombergo, qui & conficiebant aciei corpus, cui præerant Princeps Eugenius, March. Parella & de las Torres die 4. mensis Octobr. Catinatus viribus potior, præmissis utrimque tormentorum ejaculationibus viginti circiter armatorum millibus sinistram confœderatorum alam furioso invadens impetu primo repellitur. Deinde verò equitatu suo frontem & latus simul Mediolanensis & Neapolitani equitatûs perrumpens non hunc solùm in fugam, sed germanicum etiam hujus alæ equitatum & peditatum in confusionem agit, & dissipans opprimit; dextera interim confœderatorum ala & corpus ternis omnino vicibus Gallos cum non exigua strage in ipsa eorum castra fortiter, non sine spe victoriæ, rejiciunt; at hostilis mox equitatus & peditatus contritâ sinistrâ confœderatorum alâ, postremum horum agmen & latus peditatûs, ab equitatu destituti, magno irruit impetu, majore tamen fortitudine, tormentorum præsertim & advenientis equitatûs subsidio rursus repellitur. Cùm verò Catinatus decem millibus fortior novas continuò recentioresque succenturiaret turmas, furibundo demum impetu circa quartam circiter meridianam confœderatorum præsertim peditatum viribus exhaustum, & equitatu denudatum ubique circumcingit, turbat, aciem perrumpit, & in fugam conjicit: horum dicun-

dicuntur cæsa sex millia, capti plurimi, inter quos Schombergus generosissimè cum legionibus suis (quorum etiam tertia vix pars superest) præliatus & in crure sauciatus, paucis pòst diebus omniū dolore est mortuus, Dux non solùm egregius & miles, sed militum etiam pater maximè est deploratus. Amissa quoque sunt 106. signa militaria & 63. bellica tormenta [alii 12. tantùm referunt] Gallorum verò cæsa dicuntur 4000. nec pauci capti; Hi in castris aliquot permanserunt diebus, Confœderati Montcallierum confluxerunt, quo etiam tormenta bellica ex Pignaroli obsidione Villam Francam reducta non sine periculo inde pado sunt transvecta. atrox ædepol fuit utrimque prœlium Hispanis imprimis cruentum, Duxque Amadeus in maximis semper præsens periculis & conflictibus insigne fortitudinis & generositatis addebat ubique certantibus incitamentum, hostium sine dubio sicut nomine ita facinore victor, nisi ille numero fuisset superior, nec tamen magnanimus spem omnem abjecit Amadeus, quem Ludovicus XIV. hoc prælio afflictum vi ad privatam secum pacem aut armistitium cogere existimabat, ideoque misso Turinum legato Chanlejo speciosas pacis offert conditiones, Nuntii ibidem Apostolici judicio, consilio & instantiâ non negligendas. Verùm Amadeus rejectis hisce Regis hucusque fœdifragi conditionibus rei omnino publicæ studiosior, noluit citra sociorum consensum aut pacem privatam aut armistitium inire; sed quæ ad generosam belli continuationem spectare videbantur, confestim expedire jubet

Sabaudus rejicit pacē à Gallo oblatam

jubet. Catinatus interea transmisso pado Carmagnolam, Raconigum, vicinaque invadit oppida, & per excursores æs militare exigit: Villarium præterea & Sylvestrum cum turmis aliquot, tormentis & apparatu bellico, quasi Cuneum impugnaturus, versus Augustam Vagiennorum præmittit, quo & ipse cum reliquo exercitu desertâ Carmagnolâ cæterisque oppidis 5. Novemb. perveniens aliquamdiu consedit, & ad priorem rem tormentariam & apparatum majorem adhuc cum aliis Pignarolo & Provincia evocatis ad se legionibus Fuscam destinat. Deinde 20. Novemb. Casalio submittit subsidium 4000. equitum, & peditum 6000. in quos Strategus Parella ad oppidum Bra incidens non sine sanguine rejicit: Vallenses autem & vernaculus miles multum quandoque non tantùm commeatum, & nuper 150. mulos Pignarolum tendentes, sed etiam Gallorum turmas hinc inde destinatas cum ingenti adeo intercipiunt detrimento, ut in vindictam Catinatus illorum captivos laqueo suspenderit; hi pœnâ similiter talionis Gallos interceptos resti strangulaverint, quo doctus & coactus est Catinatus imposterum modo illos tractare militari, *Vid. num.* 315. Crudelem quoque postmodum in hasce partes exercuit sævitiam, Fossanum, Savignanũ, Augustam Vagiennorum, sive Saluzam, & huic vicinum Rivellum expilando, sacras ibidem virgines violando, ac demum prædicta & alia oppida flammis subjiciendo, traducit Pignarolum exercitum, & ad hyberna dimittit, quemadmodum etiam confœderati sublatis Moncalo ca-

Vallenses magna Gallis inferunt damna.

stris

ftris ad hyemalia divertunt; & in Monferratensi quidem ita dispositi, ut à longè circumcingerent Casalium, seu Bodiricomagum, quod à Mantuano Duce 1681. trigesima Septembris Ludovico XIV. Regi Galliæ magna Cæsaris, & Imperii Rom. [cujus Dux est membrum & vasallus] indignatione vendidit, fuitque arx ejus omnium in Italia robustissima, anno autem 1695. à confœderatis recuperata, destructa, & Mantuano reddita. Tum Catinatus in Galliam cum exercitu per valles Barbettenses rediturus 500. milites securitatis ergo aditus patefacientes præmittit, quos Vallenses ad unum fermè omnes prostravêre; cumque hic illis omnem promitteret incolumitatem, si securum militi suo permitterent transitum: cui Vallenses, tantum quidem se non posse prohibere exercitum, hostis tamen infensissimi carpere impedimenta sibi sufficere, illudque solummodò intendere. Magnam igitur impedimentorum partem, & tantum ei militum sustulerunt numerum, ut in habito exercitûs delectu quatuordecim solùm compererit millia.

308. Cæsareanus autem miles in Italia potissimè hybernavit, cujus principes & indigenæ militarem contumaciter collectam & contributionem solvere recusabant: contraxerat quidem 50000. duplonum Mantuanus, & alii demum etiam proportionaliter Status & Principes; sed omnino denegabant Monferratenses, & præcipuè Pagus Ponzonus (quem Cæsareus miles cæsis eorum 130. expilavit; desideratis suorum 66.) deinde Respublica Genuensis & Princeps

Italiæ Principes ad contributiones adiguntur.

Mutinensis, jamque miles armatæ executioni accinctus vi exegisset, nisi gubernator Mediolanensis revocato milite rem inter commissarios intra 24. horarum spatium utrimque composuisset, & Mutinensi quidem Principi in pœnam contumaciæ pretium ultra duplum auxit, ut actutum solveret 30. duplonum millia, totidem post dies 14. & reliquum in reditu cursoris ad Cæsarem missi, ejus referentis responsum & sententiam, quòd prædictus Dux graves militi fecessiverit itineris molestias, profugo cum ære militi transitum sciens permiserit, & quòd denique Cæsareo Commissario Comiti Breunero alloquium indignè repudiatum in alium injuriosè diem distulerit &c. Longum inter aulas pontificiam & gallicam diffidium pace tandem mense Augusto pactâ abolitum est, coëuntibus Pontifice & Rege in amicam concordiam, quæ sub Innocentio XI. & Alexandro octavo componi nequiverat. Occasionem præstiterat animorum aversioni, ut suprà retuli, sublata Romæ ab Innocentio undecimo districtuum, in quibus regii oratores morantur in urbe, ab omni jurisdictione ordinaria immunitas; & negata quibusdam à Rege præsentatis Episcopis auctoratio. Tentatam jam per tot annos inutilibus consiliis concordiam, mutuis semper offensionibus retardatam, compromissa ab utroque cessio sedavit: dum ex integro abolita, quæ à Rege contendebatur, immunitas mansit; & auctorati Episcopi, non illi solùm, qui minùs Innocentio XI. probati fuerant, sed & alii omnes, qui à Rege ad varias Ecclesias præsentati se

Pon-

Pontifici ſiſtere verebantur, donec primis eſſet ex integro proviſum.

Romæ præterea Pontifex Innocentius XII. omnes egenos & pauperes mendicantes [quibus ternis omnino vicibus ſuî permiſit alloquium, ſtatum eorum, & mendicitatis conditionem, ſimul & excuſationes inveſtigaturus] aut urbe & territorio voluit excluſos, aut noſocomiis perpetuò incluſos, in quorum alimentationem primò centum ſcutatorū millia, pòſt 9000. prædictis impartitus eſt noſocomiis; deſignatis deinde quatuor à Pontifice Prælatis & Nobilibus per urbem hunc in finem collecta ſunt 20. ſcutatorum millia, unus Princeps Pamphilius 16. millia ſcutatorum unâ vice, & menſtruè per decennium mille ſcutatos eſt elargitus, contribuitque unicus mercator Romanus 7000. ſcutatorum. Idem Pontifex ad impetrandam à Deo pacis Chriſtianorum Principum belligerantium concordiam & pacem, ſacrum menſe Decembr. Romæ inſtituit Jubilæum 20. ejuſdem menſis die ibidem cum ſumma populi devotione finitum; ſubſequente deinde anno per orbem emanatum pari quoque pietate fuit celebratum.

Innocentius XII. in pauperes liberalis Jubilæum inſtituit & ejus cum Gallo concordia.

309. Verùm armipotenti Deo necdum placuiſſe videtur mundo adhuc in maligno poſito pacem impertiri; Galliæ enim Rex Ludovicus XIV. ab initio regiminis ſui uſque huc humano necdum ſanguine, heu quot myriadum mortalium! ſatiatus, omnem virilem infra 40. anni ætatem tam liberam quàm conjugatam in Germania ad tractum rheni, moſellæ &c. ad ſuam tanta atrocitate angariavit militiam, ut magno

Galli ſuorum ad militiā angariatio.

inde numero ultra rhenum ad saltus & speluncas in hyemis etiam sævitia indigenæ confugerint. Turmatim igitur frequenter inquirendo excurrentes plerumque cum strage repulsi sunt. Rex præterea ad maturandam hujus anni expeditionem varia militaria officia, non sine plurium seniorum ob præcedentiam hac lege distribuit, ut si duo exercitui præsint Mareschalli, non ut antehac alternativè (unde plures exortæ inconvenientiæ) sed senior semper despoticè imperaret. Tum ingens per regnum facta est frumentorum collectio, per quam adeo miserabilis in Normandiam præsertim invecta est fames, ut plurimi gramine & radicibus pasti interierint, pistorum domus non sine sanguine expilatæ, & periculosi excitati sint tumultus & seditiones, eò demum periculosiores & per regnum generales, quo majores indies augebantur exactiones, contributiones &c. tantò autem illæ augebantur, ut universa omnino Gallia penitùs exhaurienda & pessumdanda timeretur: Belgii Episcopi Iprensis, Audomaropolitanus &c. medietatem suorum ecclesiasticorum redituum; Nobiles decimum nummum omnium suorum quoque redituum, prætterquam pro nudo nobilitatis titulo 600. quisque florenos; Insulenses, eorumque Castellania, ut vocant, ad solutionem 200000. imperialium impotentes, seque excusantes, in pœnam tunc trecenta imperialium millia; tabernæ vinariæ Parisienses (sic aliarum proportionatim urbium) lib. 3000000. pendere cogebantur: prætereo census arborum, chartæ, calceorum, capitationis, caminorum (hic ad libras

Graves ejus exactiones

bras 800000. ascendebat in una Parisiensi urbe; quid in tota populosa Gallia?) opificum, mercatorum, doctorum &c. quo demum etiam ad extremam Galliæ regnum redactum est paupertatem; ideoque Rex honestam ambiebat pacem, interpellans per suum ad aulam Suecicam legatum Comitem d'Avaux Regem Sueciæ Carolum pacis mediatorem, quam si quomodolibet à Cæsare & Romano extorqueret imperio, quingenta imperialium millia, & aliquot continuo annis trecenta millia stipulatur: at Suecus olor belli & neutralitatis hactenus servatæ pertinax recusabat, nec admittebat Lodovicum urgentem offerentemque pacis conditiones Rom. Imperio & Electoribus proponendas, nisi quòd easdem Ratisponæ ad electorale collegium nudè & simpliciter vellet referre: fuerunt autem sequentes: 1. Ut pax Monasteriensis & Neomagensis in suo remanerent vigore. 2. Pactum in Augusto 1684. Ratisponæ vicennale armistitium in pacem defensivam hac mutaretur conditione, ut Argentoratum cum omnibus suis fortificationibus sibi & successoribus suis remaneret; 3. Econtra Montem-Regalem, Trarbachum, munitionem Ludoviciam, & Hunningam solo æquaret. 4. Friburgum, Philippopolim, & Heidelbergam cum omnibus suis pertinentiis & juribus, Electori Palatino: uti & Lotharingiæ principi in pace Neomagensi assertum Saar-Louis, Birsch & Homburgi æquivalens restitueret. 5. Quod si dictæ pacis articulis aliquot adhuc reuniones restarent resarciendæ, & componendæ, si non per designatos commissarios, per

Gallus per Suecum à confœderatis petit pacem.

Venetæ Reipublicæ arbitros deciderentur. 6. Ad omnes denique Principum & Potentiarum tollendas differentias justam & æquam Rex offert compositionem. At propositionis hujus nulla fuit consequentia.

Verùm Ludovicus XIV. novum equitum ordinem S. Ludovici mense hujus anni Aprili tam nobilitatis quam ignobilitatis bello benemeritæ instituit, cum annuis 300000. reditibus, qui ad Divorum Mauritii & Lazari, ac B. Virginis de Monte Carmelo equites olim pertinuerant, abjectis aliis, quos antiqua piorum charitas sublevandis leprosis attribuerat Xenodochiis. ad hanc curam erectis, quæ jam longo temporum cursu, cessato hujus morbi contagio, inutilia, ad alios multiplices usus fuerant distracta. Ut qui decem Regi annis sive terrâ, sive mari, fideliter generoseque militaverit, in ordinem istum, si capax foret, adoptaretur, insigne ejus pectoralis ex rubra ligula crux octogona cum imagine S. Ludovici & liliis; cujus octo magnæ crucis equites annuâ 2000. imperialium pensione, minore viginti quatuor Commendatores, alii adhuc minore gauderent. Tali cruce Ludovicus XIV. Rex insignitus II. mensis Maji in publico magno comparuit splendore, eundemque ordinem Delphino suo, duci Carnutensi, aliisque regii sanguinis principibus contulit, variosque creavit commendatores. Idem Ludovicus Rex 10. Calend. Junii suppressam ab annis fermè 60. architalassi, seu summi rei maritimæ præfecti dignitatem & officium in regno

suo

ſuo reſtituit, attributis ejus juribus & emolumentis Tholoſæ comiti; qui in ſupremo Pariſiorum parlamento hoc officio auctoratus admittitur. Prudenti ſanè conſilio id agere Rex viſus eſt, qui tantæ dignitatis proventu, & ſingularibus prærogativis filii ſui Ludovici Alexand. ex concubina de Monteſpan nati, opulentiæ & decori, intactis ærarii ſui opibus prævidebat. Inſigni pariter ſolemnitate Wilhelmus Rex Angliæ hoc eodem anno 4. Februarii per ſuos legatos Dresdæ ordinem periſcelidis Joanni Georgio IV. Duci Saxoniæ contulit, cui ſequenti anno decedenti ſucceſſit Frater Fridericus Auguſtus, matrimonio junctus hoc anno Chriſtianæ Eberhardinæ Culmbacenſi, marchionis Bareithiani Chriſtiani Erneſti filiæ.

Prædictus Ludovicus Rex Fridericum Carolum Ducem Würtenburgenſem minorennis Eberhardi Ludovici D. Würtemb. adminiſtratorem priori anno à Gallis menſe Octobri captum & Pariſios abductum, poſt ſecretum in ſuo cubiculo colloquium, 11. Januarii liberum abſque lytro dimittit: imo dum mareſcallus de Lorge à vidua Duciſſa Würtenbergenſi ingentem contributionum ſummam ab anno 1688. uſque huc 500000. lib. ſub ignis & direptionis comminatione exigeret, ante dicta verò Duciſſa impotentiam ſuam humaniſſimis excuſaret literis, nihil ultra fuit poſtulatum. Leopoldus autem Cæſar ſtudio & labore Kulpiſii, inſignis juriſperiti, die 28. Januarii Eberhardum Ludovicum Ducem Würtenburgenſem anno ætatis decimo ſeptimo majorennem declarat, & veni-

Captum Ducem Würtemburg.

am

am ætatis impertit, totus proinde Ducatus ad clientelaris obsequii obligationem eidem est adactus, alium ejusdem familiæ principem Joannem Fridericum in duello Joannes Comes Palffius prostravit.

4. Idus februarii Fridericus Daniæ Princeps per Europam excurrens, Parisiis, ubi aliquam diu diversatus fuerat, discedit, à Rege Ludovico officiis omnibus honestatus, quæ privatæ sortis hominem, qualis Princeps regius credi volebat, decerent. Inter alia munificæ urbanitatis specimina hoc celebratum est, quòd Ludovicus Rex audito Principi resignatas fuisse epistolas, ad quarum tenorem campsores Parisienses 300. librarum millia numerare illi tenerentur, pecuniam illicò Rex ex proprio ærario in tot speciosis aureis monetis deferendam curaverit; quam cùm Princeps Regi omnimodè restitutam vellet, vetuit Ludovicus, differendam protestatus compensationem in illud tempus, dum aliquis è suis nepotibus, Delphini filiis, in Daniam eodem genio, quo Princeps ipse, peregrinaretur.

Controversia Ratzenburg. composita.

Ortam in causa Ratzenburgensi inter Daniæ Regem & Electorem Luneburgicum controversiam armis utrimque dirimendam Cæsar feliciter composuit, & Ratzenburgensis fortificatio Friderico IV. Regi Daniæ præjudicialis fuit Electori interdicta.

Leopoldi Cæsaris pietas.

Leopoldus Cæsar in decennario urbis Viennensis 1683. à Turcarum immanitate feliciter liberatæ eucharisticam instituit solemnitatem, & in cathedrali S. Stephani ecclesia coram Vene-

nerabili summi altaris Sacramento pro continuatis hactenus victoriis Hungariæ à jugo turcico assertæ, gratias triunæ retulit majestati, cujus continuæ protectioni, & beatissimæ Virginis Mariæ tutelæ se, conjugem, liberos, austriacam domum, populos, exercitus, regna & provincias piissimè commendavit, Marianumque Ungariæ Regnum eximio S. Stephani regis exemplo eidem Virgini protectrici denuo dedicavit, & voto promisit, omnes parochiales ejusdem regni ecclesias aut barbarorum tyrannide, aut temporis vetustate destructas restaurare, sufficientibusque parochos redditibus munerare ac dotare: in monte insuper Cæsio (ubi primùm barbarorum vires mirabiliter sunt repulsæ (D. Leopoldo Sacellum, in eoque D. Virgini altare sub titulo Auxilium Christianorum in perpetuam eucharisticam momoriam exigere.

310. Bellum, quòd invalescente indies animorum aversione quotidie recrudescebat, nec Gallos in hibernis stativis consistere, ne iniquiori quidem cœlo patiebatur, quin nova semper auderent; nec Germanos, quin intentata omni conatu molimina præverterent. Eâdem laborum impatientiâ Galli Flandriæ provinciam oberrantes Huyo oppido utcunque munito aliquibus tormentorum explosionibus lacessito, Furnas contendunt, quas vix leviter tentatas Hornius 3500. Anglis præsidiariis præfectus. Præcipiti consilio ipsis cedit pridie nonas Februarii, seu genrem, ut ajebat, inutili laniena subtraheret, seu ut ingentem pecuniam ex vici-

no agro corrasam in tuto collocaret. Dixmuda hoc exemplo derelicta est ejusdem debilioris defensionis titulo; & urbs utraque muro & munimento omni à Gallis denudata est; quinimo incolis Dunquerquam ablegatis præsidiarii Angli ab iis prætexto belli jure captivi sunt detenti.

Porro in Germania Mareschallus de Lorge & Chamillus præfectus Argentoratensis jussu Regis sui transito Philippopoli rheno fulminis instar 17. mensis Maji irruunt Heidelbergam, cujus præfectum Georgium Eberhardum Heidersdorffium omnesque seriò præsidiarios Ludovicus Badensis urgentibus admodùm literis pridie hostilis invasionis & periculi admonuerat, & quia ante octiduum duæ inde legiones numerosiores discesserant, præsidiumque mille ducentis tantùm valeret sclopetariis, binas alias eò destinavit legiones, ideoque ad generosam & constantem eos sub spe certi succursus propugnationem adhortatur; strictè verò sub pœna capitis spontaneam vetat traditionem, dispositis igitur per urbem & propugnacula civibus & militibus, unanimi omnes consensu in urbis defensionem conspirant. Galli interea stellatam impetunt tormentis munitionem, & pontem nicrensem, ideo dissolutam ripæ applicant; vigesimâ deinde maji nocte in monte, regia sedes dicto, trium millium castra firmantes arcem circumcingunt, munitionemque ad veterem arcem occupant. Die alterâ præfectus Heidersdorffius imperat Flemmingo portas Klingensem & Spirensem deserere, relictâque munitione stellatâ, & tormentis conclavatis militem in urbem

Heidelbergam opprimuntur crudeliter.

bem reducere; quod dum nullâ adhuc necessitate & periculo urgente, militeque stomachante & causam postulante fieret, Galli desertam munitionem stellarum cernentes, Spirensem portam involant, vallumque nullo repugnante occupant, & præsidiarios ad urbem confugientes insecuti, plures eorum prosternunt, Cronstormius centurio inter ceteros vulneratus in Capucinorum postmodùm obiit monasterio. Accurrens cum suis vigiliarum magister Alvendeilus opposuit se quidem hosti furenti omni quo potuit modo & generositate, sed multitudine victus ad arcem confugit. Tum hostis Capucinorum monasterium & ecclesiam, quo multi utriusque sexûs cives se contulerant, invadit, omnesque plenus musto & furore vestibus, & plures pudore, crudeliter dispoliat; hinc præfectus & alii officiales civibus, fœminis & pueris commixti tumultuarie arcem dum petunt, plures oppressi & proculcati intereunt; superioris autem urbis adhuc sospitis præsidiarii hæc cernentes, inde pro suî conservatione aufugiunt; atque ita nobilis Heidelberga ejusque suburbium nulla singulari vi, impetu, aut tormentis attentata tam probrose, ob solam præfecti socordiam & timiditatem in hostium devenit potestatem, qui eam crudeliter diripientes flammis subjiciunt, templum S. Spiritus civibus & incolis eò vi compulsis, tamque cumulatim compactis, ut nec ulli amplius superesset locus, inauditâ accendunt sævitiâ, jamque campanili & tecto ruinam inter miserrimos clamores & ejulatus minitantibus, reserant tandem ostia,

omnes-

omnesque simul ad Capucinorum compulsos monasterium inhumaniter tractant, despoliant, pluresque mulieres ibidem. & in castra abductas violenter ad mortem usque contemerant, ignibus interim urbem furibundè devastantibus. Tum Chamillus ultroneam arcis ducalis traditionem sub spe honestæ capitulationis postulat, quam præfectus intolerabilem rejiciens, 24. horarum tamen armistitium obtinet; civium tandem genuflexâ instantiâ, ejulatu & commiseratione, ne comminatâ omnium perirent internecione, pacta est arcis deditio, præsidiumque 1200. cum impedimentis, & octo oppidanorum millia cum dorsuali & lacertoso onere Heilbrunnam liberè 23. Maji sunt dimissa; alii ex Capucinorum monasterio pecudum more Philippopolim sunt depulsi, urbs in cineres & lapidum congeriem subacta funditus, excepto Capucinorum monasterio, tota est eversa, sepulchra Electorum Principum, ac postremi imprimis Caroli, impiè destructa, eorumque ossa & cadavera contemeratis stanneis loculis inauditâ etiam apud barbaros immanitate & despectu in publicas projecta plateas; arci subjecti cuniculi, ut quæ in præcedente anni 1689. destructione restabant illæsa, convellerentur; quod tamen mitigato postmodùm furore est intermissum. Sic parum est ambitioni homines perdere, nisi etiam saxa perdat. Heidesdorffius præfectus mox arresto & vinculis Heilbrunnæ mancipatus ob turpissimam socordiam & timiditatem bonis ejus fisco addictis, capitis est condemnatus, & jussu Magistri Ordinis Teutonici eodem

Heidesdorffius præfectus proscriptus.

equestri

equestri ordine indignus, est exauctoratus & sic 17. Junii degradatus; in teutonica Heilbrunnæ domo loricâ, paludamento, & equestris ordinis cruce per juniorem equitem exutus, & bis in faciem colaphizatus, pede domo probrose est extrusus; 20. autem ejusdem mensis die ad criminis detestationem & horrorem carnifice curru per totum traductus exercitum jam jam capite minuendus, aliorum primatum, intercessione vita donatus, fracto ejus gladio per carnificem percussus, iterumque carnifici currui ligatis manibus impositus, & nicro tranvectus infamis, abiit in longinquam regionem, totâ Austriâ, Circulisque Suevo-Franconico-Rhenano perpetuò proscriptus.

Eversâ & devastatâ Heidelbergâ Galli Wislochium, & Eppingam versus progressi, Nicrum transituri, à Cæsareanis ubique, cæsis captisque eorum pluribus, prohibentur, qui captivi referebant gallorum exercitum valere 35. militum millibus, & quindecim rusticorum, seu popularis militiæ millibus, cum 60. tormentis bellicis, tresque Turcarum bassas eorum in castris progressus à gallico apud Portam Ottomannicam legato amplè devulgatos observare. Tunc Lud. Badensis Hassicis & Saxonicis confirmatus copiis, Heilbrunnâ movens castra hosti ultra Nicrum Brettenæ considenti Hôpffingenæ invigilat; hic autem gallus, Bruchsalium, inde Ladenburgum aliquot interea millibus aufugientibus contendens, Nicrum ibidem transit, & viam montanam ingressus Zwingenbergum magno furore quadrihoræ spatio intercipit;

Gallorũ & confœderatorum motus varii in sup. Germania.

i deoque finitimi ejus loci accolæ convasatis suis Francofurtum confugiunt; at ubi Elect. Saxonem & Hasso-Casselensem viribus roboratos apptoperare intelligit, relictâ viâ montanâ versus Nicri tractum Heilbrunnam ab exploratoribus dicebatur petiturus, hinc Badensis Herbipolensi 2400. capitum legione ex valle Kintzingensi, & 300. Bavaris auctus, castra ultra Nicrum transfert Kochendorffium inter & Nicro-Ulmam, quo & Principes Saxo & Casselensis audientes Delphinum cum 12000. ex Flandria ad marescallum de Lorge properare, suis cum copiis ad Cæsareum contendunt exercitum, eoque confluunt etiam Palatini & Brandeburgici; atque ita dexteræ alæ Saxo, sinistræ Hasso-Casselensis, corpori Badensis præfecti, totus generosè exercitus ad decretorium cum gallis certamen anhelabat, quorum etiam tripartitum exercitum Delphinus, de Lorge, & Uxelles Eppingenam 21. Julii traducunt; ideo Styrumius cum ala sinistra & 6. tormentis Kochendorffio suprà Heilbrunnam consìdet, quem ala dextera, reliquusque exercitus 25. Julii est consecutus; gallicus autem exercitus prope Besigheim & Marbach Nicrum transgressus, movit versus Stutgardiam, quem Cæsareani subsecuti adeo adproximant, ut procubitores sæpius velitati plures ceperint captivos, quorum dictis & interceptis literis si fides adhibenda, jam tum mense Julio ultra mille equi, & ultra octo Gallorum millia aut mortua, aut transfuga, aut capta fuerunt. Nihilo tamen minus 2. mensis Augusti die tam furibunde tormentis & pyrobolariis

Cæ-

Cæsarea impetunt castra, pleno quasi exercitu prælium inituri; sed quia plus quam 70. tympanottibæ diversis in locis plura fingebant dimacharum millia, castraque Cæsarea cernebant probè loricata, subitâ retrocedunt velocitate, relictis aliquot millenis fascibus transcensioni applicandis, immo 7. & 8. mensis Augusti pari festinatione Nicrum transeuntes 13. Karnvestenam inter & Aspergum dejectis ubique pontibus castra promoverunt: & quia Delphinus ob Badensis vigilantiam frustra hactenus ejus castra solidè communita sæpius tentaverat, neque Heilbrunnam toties procatam invadere poterat, abiit Parisios. *Vid. num.* 316.

311. Inde (transeamus in Belgium, hujus anni acta recensuri) Rex Lodovicus XIV. cum ducali gynecæo in Flandriam profectus, & 2. Junii Obautæ castra ingressus Leodium & Lovanium invasurus, ibidemque delphinum suum Brabantiæ ducem gloriose in prædicti gynecæi ideo associati præsentia investiturus; sed vigilanti Regis Angliæ Wilhelmi & Electoris Bavari prudentiâ Consilium hoc omnino est eversum; nam ut succursum Lovanio præscinderet, offert Leodiensi episcopo principi neutralitatem cum omnimoda nuperâ pyrobolatione illati damni reparatione & satisfactione; sed surdis Principis episcopi cecinit auribus, cives licet seditiosè armati illum ad Regis oblata cogere conarentur: composito autem utrumque 24. horarum interstitio, & matura rei consideratione, binis raptim cursoribus ad prædictos confœderatos socios princeps episcopus destina-

Ludovicus R. delphinum irritò Brabantiæ ducem cupit renuntiari.

tis, 18. millium subsidium tempestivè obtinet, civibusque seriò Leodiensibus Wilhelmus Rex ignes & extremam urbis eversionem comminatus, si vel minimum Ludovici Regis oblatum admitterent; hic suâ frustratus spe, maximè etiam quòd confœderatorum haud procul abesset exercitus, cum suo per Versaliam revertitur gynecæo, in Caroloregii & Gandavi præsidiariorum manus fermè dilapsus: ejus tamen impedimenta & 24. mulos cum pretiosissima vestium, mobilium, auri &c. præda intercepta, triumphabundi Caroloregium traduxerunt: cujus deinde præfectus Marchio Pementelus fossiles gallorum inter Montes Hannoniæ & Jeumontium lineas per suos occupavit, eisque destructis plures infra Malbodium invasit pagos, multosque contributionum obsides liberans, mille equos, oves & boves Carolo-regium feliciter abduxit.

Ejus capta impedimenta.

Confœderati Gallorum in Belgio lineas perrumpunt

Inter hæc Wilhelmus Rex, & Elector Bavarus Maximilianus formatum Lovanium inter & Hamum lustrant exercitum, uti & Dux Luxemburgicus conjuncto sibi Boufleuri exercitu Gemblouri Joannis Austriaci quondam contra Batavos victoriâ celebris, castra metatus, 8. Julii in regis sui præsentia habuit delectum, quo absoluto, & rege Parisios revertente, castra Ordam promovet, communicationem Bruxellarum & Mechliniæ, tum etiam, Trajecti & Leodii correspondentias intercisurus, quod confœderati tempestivè subodorati, motis castris prope Lovanium consident, eaque pluribus aucti copiis Hamum usque & abbatiam Parckadeo extendentes, Luxemburgi dissipant consilia; hos Tra-

jecto

jecto generalis Tillius accessurus, à quinque gallorum millibus prope Tongrum amissis aliquot impedimentis repellitur. Et quia in confœderatorum castris deficiebat commeatus, quo Galli abundabant, eosque ut diverterent, Dux Würtenburgens contractis undequaque copiis 20000. fossiles gallorum in Flandria lineas 28. Julii ad oppida Monseton & Ottignies invadit, Marchionem Valettum ejicit, munitiones destruit & complanat, excurrensque Insulas usque aliquot millionum contributione, extorquet, & plura oppida majori restituit securitati. Nec feriatus interim Luxemburgus, præmisso ad invadendum Hujum Comite Harcourtio, ipse toto cum exercitu ponè subsecutus est: confœderati ut urbi quantumcumque possent succurrerent, castra ad oppida Alst & Oppertingen promoventes audiunt urbem, 21. arcem vero 24. Julii, rebellante & cogente præfectum præsidio in potestatem hostium incidisse, eosque jam tum uno & dimidio tantùm milliari abesse Leodio, ideoque Trajecto & Leodio plures immittunt copias, & castra sua inde haud procul Nider-Hespen & Wangen, ad fluvium Geer transerunt, ne se hostis Bruxellas inter & sua castra, quod studiosa hactenus ejus spectabat intentio, interponeret. Tunc Luxemburgus magnâ noctu præcipitantiâ suum ad colles Raidtshovenses exercitum clam confœderatis pagum Oberwinden occupando traducit, illos invasurus; Rex & Elector illud mane animadvertentes instructâ subitò acie binos tumultuariè pagos Niderwinden & Lare capiendo ibidem

Luxemburgus Hugum occupat

Confœderatos ad Niderwinden prælio vincit.

dem persistunt: tota die alterâ 30. Julii & nocte demissis Diestam impedimentis, uterque alacriter ad certamen se parat exercitus, cujus apud confœderatos Rex erat generalissimus, alæ dextræ præsidebant Elector Bavarus, Marchio Bedmarus cum Hispanis, Dux Brunswicensis cum Hannoveranis, Comes de Arco cum loricatis Bavaris, Carolus Dux Brandeburgus, frater Electoris Friderici, & Baro de Heiden cum Brandeburgicis &c. dextri corporis peditatui Comes Solmensis, sinistri Nassavus Dux Frisiæ, equitatui Dux Nassavus Sarpontanus &c. Sicque cunctis providè dispositis magnos certandi animos confœderatorum ostentabat exercitus, Gallorum licet exercitus 36. millibus prævaleret. Qui totis summo mane viribus prædictos binos pagos Niderwinden & Lare, aliquot adhuc ab Electore phalangibus roboratos aggressi loco pellunt, strenuè quamvis obnitente Electore: huic succurrens Bedmarus hostem loco, insigni cum cæde, ejiciunt, & perruptos equitum ordines restaurant. Galli resumptis viribus alterum in eandem alteram dexteram & locum tentantes impetum ad usque castra insequuntur equitatum insuper adorturi abs Comite ab Arco cum loricatis Bavaris ad sua vicissim præcipites castra repelluntur; mox autem novis roborati copiis Hanoveranos irruunt, fortiter quidem pugnantes, sed multitudini cedentes, corporis latus denudant, ex quo acerrima inter gallos & Anglos intercessit velitatio: & quia illi viribus multò superiores sex continuo horis furiose impugnaverant, nitratus his, Anglis, deficit pulvis; simul-

ſimulque peditatus dextri in corpore lateris hoſtium impar furori, cedendo aditum eorum peditatui faciebat, ut cum majori etiam equitatûs ſui parte Hanoveranum inſilientes equitatum interrumperent, & contererent, ſicque dexteram confœderatorum alam ab aciei corpore ſeparant. Elector rei cernens periculum, convocatis ſubito vicinioribus belliducibus & tribunis rem exponit, aut vincendum hîc aut moriendum: fugam omnes ſuadent; ſed non perſuadent, fugæ generoſam mortem præferenti: multis tandem victus rationibus Elector tranſiens flumen hoſti obnititur, quouſque diſperſæ ad eum confugerent copiæ, cum quibus ſe retraxit Tillemontium ad Angliæ Regem Wilhelmum, eò certaminis tempore dilapſum, inde eadem adhuc nocte plurimis confluentibus copiis Lovanium, & tribus Tillemontio milliaribus diſſitam Dieſtam, inde prope Bruxellas progreditur; Rex verò cum ſuis & Hanoveranis abit Molinam inter & Vilvordiam, recenſoque utrimque exercitu defuêre ex confœderatis ſeptem ad octo millia, & 300. captivi; Gallorum verò deſiderata ſunt viginti millia, quos inter 60. generales & primi ordinis tribuni, & ter mille alii Officiales, quadringentique captivi ac 32. officiales. Galli igitur militem, confœderati arenam cedere ſunt coacti.

Ex hac illi, Galli, humatis prius cæſis & defunctis ſuis, contendunt Dovrejum, inde direptis barbarè in via Abbatiis Heileſſenſi, villis, & weiher, eorumque Eccleſiis ſpoliatis, ſacris vaſis, & hoſtiis ſacrilegè profanatis Nivellam ad

occupandum Lassines proficiscuntur; confœderati verò revocatis in robur exercitûs sui Duce Würtenburgensi, Comite Athlone, & Generali Talmaschio cum copiis suis trans fanum S. Quirini 15. Augusti Ninovum ad fl. Denre castra transferunt. Dux Lucemburgus interim Carolo-regium acriter impugnat, eamque impressionem Mareschallus Villerojus, & supremus bellicus machinator Vaubaunus ingenti tormentorum fulmine & vigore è quatuor suggestibus dirigebant. 18. Septembris urbis quidem Præfectus Antonius Pimentelus excursione factâ, castrensia Gallorum valla & sepimenta plurimis eorum deletis destruxit, jacturâ tandem suorum quinquaginta est repulsus, urbsque 20. Sept. vehementibus pyrobolorum ignibus adeo est quassata, ut simul ad exteriorem murorum fossam propius 24. Sept. Galli pervenientes haud difficilem murorum intentarent ruinã; ad 5. verò Octobris diem impetu in molam facto, multo quidem sanguine Galli occupant, sed evibrato cuniculo totius legionis detrimento ejecti; altero tamen mox die recuperant, & tandem 11. Octob. urbem cogunt ad deditionem: pactâ securitate Marchio Pementelus militari honore cum 1100. præsidiariis (quorum initio 3600. fuerant) 4. tormentis, & 2. mortariis Bruxellas est traductus. Urbs tota ac præcipuè superior 70860. tormentorum globis & 16. pyrobolorum millibus fœdissimè est devastata. *Vid. n.* 318. Vicissim Anglorum Architalassus Comes Dambius 25. navium classe Maclovium commodum in Britannia gallica portum

Item Carolo-regium capit Luxemburgus.

Angli Maclovium ignibus vexant.

tum 26. die Novemb. cinctum pyrobolis media ex parte consumpsit & abscessit. *Vide num.* 319.

In Dania Stabendorffii 18. Februarii hoc anno natus est vitulus cum usitato hujus temporis muliebri cornuto capitis ornamento seu vitta, (fontange) gallicè (à Regis Ludovici XIV. tertia concubina Fontange primùm adinventa) crinibus quasi denticulatis patagiis affabrè circumornato: Francofurti cum simili capitio seu fontange natus est agnellus; Tergesti in Istria capta est testudo pondere sex centenariorum, Viennæ Austriæ librata, inauditæ ædepol & raræ magnitudinis. Hoc eodem anno Electoris Bavarici Maximiliani filius Josephus Ferdinandus post 24. Octob. prioris anni defunctæ Viennæ matris obitum in Bavariam translatus, magno 50. rhedarum comitatu, & insigni honoris splendore ab Electore Coloniensi Josepho Clemente, & totius Ducatûs Statibus Monachii 7. Jun. est exceptus, & ut hæreditarius Princeps est veneratus, magnus aliquando favente Deo futurus orbis Monarcha. Sed homo proponit, providens autem Deus secundùm merita hominum disponit. Mirabilia.

Annus 1694.

312. Minus prosper Christianorum præcedenti anno utrobique successus in magnos Ottomannicam sobolem animos erigebat, Chateaunensi legati imprimis gallici persuasionibus infatuatam, pristinam Ottomannicæ Portæ fortunam sperantes redituram, ferventiori bellum Turcas Gallus ad belli continuationem animat.

tonamine præparant, & superato emissitia turma Savo totam latè regionem depopulatur, oppidumque Jurck, captis præcipuis mercatoribus expilat: Cæsareani verò Giulam congelatis opportunè paludibus oppressuri, aëris mollitie glaciem resolvente impediuntur: cui uberiorem 900. Turcæ annonam, commeatumque subministraturi, à Darozzio ad Cæsarem transfugo cæduntur; nam dum Tockelius Constantinopolim ad generale bellicum convocatur consilium [ubi eliminato priore Vezirio novus successerat Alybassa Tripolensis] Darozzius variæ periculosæque fortunæ diffidens, incensis Vipalanckâ, Rhamo & Columbacio fugiens in Transilvaniam (cui cum potestate tunc præerat Veteranus Generalis) cum 600. Husaris Cæsaris partes amplectitur. 3300. interim Turcæ comminatâ dudum per Tockelium excursione Transylvaniam, expilatis 12. pagis,férociter divexant; sed movente se Veterano subita se fuga proripiunt. Titulum quoque armatis navibus terno impetu tumultuariè tentantes generosè repelluntur; majoribus verò mox aucti copiis impressionem repetunt, quam dum præsidiarii Rascianorum aliquot confirmati centuriis fortiter sustinent,& Starrenbergius cum legionibus aliquot in subsidium vocatus adproperat, subitò dilabuntur; quemadmodum econtra Husari Cæsareani Crupinam frustra tentato impetu fovearum altitudine, & præsidiariorum fortitudine decepti rejiciuntur.

Fortuna sic utrimque novercante prospo-

riorem

riorem tamen hoc anno suum cuique fervens bellici apparatûs studium pollicebatur successum; sub quo novus tamen Vezirius Tartarorum interventu particularem à Poloniæ legato pacem sollicitabat; quam hic sine cæterarum consensu partium frustra ajebat persuadendam, eamque respuebant Veneti prospera per Antonium Zeno Insulæ Chii in archipelago (quam Turcæ lentiscinam vocant) & per Delfinum Citluchi, Gabellæ & Kuppæ in Dalmatia interceptione, aditum sibi in Ducatum Sabam, & Arcegovinam præparantes; unde meticulosus ejusdem Bassa, audita Citluchi jactura, turpiter aufugiebat. Seraskierus autem Solimannus prædictum Citluchum nobile ad Narentam fl. munimentum, ejusdemque Tractûs domitorem recuperaturus, à Delfino cæde 2000. repellitur, noctis beneficio elapsus. Hinc Mengorienses, Trebignenses, Zagorienses & Popoccani variorum territoriorum indigenæ Venetorum se submittebant tutelæ. Mox Clobuchum in altissima, inaccessa rupe situm, & montibus circumcinctum traditione Veneti capiunt, loci capacitate haud magnum, sed pauco præsidio, & sufficienti munitum commeatu ingentem sustinere potens exercitum, & latis imperans regionibus. Quod Chio attinet, Antonius Zeno, ut dixi, generosus Venetorum Architalassus cum archistratego Steinavio classem Nauplià solvens, Ægei maris insulam Chio cum urbe cognomine invadit, occupatáque tumultuariè arce (quòd fama approperaret Chri-

Veneti Citluchum, Gabellam, Kuppā, Clobuchum & Chium insul. capiunt.

stia-

ſtianorum ſuccurſus) cuniculoque feliciter ad urbis muros evibrato, ſpontanea ſe traditione cum C. tormentis bellicis ſubmittit, extraditqus 850. mancipia libertati donata. Abeuntibus inde Turcis adeſt ſubſidiaria eorum claſſis, quam Zeno mox fugientem perſequitur. *Vid. num.* 322.

Turcarum æmulationes & turbæ.

313. Quibus quidem territi Turcæ non deſpondebant tamen quædam recuperare loca, ideoque pacis caduceatorem Hemskerchium Anglorum Batavorumque legatum honeſtè Adrianopoli dimittunt Belgradum, ſplendidè à Seraskiero Giaffero Baſſa ibidem exceptum, ſed diutius Vezirii juſſu impatienter detentum, quòd hic pacis negotium non omnino, propter exortas interim in Ottomannica aula æmulationum invidiarumque turbas, periculis haud paucis gravidas, rejiciendum exiſtimabat: idem namque Vezirius Muffti ſupremi flaminis partes adverſus Sultanam auctoritate potentem ſecutus, à Veziriatu dejicitur; cujus mox amplexus ſententiam ejuſdem poſtmodùm favore reſtituitur officio; Mufftius tamen octogenarius exulare juſſus eſt. Sultano præterea Achmeto deſperatè ex hydrope decumbente haud exigua de ſucceſſore eligendo timebatur diſcordia, quam unanimis demum & Achmetis, & conſiliariorum extinxit conſenſus in Muſtapham, depoſiti Mahometis IV. filium, regimini præ cæteris omnibus aptatiſſimum. Arabica denique ſeditio, belligerantiumque Thunitanorum invicem & Algieriorum tumultus Ottomannicam ſolicitabant

bant Portam, pacem quidem bello præferentem, amissa tamen recuperare ambientem.

Supremus interim Vezirius conjunctis sibi Tartarorum, Albanensium & Bosnensium copiis, octoginta millium, ut fama ferebat, exercitum Belgrado discedens contra Cæsarem ducebat, incertum an Transylvaniam, an superioris Ungariæ Titulium, Petrowardinumve invasurus: indefessâ igitur utrobique, & Titulii imprimis paratur defensio [quo etiam præmisso Salankemenum inter & Carlowicium aliquot millium agmine, navibusque simul militaribus, tendere videbatur] solertem verò Hâusleri intelligens vigilantiam [qui Cæsareo interim præerat exercitui] mutato consilio, transmissoque velociter Savo Petrowardinum petere, & interceptus referebat Aga, & Polonus confirmabat transfuga. Tum hic præsidiarii numero aucti congestitiis tumultuariè urbem aggeribus, militarique sepimento munire, vallare sudibus, duplici navali Danubium ponte insternere, & collectis undequaque copiis Christiana ad Petrowardinum castra firmissimo, varioque munitionum genere, & subterraneis cuniculis circummunire, exercitum confirmare, omnium transfugarum fama à Vezirio desperatè, ex rigidò Sultani mandato ubicunque irruendum. Comes igitur Caprara supremus tum Christiani exercitûs legatus 5. Septembris castra ingressus, eorum, urbisque munimenta & sepimenta circumquaque cum Hâuslero perlustrare, omniaque in vigorosam parare defensionem cunctus desudabat miles Christianus. Sed pridie quàm hostis

ſtis advenerat, ingens aëris tempeſtas papiliones Chriſtianos evertit, navalem infringit pontem, & quina ſubmergit aliaque collidit navigia, indefeſſo ſub noctem labore reparata. Et ecce die altera 9. Septemb. adeſt cum ingenti exercitu, 110. navium claſſe, & ultra 500. tormentis bellicis Vezirius, & coarctata Chriſtianorum caſtra, octoginta vix inde paſſibus diſtantia ſub directione machinatoris bellici, ut creditur, Cornari, & gallici Ducis de Longeville conſilio & inſtinctu, terrâ & aquâ circumvallat, aſſiduis tormentorum fulminibus flagellat, malleolis impetit, pontemque largi ſpe præmii per Arabum quendam invadit; ſed Chriſtianorum utrobique vigilantiâ, & tormentis ex fluminis & inſulæ margine fortiter eſt repulſus, accedentibus opportunè 900. equitibus, & ſex Brandeburgicorum cohortibus, quos ſubſecutus mox Bolandus cum tribus equitum legionibus, & quatuor Ungarorum millibus, quibus confirmatus auxiliis Caprara hoſtem atrociter impugnantem fortiter depellebat. Inter hæc præſidiarii Titulenſes 25. annonarias Turcarum naves intercipiunt, & lautam ad eorum caſtra famem remittunt: Oſerowizam ècontra Inſulam Turcæ occupantes, repellentesque Cobilâ Raſcianos Tartari, annonarios viciſſim Chriſtianorum currus, & pabulatores, magnum quoque jumentorum hominumque numerum & impedimentorum partem capiunt, quas Baſſompierus perſecutus, cæſo Galgæ Tartarorum filio, & 1500. gregariis, equos 100. in caſtra reduxit.

Turcæ Petrowardinũ & Chriſtiana cingunt caſtra.

Jam ad 13. Octobris urgebat hoſtis pertinaci

cum

cum furore in prædicta Christianorum castra impressionem, at dum cœlum interea pluviosum castrenses hostium foveas genutenus complesset, & indefessam Christianorum fortitudinem, suorum etiam 15. millium interitu enervare nequicquam posset Vezirius, abitum meditatur, urgente imprimis stipendiorum & annonæ penuriâ: cúmque Tartari desertis modò ob Sultani sui Galgæ cum Vezirio discordiam castris peterent Tibiscum, Janizari militare ulterius tumultuosè recusabant: contractis igitur tormentis & impedimentis, hostis fugæ similis elabitur; quem per angusta viarum silvarumque persequi haud satis erat tutum; Haidones vero Titulenses 20. rursus navigia cum annona, apparatu bellico, signisque septem militaribus, & 3. tormentis interceperunt. Vezirius ne omnino frustranea hujus anni cederet expeditio, transmisso Belgradi Savum peditatu, per delectum equitatum annonam quovis jubet modo inferri Giulæ & Temeswario à Cæsareanis eminus probè occlusis; sed tam Giulæ quàm Temeswarii irrita cessit eorum tentatio, unde Adrianopoli orta est seditio Achmetem regimini ineptum throno dejiciendum; sed maturè auctorum morte est præfocata. Utriusque demum partis exercitus subiit hybernia; & Caprara quidem ubi Hâuslerum præfecisset militiæ, donatum sibi à Cæsare Waradinensem ibidem adiit generalatum, magnanimæ virtutis suæ præmium; Vezirius autem Hemskerkium legatum à mense Majo Belgradi detentum honorificè dimisit Viennam; unde non obscura non pacis

Magnâ jacturâ illud deserunt.

sed

sed belli patebat præsumptio, quod omni semper conamine gallicus paci præterebat legatus Chateauneuf, turcicis in Divano consiliis ut plurimum præsens, quo militaribus copiis è Germania (à Gallis invasa) in Ungariam retractis Cæsari ibidem Rex suus Ludovicus prævaleret. Cæterum Turcarum hoc anno exercitus vix L. cum Tartaris numeravit millia, dimidium consumpta: pacem igitur maturiori fortiorique expeditione ab illis extorquendam persuadebat Hemskerkius, fame imprimis jam ad 21. diem Decembris coactâ Giulâ, situ, arte, & naturâ validissima: nam cùm urbis præfectus filium suum & Janizarorum Agam cum 60. Turcis ad sollicitandam enixissimè annonam promissam emisisset, media eorum pars cum Janizarorum Aga (filio cum aliis vix fugâ elapso) copioso auro, gemmisque referto in Marilii trajectu est capta; quo territus præfectus missis tribus Segedinum obsidibus Cæsareo ejusdem præfecto Joanni Josepho Baroni de Huyn supremo vigiliarum præfecto ultroneam offert 27. Decembr. urbis Giulæ deditionem: pactis igitur securitatis & liberi cum armis, discessûs tabulis easdem Capitaneus Liebenbergus Cæsaris manu subsignandas deferens Viennam, aureâ donatus est catenâ; Turcæ enim uni & soli Cæsaris Leopoldi fidei & sinceritati confidebant, per universam Turciam permaximè eam venerantes, unde quidam:

Captâ Giulâ tractus transdanubialis Cæsari submittitur.

Et Deus hoc, & Cæsar habet, non fallit uterque
Æternum Domini, verbum utriusque manet.

Excesserunt autem urbe 19. Januar. anni sequentis, relictis omnibus tormentis & bellico

appa-

apparatu, tacitis etiam tympanis, involutisque vexillis [præterquam uno Janizarorum] Temeswarium 500. præsidiarii; universim autem cum incolis mille quingenti. Atque ita transdanubialis Tractus, excepto Temeswario, totus in Leopoldi Cæsaris reductus est potestatem. *Vide num.* 320.

314. In Sicilia horrendus iterum in mense Martio cum ingenti regni detrimento factus est terræ motus, qui & Bruxellis, Trajecti, Ruremondæ &c. est animadversus; in Neapolitano autem regno aliquot millium hominum, ædium & templorum ruina in mense Novembri adeo fuit terribilis, ut mons prope Teoram (in qua 400. homines oppressi) aliquot divisus est milliaribus & translatus. In Februario mare circa Gribaltarum tremendis supra hominum ætatem sæviit tempestatibus, & plurimas Anglo-Batavicæ classis naves cum Britannico Architalasso Francisco equite in profundum demerserit: uti in Gallia ex liquefactis montium nivibus exundantia flumina Ligeris & Rhodanus ultra 3. millionum libras intulêre detrimenta; & Ligeris quidem in Celennensibus oriens montibus Galliamque pertransiens Regis destruxit palatium, ædes plures, pontes, molas, homines & animalia plurima ultra trecentorum millium florenorum damnum diripuit.

Terræ motus varii, & tempestates.

Tertio Nonas Aprilis cœpere circa Vesuvium audiri tonitrua, & erumpere per varias hiantis montis fauces flammæ, quæ immensos sulphuris, & ferventis sabuli globos in aërem circumquaque sparserunt. Repetitum pluries lethale incen-

Vesuvii grandis exhalatio.

incendium integrâ hebdomadâ populos afflixit, terrore postmodùm aucto abundantioribus flammis, quæ torrentis bituminis fluvium, centum & amplius cubitis latum per agros ad aliquot millia dilatarunt, aëre interim fœtidissimis vaporibus infecto. Vix desederat effusi bituminis materia, cùm alius cinerum & sabuli imber redintegratur, qui ad ipsam quoque civitatem Neapolim deportatus est. Ad extremum ferventibus adhuc terrore & incendiis, 10. Calendas Maji novum eructavit Vesuvius flammarum & bituminis fluvium, qui in torrentes duos divisus, plures è circumpositis agris inundavit, obvias quasque arbores & saxa in momento exurens, quæ super fluidi bituminis undâ levium ad instar stipularum abripi, & enatare visa sunt. Ut deferbuit effusum per agros bitumen, ita obriguisse compertum est, ut lapidum duritiem æquaret. Tanti constat regionis amœnissimæ fertilitate potiri, cujus commoda tam frequentes & repentini terrores, non sine gravibus plerumque damnis corrumpunt. IX. Calend Jun. non minoris terroris portentum propè Cadurcum in Gallia Narbonensi ostensum est, ubi densata nubes in fulgura & fulmina dissiluit primùm; inde paulatim ignescens, postremò in solidam grandinem, & ingentis pluviæ diluvium evadens, arbores omnes & domos non mediocris pagi funditùs extirpavit, quadringentis incolis, ne uno quidem relicto igne & aquâ absumptis. Aqua hæc inter valles residua citatissimi torrentis instar in primum flumen tanto fœtore irruens, tam acri veneno litora & fluctus infecit, ut pisces

fces omnes certatim undis exilire festini statim interierint.

Inde Dux Noailles 6. Aprilis discedens Parisiis 30000. exercitum ducit Palamos versus in Cataloniam, eoque Mareschallus Tourvillus Tolenio 29. mensis solvens ad ostium fluminis Thicim, seu Ter cum classe appellit, cui in adversa Hispani parte castra opposuerant, Gallorum impedituri transitum; sed horum multitudini impares, quamvis generosè obnitentes, 3500. jacturâ repelluntur, desertisque impedimentis & commeatu se fugæ committunt. Irritata gens hoc excidio, Cæsar augustæ & alibi Gallos inquilinos dicteriis, bonorum dilapidatione impetit, imo alios odio reciproco insultantes trucidat, ideoque è multis locis Galli Hispaniâ non levi artium & communis Reip. damno discesserint. Victus infelici hac pugnâ Cataloniæ prorex Dux Escalona tumultuariè Palamos, Gerundam & Barcellonam mille roborat peditibus; Noailles verò Palamos exigui roboris ad fl. Ter urbem paucos intra dies, & 10. Jun. munitionem adjacentem deditione, captis præsidiariis, intercipit; dum gallica interim in mediterraneo classis varias Hispanorum naves capit, Noailles Gerundam 20. Jun. circumvallat, eamque occupatâ Capuccinâ in monte munitione ab Hispanis derelictâ, 29. Jun. per ultroneam deditionem suæ fecit potestatis. Et 1. Jul. præsidiarios sine tormentis & impedimentis, equites sine equis in Aragoniam dimisit. Post hæc regni metropolim Barcinonem terrâ marique cingit, spe toto brevi regno potiturus; sed audiens Russelium cum ingenti ultra C. navium

Noailles Cataloniam invadit;

Quem Russellus Barcinone depellit;

classe approperantem, magnâ classis gallica Tolenium reversa est celeritate , relictis Russelio 500. tormentis bellicis & mortariis. Demum Noailles post devictum oppidum Blanes & arcem Hevillet, urbem & magni roboris arcem Ostarlicam ad fl. Torderam tum vi, tum proditione occupat, captis cum præfecto præsidiariis quadringentis. Quid? quod per Reges Sueciæ & Daniæ apud Franciscum Bernardum de Quiros Caroli Hagæ Comitis legatum universalis pacis conditiones Ludovicus XIV. Rex Carolo II. Hispaniarum Regi cum inserta hispanicæ monarchiæ successione proposuit, quæ præter cætera tam odiosa fuit Carolo, ut ab omnibus licet desertus foret sociis, unus & solus bellum continuare maluerit, quàm monarchiæ suæ successionem & divisionem permittere, uti hujus anni initio sub dato 23. Januar. ad Belgii sui gubernatorem Maximilianum Electorem Bavariæ literis peraravit, & omnia sedulò terrâ marique ad expeditionem jussit parari. *Vid. num.* 170.

Gallus Hispaniæ successionē postulat.

Certum autem & indubitatum est, Ludovicum jam tum ab anno 1659. in Pirenæis pacis, & cum Infante Maria Theresia connubii tractatibus illam Hispaniæ successionem, & monarchiam omni hucusque modo & dolo intendisse, maximo tamen suo præcipitio & ruinâ quæsivisse, unde lapsu postea graviori ruit, ut in decursu videbitur. *Vid. num.* 324.

315. Durantibus in Sabaudia hibernis ingentia Vallenses Gallis intulêre damna, in Januario & Februario imprimis 6. mulos Pinarolum tendentes cum 16. duplonum millibus & quingentis

tis coronatorum millibus interceperunt; ideoque Dux Victor Amedeus II. ob constantem eorum in se fidelitatem, & vigilantem patriæ contra hostes defensionem, illos rescissis anno 1686. 31. Januar. & 9. April. contra eos publicatis edictis, domibus & bonis eos ejicientibus, ad lares suos, patrocinantibus maximè Anglorum Rege & Batavis revocavit, bona restituit, privilegia & immunitates confirmavit, prætensæ religionis suæ libertatem indulsit, & in integrum plane omnes restituit, sub dato 23. Maji 1694. Vallenses vicissim constantem suam in Amedeum Ducem adeo probarunt in hostem retundendo fidem, ut prædicta privilegia, immunitates, consuetudines & libertates iterato 25. Maji confirmarit, quo Vallenses maximopere animati, excursionibus & observationibus suis exitiosa sæpius Gallis detrimenta fecerunt. 12. siquidem Augusti mille ducenti Vallenses, & 400. Sabaudi ductu prætoriani militis Capitanei Blagnati tria Gallorum agmina infra Traversum aggressi vertunt in fugam, cæsisque 70. eorum castra in prædam cesserunt, & 400. fistulæ, 400. togæ militares, 150. muli, 300. jumenta, 20000. argenti libræ &c. oppida præterea Bragiatum, Bare, Plaetmouchum, & medio ex parte Traversum ignibus subjecerunt. Uterque verò exercitus tam gallicus quàm Confœderato-Sabaudus nihil hoc anno tentavit molimin is, licet hic 15000. Sabaudorum, Hispanorum tantundem, & 12. Germanorum millia numeraverit, præter eos, qui Casalium eminus incluserant; sed motis variatisque hinc inde ca-

Vallenses ob fidelitatē ad lares revocantur.

ſtris 5. Septembris Avigliani caſtra metati ad 12. uſque Octobris conſederunt, Catinato haud dubie viribus impare eis prope Pinarolum invigilante, & præter Pinarolii & Caſalii reſtitutionem favorabiles pacis conditiones Sabaudo offerente; clandeſtinis tandem pactis induciis dum inſcii hujus confœderati Caſalium, aut Pinarolum ſuaderent, urgerentque invadendum, plurimis Sabaudus tricis expeditionem differendo, utrumque non ſine exiguo confœderatorum detrimento impedivit; quare 15. Octobris uterque exercitus ad hyberna eſt digreſſus, & Generalis propræfectus Geſchwind à Peckenſtein non longe Caſalio arcem S. Georgii ſuæ fecit poteſtatis, Caſaliumque arctius per hyemem occluſit. Galli verò in Vallenſes, damna vindicaturi, quadruplici illos via irruentes facile Embrunum uſque non ſine ſanguine rejiciuntur, vallenſibus ubique invaleſcentibus cedentes. *Vid. num.* 352.

Jubilæũ univerſale. Romæ Innocentius 12. menſe Decembri anni præcedentis univerſale orbi Chriſtiano jubilæum pacis impetrandæ causâ conceſſit, *Vid. nu.* 349. quod hoc anno per regna & provincias, & 4. Aprilis per Galliam eſt celebratum; ubi Pariſienſis quoque archiepiſcopus 21. Februarii per totum archiepiſcopatum ſuum pro felici Regis ſui expeditione, & malorum averſione preces quadraginta horarum inſtituit, uti Rex ipſe magno ſingula ſtudio ad belli continuationem præparabat, exercitum ſuum 26. Martii Compendii perluſtrans, indeque 31. Verſaliam rediens Cardinalem Guilielmum Fürſtenbergũ ſupre-

ſupremum Ordinis S. Spiritûs præſidem præfecit, & multos Ordinis S. Ludovici equites creavit, ſinguloſque belliduces ad ſuos dimiſit exercitus, in Flandriam Delphinum, Duces Luxemburgenſem, Villerojum, Jojeſum &c. ad Moſam Bouffleurum, Montrevillum &c. in Germaniam Mareſchal. de Lorge, Choiſeulum, Tallardum, Chamillum, Uxellem, Villarium, Melacum &c. In Pedemontium Catinatum, Vendomum, Teſſeum &c. In Cataloniam Mareſcal. de Noailles, Coignum, Quincojum &c. ut dixi, amandavit.

316. Antequam hæc fierent, Rex in menſe Aprili Cæſari, ejuſdemque confœderatis has pacis propoſuit conditiones: Pacis Monaſterienſis & Neomagenſis tractatus in ſuo permaneant vigore, & pactæ anni 1684. menſe Auguſto decem annorum induciæ in defenſivam hac lege tranſeant pacem, ut demolitis, & ſuo domino reſtitutis Monte-regio & Trarbacho, uti & munimentis Ludovicio & Hunningo: Rex Argentoratum cum ſuo propugnaculo retineat: reponet deinde in ſtatu quo Philippopolim & Friburgum, totumque cum ſuis dependentiis Palatinatum, obliteratâ prætenſione & ſucceſſione Duciſſæ Eliſabethæ Charlottæ, filiæ Caroli Electoris (in quo ſtirps defecit, & ad Neoburgicam devenit) & Uxoris Ducis Aurelianenſis; Lotharingiæ denique Duci ſuum reddet Ducatum in pace Neomagenſi adſtipulatum præter Saar-Ludovicium, Binchum & Homburgum, quorum loco dabit æquivalens Venetorum judicio determinandum. Sin minus, humani ſanguinis

Gallus Cæſari pacis conditiones propoſuit.

guinis bello effundendi reus non futurus; verùm Penélopes telam retexuit. Causa autem pacis desideratæ erat afflictæ Galliæ status & dira fames, plurimos lamentabiliter consumens; cadavera namque equorum, felium & hominum erant in deliciis; parentes liberos suos aut fame, aut vi à se enectos sine nausea commedebant; Pastores namque Parisienses in aula Archiepiscopi congregati miseram parochianorum suorum deplorabant famem & inopiam; S. Eustachii Pastor in sola sua parochia præter populares rusticos publicè in plateis, & in nosocomiis defunctos alia quindecim millia hominum referebat mortua; totidem numerabat Pastor S. Sulpicii; S. Ludovici Pastor ajebat præter pauperes alia sex parochianorum suorum millia ditiorum eleëmosynâ & misericordiâ alimentari debere; similia alii referebant & lamentabantur Pastores. Et hæc fames non in Gallia solùm, sed etiam in Germania devastabat Gallos, Germanorum frumenta igne & aquâ tam insolenter & copiosè antehac corrumpentes. Plurimi præterea eorum equi veneficio serpentum infecti deperibant. Nec hæc fames ante messem solùm, sed etiam post divitem frugum messem ibidem invaluit; nam quia Rex immensam frugum multitudinem pro militum alimento per totum Regnum collegerat, & rusticis indigenisque extorserat, ex panis inopia, & ex crudo ineptoque cibo octava hominum pars, & ultra in præcipuis regni urbibus & provinciis fuit consumpta, & Monspessulana medicorum facultas testata Regi supplicâ, quod in solis Parisiensibus xenodochiis

Galliæ afflictæ fames.

in

in paucis mensibus ultra 30000 hominum occubuerint, & multò plura extranea in urbe. Accedebant barbaræ ad plurimorum hominum ruinam contributionum extorsiones, & capitum exactiones de ipsis adeo gallis, gallinis & jumentis: primæ classis Delphinus &c. 2000. Regni principes seu pares, ut vocant 1500. primarii equites seu mareschalli 1000. parlamentorum seu judiciorum præsides 500. consiliarii, & judices 300. libris sunt censi, unde miserrimus facile status Galliæ dignoscendus est: quare alias pacis conditiones per Reges Sueciæ & Daniæ obtulit confœderatis; quod videtur Rex arma depositurus, omnia à belli initio capta sine omni exceptione velit restituere, prætereaque reddere Argentoratum, Luxemburgum, Montemregalem, munimentum Ludovicium, Friburgum, & demolire Huningum, omnem Ducissæ Aurelianensis prætensionem palatinatûs dimittere; Lotharingiam Duci totam, & pro Saarlovicio, Bitsch & Homburgo æquivalens, uti & Duci Mantuano Casalium reponere, modò emptionis pretium refundat. Conventiones præterea Galliam inter & Angliam in Europa & America factæ, mercatura similiter Gallos & Batavos restabiliantur, econtra Rex Galliæ nec Jacobo Angliæ regi, nec liberis ejus ullum suppeditaturus subsidium, modo Wilhelmus Rex Jacobo vivendi tribuat subsistentiam. Protestantibus Regno suo ejectis liberam in Gallia suæ sectæ professionem, bonorum restitutionem, & prærogativas concedet: in favorem denique Electoris Bavari, jus quod suus in Hispaniam Del-

Aliæ pacis propositiones.

phinus, mortuo sine hærede Carolo II. habet, hæreditario principi Bavaro cedet, modò Cæsar Mariæ Theresiæ nullitati renuntiationis velit consentire; sed surdis cecinit Laómedon. Interim emissæ utrimque turmæ variante belli fortunâ spolia interceperunt non rarò confœderati opulenta; Galli ècontra oppidum Ladenburg in Junio transcendentes præsidiariis 110. cæsis incenderunt; Eppingam quoque tentantes, & in urbem inferiorem perrumpentes, relictis 46. equis & 6. mulis rejiciuntur.

4. Nonas Februarii fato Parisiis concessit Joannes Ludovicus Aurelianensis, dictus Longavilleus abbas, qui dum juvenis, in Jesuitarum Societatem receptus esset, ex ea ob mentis inopiam eductus, sub Abbatis titulo consenuit, rebus ob animi imbecillitatem impar. Principatûs Neocastrensis in finibus Helvetiorum jure sanguinis hæres factus, facilè adductus est, ut rationes & jus suum alteri ex regio sanguine Principi testamento transcriberet: quod periculosæ liti ministravit ansam, dum Contiaci Princeps hac transactione hæres in Nemosiam Ducissam, Abbatis sororem, actione promotâ vix non bellum incendit; repressum tamen Helvetiorum Pagorum, & Wilhelmi Britanniæ Regis auctoritate, qui dissidii materiam post mortem Ducissæ plenius tractandam remitti curarunt. *Vid. num.* 319. & 364.

Mors Joan. Georg. Saxoniæ electoris.

317. Medio Maji defuncto variolis Dresdæ Saxonico Electore Joanne Georgio IV. frater ejus Fridericus Augustus Elector est inauguratus, cum quo Cæsar tractatum transscriptionis

12. millium Saxonum 20. Februarii hujus anni cum Joanne Georgio erga quadringenta imperialium millia iisdem omnino conditionibus initum, cum Friderico in socium magnæ confœderationis admisso renovavit & confirmavit: qui Saxones & Hassi antequam ad confœderatorum traducti essent exercitum (qui prope Sontheimiũ undequaq; ad 34. millia confluxerat) Ludovicus Badensis 9. Junii ad castra pervenit, paulò ante ex Anglia redux, magnâ ibidẽ veneratione, pretiosis donis cultus, hujus anni expeditionem juxta bellici ibidem consilii conclusa inchoaturus. Cum igitur gallicus sub mareschallo de Lorge exercitus Neostadio migratus Philippopoli rhenum 10. Junii transivisset, Badensis cum fœderato exercitu (cujus equitatum Fridericus Carol. dux Würtenbergensis, & peditatum Dux Badensis Durlacensis ducebant) versus rhenum Eppingum, & inde 26. Jun. summo silentio sine tubis & tympanis Syntzheimium, versus Wislochium movit, sex Saxonum millibus confirmatus; de Lorge verò post rheni transitum morbis & fugâ suorum 2500. infirmatus, ideoque viribus impar, motis Leimâ tumultuarie castris præcipiti fugâ & confusione rhenum rursus transmeat, postquam transito Nicro sex millia Ladenburgum versus emissa indigenas bonis & pecoribus spoliassent, quorum novissimum demum agmen propræfectus Eberginus cum Ungarorum turma aggressus 8. belliduces & 300. gregarios, præter plures captivos, interemit; tardiores autem subsessores rustici & ungari in via montensi omnes, & in uno oppido

Gallicus exercitus fugiens Badensem obvia spoliat & vastat

Gumba

Gumba 86. proftraverunt. Marefchallus interim de Lorge cum parte equitatus Spiram inter & Wormatiam, cum reliquo exercitu binis Philippopoli horis caftra eft metatus; Badenfis autem in altera rheni parte prope Gensbergam, & 1. Julii inter oppida Loffen & Heckenheimum ad finem ufque menfis Julii, confedit, inde propius Philippopolim, & Galli Creutznachium Landaviamque verfus caftra traduxerunt; ubi interim mutuis excurfionibus & velitationibus utrimque actum, Gallique prope Moguntiam oppida Elersheimium, Harxheimium & Laubenheimium, militari licet ære ritè foluto, diripiunt; & quia Oppenheimenfes cives ob continuas gallorum infeftationes & barbaras exactiones ad incitas redacti, ultra rhenum è regione urbis fuæ (cujus parochialis ecclefia omnium totius rhenani tractûs dicitur præftantiffima) quod reliquum illis erat, ad cafas ibidem extructas traduxerant, galli easdem tormentis bellicis deftruunt, & miferos loco depellunt. 6. Augufti è Monte regio præfidiarii quidam transmiffo rheno oppidum New-wied opibus, & variarum fectarum genere refertum, nulloque munitum præfidio dormientes noctu invadunt, defpoliant, & totum ignibus fubjiciunt, infigni prædâ, auro & argento ditati; ficque unicum totius gallici exercitûs erat ftudium & labor fruges demetendi, & frumenta colligendi, quæ tamen in confœderatorum demum venerunt poteftatem: nam Gallis hucufque prope Creutznachium confidentibus, fua Badenfis caftra Langenbruko movet Durlacum, pontemque

Badenfis Gallos infecutus gra-

navalem Heilbrunnâ ad Nicrum curribus ad exercitum traductum rheno tumultuariè insternit, quem Badæ Durlacensis cum 3. peditum millibus & 800. equitibus transiens prope oppidum Schrech, à Gallis paulò ante desertum considet; quem 15. Septemb. totus admirabili celeritate consecutus est exercitus; sicque Badensis Alsatiæ imposuit, exegitque tributum, annonarias Gallorum domos Hagenbachii & Weisenburgi occupavit, & tantam frumentorum cepit copiam, ut per triduum 400. curribus inde frumenta, & 15. jumentorum, equorum aliorumque pecorum millia (taceo extortas à Gallis contributiones) in alteram rheni partem securitatis ergo remisit: principale deinde in oppido Brumbt, aliaque alibi eorum annonaria, magno Gallorum detrimento flammis consumpsit, taliterque intentatam Rheinfeldiæ invasionem impedivit. Omnibus his ex voto peractis rhenum remensus Dachslandii castra metatur, inde exercitum, pontemque navalem curribus Heilbrunnam 16. mensis Octobris reducit; ac demum anno inclinante ob aëris tempestates ad assignata militem dimittit hyberna, eaque ita disposuit, ut gallicos munimenti Ludovicii & Philippopolis præsidiarios continerent. Alsatia vero inferior ingentem Regi Galliæ pecuniam 700000. librarum in ære, in frumentis 2000. Impp. urbs argentoratum, nobiles & populares accolæ ultra centum florenorum millia pendere debuerunt. *Vid. num.* 326.

via illis infert detrimenta.

318. In Belgium Rex Angliæ Guilielmus ex Anglia reversus cum Electore Bavaro Belgii Guber-

In Belgio utriusque exercitûs motus.

bernatore exercitum, tam equitatu quàm peditatu gallico superiorem colligens, gallici in Anglos certior factus moliminis justâ equitum phalange & 1500. dimachis ex silvæ insidiis aggressores invadit, & ex 2000. septingentos Gallos prosternit & capit trecentos, Anglorum in ferventi hac velitatione occubuere trecenti. Et quia fama ferebat Leodium aut Trajectum à Delphino, & Duce Lucemburgo impetenda, confœderati his locis sufficienti præsidio & commeatu munitis, exercitum ad montem S. Andreæ, & fanum S. Petri 22. Junii transferunt; nec mora, delphinus Hujo die alterâ approximans castra Houboni & Vinamontii metatur; quibus in locis uterque exercitus ad 18. usque Augusti conquiescit, panico quandoque excitatus, & in aciem dispositus, ad decretorium nunquam prælium pervenit, nisi quod iterato emissitiæ equitum turmæ utrimque excurrentes invicem conflixerint, & commeatum alternativo marte interceperint, decimo sexto autem Calendas Septemb. cum Rex Angliæ observasset gallici partem equitatûs quasi frumentaturi mosâ & Cambre fl. transmissis Carolo-regium transiisse, castra sua Namurcum inter & Carolo regium transfert, quem Delphinus immediate subsecutus etiam migrat versus Namurcum, & 19. Augusti ad fanum S. Gerardi; tum Anglus Cambronum & Leuse contendens Ducem Würtenburgensem 23. Aug. Escanassam cum pluribus copiis præmittit, qui transito scaldi comitis Echiani copiis (quibus prope Gender marchionis Valetti motus observabat) conjunctus,

Au-

Audenardam versus gallicas foveales lineas, & Valettum deinde invasurus, audit Valettum octo dimacharum, & à tergo peditum millibus præcipiti velocitate confirmatum, hostilemque exercitum eâdem præcipitantiâ in subsidium adproperare: quare Anglus exercitum Audenardam, Delphinus 26. Aug. suum Cortracum traducit, & mox ille, Electorque Cruyschoutoni & Wonnegheimii consederunt, ferebatque fama Gallos in præcipiti illo itinere plures quam in acie & decretoria pugna stipendiarios desiderasse; ideoque in castris suis Cortraci se continere; èconttra Anglus movet 8. Septemb. Rousselarum, inde Holsatiæ Ploensis Ducem cum parte exercitûs, Cohornium cum fossoribus, & cum Brandeburgicis Dewitzum versus Leodium ad infestandum Hujum demittit, quod Zerclas Tillius 17. Septemb. capit deditione, arcem & munimentum Picquart 60. tormentis & 20. mortariis arietata, hoc 24. armatâ manu, illam 27. spontaneâ quoque deditione intercipit: præsidiarii 700. galli more militari absque impedimentis Dinantum die altera demissi, & Dauphinus commisso Duci Luxemburgo exercitu Cortraco reversus est Parisios: Rex Angliæ etiam Guilielmus Hagam Comitis profectus dispositis ibidem cum Confœderatis pro sequenti expeditione rebus 18. Novemb. abiit in Angliam. *Vid. num.* 327.

Tillius Hujum capit.

319. In Scotia aliquot Regi Jacobo addicti & devoti suppliciis sunt affecti, rei proditionis. Eques Berklejus anglicâ classe Cameretum igne & ferro oppugnaturus, non sine jactura rejicitur,

tur, quia ſuppetiis Geſo brivate roboratum fuerat; inde Depas invadit, & urbem ferme totam uti & Havre de Grace ingenti civium & urbium detrimento devaſtat; non tantam verò cladem portui la Hoque ob providam præcautionem potuit injectis 1500. pyrobolis inferre, ideoque remigravit in Angliam. *Vid. num.* 128.

Bavarus nubit Thereſiæ filiæ Polon

Interea temporis Varſaviæ 15. Auguſti Poloniæ Regis Joannis II. Sobiezki filia Thereſia Cunigunda Caſimira deſponſata eſt Electori Bavaro Maximiliano Emmanueli, ad quem 3. Novemb. per epiſcopum Plocenſem eſt deducta Francofurtum ad Oderam, & Berlinum regali ibidem pompa à Brandeburgico Electore Friderico III. honorata, primâ demum Januarii 1695. Weſaliæ à ſponſo ſuo Maximiliano excepta, & 2. Jan. in templo PP. Dominicanorum copulata, undecimâ ejusdem veſpere venit Bruxellas.

Poloni commeatum intercipiunt & depopulantur Tartariā

Proſpera Polonorum hoc anno fuit fortuna; nam 53. Tartarorum & Turcarum millia ingentem commeatûs, æris, mercium, apparatûsque bellici Copiam toti anno ſufficientem, plusquam 4000. curribus Camineco illatura Polonorum archiſtrategi Jablonowskius & Saphra ſuperato Boryſthene, fortiter adorti profligant, cæſisque Turcarum 7000. totus commeatus & apparatus in manus vincentium Polonorum, cum aliquot mille boum jugis devenit. Sub hæc Coſaccorum campiductor Palffius in Budziack, magni Chami territorium & penuarium, omni vacuum milite (qui in commeatûs tutelam & defenſionem comitabatur) excur-

rens,

rens, omnem latè regionem, oppidis pagisque uberrimam, igne & ferro funditùs delevit, & prædam sustulit 18000. pecorum.

In India orientali pulsis Gallis Hollandi Pontiduram sibi vendicant. Algerienses in Africa viribus potentes acie superant Tunetanos, & Tunetum expilant.

Controversia successionis in Comitatum Neocomensem inter Principem Conty & Dominam de Nemours, aliosque competitores diu ventilata, cessit tandem 1708. Electori Brandeburg. Friderico III. Regi Prussiæ. **Comitat. Neocomensis cedit Brandeburgo.**

Obiit hoc anno 28. Decemb. Calendarii antiqui; novi autem 6. Jan. 1695. Kensingtoni Regina Angliæ Maria, nata undecima Aprilis 1662. desponsata Guilielmo Principi Auriaco 19. Decemb. 1677. ac demum 21. Februar. 1689. expulso patre suo Jacobo II. Regina Angliæ est proclamata & coronata. Leodii quoque 1. Februarii fato cessit Joannes Ludov. L.B. ab Elteren episcopus Leodiensis, cujus loco 20. die Aprilis viginti quatuor Capitularium votis, prælecto Pontificio eligibilitatis Brevi, electus est Josephus Clemens Dux Bavariæ, Archiepiscopus Coloniensis (& 8. Januar. episcopi Edmundi de Brabeck, & totius capituli consensu coadjutor Hildesiensis electus, & 23. Martii Romæ confirmatus) contradicente autem Decano de Mean cum aliis capitularibus, die alterâ in domo decandi 22. votis electus est Ludovicus Antonius Dux Neoburgicus, magnus Ordinis Teutonici Magister, Imperatricis frater, magnæ virtutis & expectationis Princeps; dubiæ nodum **Mors Mariæ Angl. Regin. &c.** **Et Episc. Leod. ab Elteren succedit Joseph. Archiep. Colon.**

competentiæ ad pontificem delatæ, 4. Maji immatura dissolvit mors Ludovici Neoburgici, Josepho tunc cedentis; cujus frater Franciscus Ludovicus episcopus Uratislaviensis 1. Julii Mergentheimii in Ordinis Teutonici Magistrum est electus, & consueto solemni ritu loricatus &c. Moritur quoque Leopoldus Ludovicus, ultimus Palatinæ Veldensis lineæ Princeps: unde plures jus successionis agnati prætendebant: Rex Sueciæ uti Palatinus Bipontinus, non tantùm ut Ducatûs Bipontini dependentiam; sed jure etiam testamenti principis defuncti: Elector Palatinus Neoburgicus urgebat jus primogenituræ: Palatinus Sultzbacensis & Birckenfeldensis proximitatem gradûs & familiæ allegabat, possessionemque capiebat: finito tamen bello Elector Palatinus Neoburg. Joannes Wilhelmus II. possessione principatum occupavit. Eandem mortis viam ingressus estDux Holsatiæ Gottorpiensis Christianus Albertus, successit Fridericus; & Rex demum Persarum, Sche Solimannus anno ætatis 48. cui successit Ussainus filius, sibi coronam imponens ipse, quod nullum in hoc officio sibi parem, aut dignum agnosceret.

Mors variorû.

Annus 1695.

320. Anni nonagesimi quinti supra millesimum sexcentesimum dies Februarii sextus hydrope & catarrho suffocavit Achmetem Turcarum Sultanum, habuitque successorem ex fratre Mahomet IV. nepotem Mustapham II. annorum 33. & magnæ apud illos spei principem.

Mors Achmetis, successit Mustapha.

Die

Die ejusdem mensis 18. obiit quoque Presburgi Archiepiscopus Strigoniensis, Georgius Szeczenus, Hungariæ Primas, ætatis anno 103. qui emeritæ affectæq; militiæ nosocomium quadringentis florenorum millibus, præter alias pias causas, fundavit (nam duos fere florenorum milliones reliquisse dicitur) legavitque testamento Cæsari Mammerstorffium vino & frugibus feracissimum.

Item Georg. Szecze-ni archi-episc. stri-gon.

Assiduus interea utrimque futuræ fervet expeditionis apparatus, eò Turcis ferventior, quòd Mustapha ipse cum novo Vezirio (priori ob clandestinas Janizarorum in ipsum motas factiones strangulato) in campum educturus exercitum, secundiorem, ex recuperata, seu potius à Venetis incautius desertâ Chii insula, spiraret belli aleam. Belgradum igitur Mustapha cum exercitu, & Valida matre, fœmina ædepol sagace, contendit, Petrowaradinum aggressurus; ubi vero intellexit firmius urbem communiri, & in ejus tutelam Christianorum ibidem exercitum adesse invigilantem & paratum, transmisso Danubio in Transylvaniam irrupturus Temeswarii consedit: inde 15000. Lippam ad Marisium subitâ vi opprimens cæsis quatuor præsidiariorum centuriis 500. eductisque apparatu & commeatu, urbem vulcano consecrat: aliâ exercitûs parte 17. Septemb. Titulium eâdem vi, & armatâ manu occupat & deditione arcem, captisque 1600. præsidiariis fortificationem in aëra evibrat, & deserit, quam mox Herbevillus cum 6000. Kobilæ considens, sed succurrere tunc impotens, in regionis tutelam

Mustapha Lippam & Titulium capit.

Transylvaniã irruens Veteranum cædit.

tumultuariè restauravit; Mustapha verò sine hujus offensione Transylvaniam insiliens, ut viscera ejus penetraret, usus celeritate, castra Friderici Comitis Veterani (cui hæc conservanda provincia, & præcipui in Transylvaniam aditus Caransebes & Porta ferrea cum 7. legionibus equestribus 6500. erant commendata) juxta Lugos in valle Ezeckerthal loricata, impedimentaque carragine cincta supremus Vezirius 20. Septemb. cum 20000. primò invadit; sed sed dum iteratò magna suorum jacturâ rejicitur, Mustapha ipse cum reliquo 58. millium accedens exercitu circumcingit,& ubique perrumpit; pugnabat Veterani miles cum duce suo fortiter & desperatè; sed multitudinis furori cedens; dum octingenti legionis Leichtensteiniæ pedites intra impedimentorum carraginem hostilem diutius sustinent impetum, magna equitatûs pars cum Truchsesio Caransebes elabitur: Dux ipse Veterani duplici licet vulnere saucius, suos iteratò in hostem educens, globo tandem secundum pectus perforatur, quem 500. equites vivum adhuc pugnæ subtracturi, deficientibus tandem ejus viribus equo delapsus inter circumfusam hostium multitudinem moritur, sociis ejus jussu, quantum licebat, hostem perrumpentibus, tyrannus egregiam laudans in hoste fortitudinem, delatum ad se herois caput honestè jubet cum cadavere sepeliri. Eandem mortis urnam subière princeps Lichtensteinius, generalis vigiliarum præfectus de Pace, marchio de Mirmillis, Scheckendorfius, Comites Arenetus, & Cusanus, pluresque tribuni ac protribuni

cum

cum 2500. gregariis, tormentis & impedimentis omnibus cruentè satis & carè hanc Turcæ licitati sunt victoriam 12000. suorum cæde, neque libitum fuit eam ulterius prosequi, quòd Fridericus Augustus Saxonum Elector, & Caprara justo cum exercitu appropinquarent, qui hostilis consilii & periculi Veteranum præmonuerant, & Guidonem Starrenbergum 16. equestribus legionibus, & 20. tormentis eò præmiserant; sed 20. adhuc milliaribus ab eo distantes, difficillimis viarum, fluminum, paludumque obstaculis remorati, hostium celeritatem assequi, stragemque avertere nequaquam poterant: præmittebat tamen Elector turmas aliquot Devam, Jenum &c. ut trepidantes exercitu mox adfuturo confirmarent, & colligerent dispersas cædis reliquias, quas Truchsesius desertâ exutâque (præter pauca tormenta conclavata) apparatu bellico Caransebe, tantæ hostium multitudini impari, ad Ferream, ut vocant portam traduxerat, ulteriorem hosti in Transylvaniam ingressum suis quatuor millibus impediturus. Tyrannus proximum Electoris adventum audiens, Chiafferum bassam cùm relictis Belgradi copiis ad se vocat, & eversis postmodum Caransebis munitionibus Danubium & Belgradum cum exercitu reperit, ulteriorem copiosiori suorum sanguine cruentatam fastidiens prælii fortunam. Elector magnis licet passibus in Transylvaniam properaverit, 3. prius Octobr. Fornialum haud procul Deva cum exercitu pervenit, ubi à Transylvanicis statibus exceptus, exercitusque ab illis commeatu provisus, ad Cæsarem quendam de-

Frid. Elect. Saxoniæ cum exercitu in Transylvaniã propera.

deputarunt, alium loco Veterani Ducatûs sui archistrategum seu defensorem rogantes. Transylvaniæ deinde præfecti Comites Pamphus & Bethlemus de patriæ periculo & securitate consulturi ad castra veniunt, constantem Cæsari fidem offerentes, quibus expeditis Elector 12. equestres & 3. legiones pedestres sub potestate Vaudemontii, Bolandi, Passompteri & Pfefferkornii provinciæ imponit; ceteris legionibus ad alia dimissis hyberna, Ipse Viennam Cæsari expeditionis suæ seriem relaturus decedit. Starrenbergius interea Petrovaradini in omnem officiendi hostibus occasionem intentus, Sabacium in Savi insula, ubi hic Danubio maritatur, & Carbinovam oppidum occupat, Mustapha verò per Valachiam reversus Constantinopolim triumphans cum matre Valida singulari urbs lætitiâ excipitur. *Vid. num.* 330.

321. Nonas Januarii Rex Ludovicus censum annuum viritim ab omnibus omnino subditis solvendum imponit, dispendiis subventurus, quæ ob continuum à tot annis in fœderatos bellum ærario vix non exhausto succrescere videbantur. Clerus ordinis reverentiâ à consuetis regni oneribus immunis non diu postea & ipse censui huic solvendo nomen dedit, subventionis voluntariæ nomine cohonestatâ necessitate, quæ omnes regni ordines ad ferendas regni suppetias adigebat. Idem Rex Ludovicus singulari edicto 3. idus Aprilis regni sui episcopis jura in Regulares, cujus vis Ordinis homines & loca ampliavit, facultate illis attributâ visitandi, ac primum regularem tenorem instaurandi, ubicun-

que

que cum publicæ ædificationis dispendio relaxatus fuisset. Quod hæc sanciendi auctoritas ab uno & supremo rerum sacrarum administro Pontifice dimanare videretur, edictum novitatis, & præteriti temporalium jurium limitis odio Romæ laboravit; unde post agitatæ quæstionis inter utrumque forum multiplices motus, lis tandem Ludovici declaratione resedit, quâ testatus est, se unum Dei cultum præ oculis habuisse; nec unquam supremi Ecclesiæ capitis jura temerare in animo & votis habuisse.

6 Idus Junii horribili terræ motu Hetruriæ pontificiæ pars non exigua soccussa est, fatiscenteque solo Acula, Volsinium, Balneoregium, aliaque minoris nominis oppida fere tota corruerunt, desideratis tamen inter tot ruinas solùm quadraginta circiter incolis, qui vel ruderibus oppressi, vel in terræ hiatibus sepulti interierunt. Quod hoc damnum provinciam Sedis Apostolicæ vectigalem afflixisset, Innocentius Pontifex præter liberale plurium aureorum millium subsidium, quod festinus afflictis erogari jussit, prædictarum urbium incolas ad decennium omni vectigali liberos voluit; quâ remissione ad ædium instaurationem integrandam efficacius accenderentur.

Poloni consuetis animorum discordiis in comitiis intricati, de cogendo militari stipendio neutiquam conveniunt, nec quicquam Clerus & episcopi ad hoc de bonis ecclesiasticis(id quod Pontifex tamen Regis concesserat instantiæ) volebant contribuere; ideoque episcopus Vilnensis Sapieham Lituaniæ archistrategum, ecclesiæ

Ex Polonorū discordia inter Sapiehā & episc. Vilnens.

Tartari Poloniam depopulantur.

clesiastica bona milite gravantem publico excommunicationis vinculo indiscreto constringit dicam zelo, an vindictâ, ob rejectum à Mareschalli provincialis præfectura Crispinum affinem suum, implacabili familiarum odio, & patriæ damno universæ. His Polonorum discordiis usi Tartari, illata prius Caminco abundanti commeatûs, apparatûsque bellici copiâ, Lembergensem latè districtum latrociniis, bustis atque excidiis immaniter evertunt & exscindunt, ejusdemque adeo urbis suburbana 70. armatorum millibus atrociter involant; quorum furorem urbis præfectus cum 1300. præsidiariis in suburbana excurrens viriliter non modò sustinet; sed victoriose etiam in fugam agit, Cæsis eorum & læsis 3000. Inde tamen Poloniam pervagati incredibile ubique, & regalibus imprimis bonis inferunt detrimentum, eorumque prædationibus, latrociniis, & plurimorum servitute Ucrania iteratò est afflicta. *Vid. n.* 334.

Veneti prælio maritimo Turcas vincunt, & deserunt Chium.

Nec segnior erat in Chio insula recuperanda Mustapha; nam C. navium classem eo destinatam Priulus & Pisanus vicethalassi quamprimum observantes, ducunt in altum, interque præliandum quinque Venetorum naves à barbaris circumseptæ adeo generose se defendunt, ut binæ Turcarum naves concepto igne in aërem evibratæ, reliquæ Chium, brabaræ Fochiam repetierint. Die sequenti 19. Febr. Architalassus Zeno alteram cum Turcis orsus naumachiam, septem bellicas eorum naves salo demergit, ter-

ternas capit, & unam è suis interceptam barbarorum manibus eximit Sebast. Mocenigo; victi tandem hostes dilacerata admodum classe Foggiam aufugiunt, desideratis duodecim mille classiariis: nec incruenta Venetis hæc cessit victoria, sed æqualis eorum numerus, si non major, est interfectus. Zeno Chium reversus deficiente pane nautico, emanentibusque annonariis navibus, curules urbis machinas, & apparatum bellicum navibus imponens, excisis etiam evibratisque urbis munitionibus insulam non sine insigni deserit temeritate, stupentibus ad hæc barbaris, & diffidentibus; veritatem comperti tumultuariè occupant, vino celeberrimam, incolas quasi Venetis studiosiores spoliant, & prioribus privant privilegiis. Hæc Insulæ jactura Venetos admodum pupugit; haud exiguam proinde respublica annonæ & apparatûs bellici copiam cum bis centenis ducatorum millibus eò sine mora destinat, submersas, laceratasque aliis navibus supplet & classiariis, Alexandrumque Molinum Zenonis loco (qui dimissionem petendo obtinuit, rediensque Venetias bienniò pòst vitam clausit in carcere) architalassum constituit.

Quod Turcæ occupant.

Turcarum interea Seraskierus Regni Moreæ urbem Argos 20. millibus circumcingit, & deditionem postulat; negante eam urbis Præfecto Fachio acriter infestat; Molinus Naupliæ hæc intelligens Steinavium Strategum cum undecim quamprimum millibus eo destinat, qui adeo suum dilatat exercitum, triginta quasi millia valentem: Seraskierus Gallorum profugo-

Turcæ Argos cingentes Molinus rejicit.

rum relatione deceptus [6. Christianorum solùm millia indicarant] in apertum prodiens ad oppidum Manara campum, cernensque extensum adeo Venetorum exercitum Gallos capite minuit, resumptoque nihilominus animo tantâ sinistram Christianorum alam à tergo & latere invadit furiâ & desperatione, ut ericiis licet militaribus defensam in fugam conjecerit: adest opportuno mox tempore Steinavius, fugientes increpat, metuentes erigit, & ducit in hostem, advocatisque binis Grimaldi, & Salisburgensi legionibus Turcas non solùm fortiter rejicit, sed advesperante 10. Jun. die ad loricata sua fugere cogit castra, quæ eâdem adhuc nocte Christianorum metu tumultuariè deserentes, relictis 14. tormentis, copiosoque bellico apparatu & commeatu, in oppugnatione Neapolis di Romania adhibendo, à Venetis die altera sunt occupata, & intercepti 300. Cameli & 700. pecora. Cæsa in hac pugna, vulnerata & capta sunt sex Turcarum millia, & Veneti 500. qui paulò ante Livadiam urbem vi captam & expilatam vulcano obtulerant. Molinus Architalassus singulo militi pro re fortiter gesta largitus est ducatum.

Et duplici naumachiâ vincit.

Mezzomortus autem Turcarum Architalassus occupato Chio arrogantior navali denuo classe 15. Septemb. prodit in publicum, Molinoque non detrectante, atrox utrimque Samos inter & Chium 5. horis non sine sanguine tenuit naumachia, quam nox demum diremit, sustulitque cum Angelo Bembo 600. epibatas, navibus adhuc integris, barbarorum binæ salo submer-

sæ,

sæ, & binæ malo antennisque nudatæ submersionis evasere periculum, opportuno adhuc tempore Chium applicatæ, majorque eorum classiariorum numerus interfectus. Alterâ & tertiâ porro die meditatam à Molino pugnam grandis impedivit aëris tempestas; qua 18. Septemb. adhuc continuante, circa meridiem tamen atrocius priori exortum prælium turcicam salo immersit, & prætoriam Tripolensem cum alia malo & antennis orbavit, fugatusque Mezzomortus victoriam cedit Molino, & navem 80. duplonum millibus divitem; qualem etiam Capitaneus Manetta Turcis cum quadringentis duplonum millibus extorsit; in aërem tamen fortuito evibrata est navis S. Joannes Baptista Piccolo, cum nobili patritio Santamo, Capitaneo Porschio, Brisaco, aliisque Officialibus, & Steinavii impedimentis: cecidêre quoque in hac ultima pugna celebris Girolamus Michiel, & D. Zenni; demum 22. Septembr. Molinus dimissis domum Pontificiis & Melitensibus auxiliaribus navibus, classem Neapolim de Romania, seu Naupliam reduxit, victoriisque Respublica in S. Marco triumphavit. *Vid. num.* 139.

323. In Turcas tunc etiam temporis movet Moscoviæ Czarus, Petrus Alexowizus, fratrum junior, exercitu quadringentorum millium (quorum tamen dimidia fermè pars Lixæ erant & Calones) sub Archistrategis Szermeto & Mazeppa, captisque tumultuariè validissimis ad Borysthenem arcibus Kazikermeno, Haslano, & Hordeko, ipse mox præsens Czarus Alophũ invadit, ad fines Europæ & Asiæ in Insula Ta- Moscus Alopũ frustra tentat.

nais

nais fl. hodiedum Don situm, non exigui roboris civitatem, mercaturâ opulentam, binis trabeatis munitam castellis, quorum alterum vi, deditione alterum cum optimo bellico apparatu & annonâ obtinet; sed propter navium defectum, paludum impedimentum, præsidiariorum 6000. fortitudinem & contumaciam, annonæ denique penuriam, & quòd expertes imprimis deessent pyrotechnites, balistarii, bellicique machinatores; jamque hæc obsidio ultra triginta Moscorum devorasset millia, in opportunius dilata est tempus oppugnatio, quo maximi hi supplerentur defectus; & sollicitatos quidem à Cæsare & Electore Brandeburgico bellicos machinatores, hic Mosco viginti satis versatos submisit. *Vide num.* 333.

324. In Catalonia hujus anni principio Galli sub gravi ignis executione extorquebant contributiones, quas denegantes rustici obvios quosvis trucidant Gallos, eorumque mille ducentos mense Martio eam in rem emissos sexcenti quinquaginta Hispani, Mequeletii, ut vocant, irruunt, plurimisque cæsis in fugam convertunt, quo diffamato conjuncti illis rustici, eos ad oppidum Olar propellentes, ad unum omnes capiunt, ita ut ex 1200. vix centum evaserint: postmodum aliquot ex Delphinatu roborati legionibus oppidum Blanes diripiunt, Ecclesiam spoliant, sacras Ciborii hostias sacrilegè in terram projiciunt, adeoque barbare & detestabiliter tractant incolas, ut divina etiam ultio eorum vindicare scelera postmodum sit visa; nam Valerius Saletta inter Looretum & Sosam interclusо

cluſo aditu illos aggreſſus 400. proſtravit, cepitque eorum octoginta; quo rurſus animati miqueletii & ruſtici, quinisque dimacharum vexillationibus roborati bis mille quingentos commeatûs defenſores adorti in fugam propellunt, ultra 300. mactant, 400. capiunt, & 100. mulos cum farina ad arces Oſtalricum & Caſtelfolitum, ab illis arctè circumcinctas, deſtinatos, in prædam abducunt. Hinc Mareſchallus de Noailles cum exercitu in Cataloniam properat, prædictas arces liberaturus; ſed à miqueletiorum & ruſticorum excurſionibus tantum paſſus detrimentum, ut ex moleſtiarum tædio affectus morbo ex caſtris Montempeſſulanum deceſſerit, cui Regis imperio Dux Vendomius ſucceſſit. Cum itaque Hiſpanorum Archiſtrategus Marchio Gaſtanagus certis audiſſet nuntiis commeatum per mulos ducentos ſub 12. millium Gallorum cuſtodia Caſtelfolitum deducendum, convocatis ſubitò miqueletiis & ruſticis Gallos ex montium inſidiis aggreſſus tria eorum millia cædit & vulnerat, omnesque præter 30. mulos in prædam aufert. Vendomius non longè pòſt prædictæ quidem arci aliquot, ſed non ſine ſanguine, immittit præſidiarios, ſed obſeſſores miqueletios ab obſidione depellere omnino non poterat, niſi occupato poſtmodum vicino monte miqueletii inde receſſerunt: Vendomius autem Caſtelfolitum, Oſtalricum, Beſalu, Romillas, Bannolas, Baſcaram, Jordores & Blanes ob præſidiariorum defectum ſolo æquavit. Interim Gaſtanagus quatuor Anglorum millibus ex confœderatorum

Caſtelfolitum Catalonenſes cingentes à Gallis pelluntur.

claſſe

classe Barcellonæ factis anchoris considente, confirmatur: quæ ingens 150. navium classis sub Architalasso Russelio illo fine expedita est, ut in mediterraneo mari errabuuda Tolanenses & Massilienses Gallorum naves & classem contineret, ne Casalio à confœderatis obsesso [de quo paulò infra] subsidium submitteret, & Catinati suppetias retardaret; ingentem enim toti Provinciæ & Italiæ incussit tremorem, petiitque à Pontifice & Duce Florentiæ Russelius liberum in maritimos eorum portus aditum, sine ullo invasionis aut detrimenti periculo, sed necessariorum solummodò causâ alimentorum; quod gallicus licet Cardinalis Fourbinus variis periculorum & consequentiarum argumentis apud Innocentium XII. & Cosmum III. conatus avertere; ambo tamen portuum ingressum Russelio permisêre. Magnâ igitur Tolanii & Massiliæ in Provincia Architalassus Tourvillus sollicitudine & studio in vegetam cuncta parabat defensionem, Russeliusque à Genuensi Republica 12. Jun. sequentia exigebat. 1. Ut confœderatorum admitteret præsidium. 2. Naves suas 35. ex gallico revocaret stipendio. 3. Sabaudiæ Duci redderet Savonam. 4. Octo duplonum millia Gadibus à Grimano levata seu exacta, & Galliæ Regi tradita cum bis mille duplonum mulcta restitueret. 5. Esset confœderatorum socius, aut hostis. 6. Demum solveret præteritorum annorum tributum, sex milliones; sed prætervehendo nullus subsecutus est effectus, rectâ Barcellonam velificans, ubi decreta in consilio bellico urbis Palamos obsidio, quam Gastanagus

Russelii classis Italiæ formidabilis.

gus 21. millibus medio mensis Augusti tribus in locis impetendo invadit, & Russelius mari tormentis & pyrobolis flagellat; at cum Tourvillus 50. navium classe oceanum ingressus Gallis suppetias ferre meditaretur, Russelius repetitis 4. Anglorum millibus illi cum classe occurrit, maritimum, si posset, prælium commissurus; obsidio itaque intermissa, & Vendomius urbem 20. die Septembr. est demolitus. *Vid. num.* 335.

325. In Sabaudia clandestinis hoc anno finitis Gallum inter & Sabaudum induciis (quarum beneficio Ducatui à Gallorum hactenus vastatione & emunctione parcitum fuit) hic cum confœderatis de Casalii anno 1681. 30. Septemb. Gallo à Mantuano Duce pretio divenditi, agit obsidione, & indefesso urget studio, quod jam tum à Gallis erat desperatum, ideoque Rex per Ducem Mantuanum Cæsaris beneficiarium rogat Pontificem, ut hujus urbis sequester possessionem ad pacem usque generalem caperet, quod statum ecclesiasticum non concernens Pontifex renuit. Auri quoque à Gallo oblatione recusatâ, Catinatus clam urbis spondet traditionem, si ejus robora & munimenta everterentur, ne à Cæsare occupatum haberet Dux vicinum se potentiorem; sed Cæsare penitus dissentiente tentata est obsidio, initio mensis Aprilis octodecim Cæsareanorum, Hispanorum & Sabaudorum millibus, 71. machinis curulibus, & 26. mortariis; sed ob inauditam tum temporis nivium copiam miles hyberna repetit, nisi quod mille ibidem circumposi i omnem urbis aditum intercluderent, Eugeniusque Princeps 20. Maji circum-

Sabaudus & confœderati Casalii capiunt deditione.

circumvallationis perficeret lineam, & magnum erigeret munimentum, tormentariosque aliquot suggestus, è quibus undecim urbis in Pado molas & pontes destrueret: moderatâ autem aëris temperie priora miles repetens castra 26. Jun. obsidionales aperit accessus, quos omni fermè die perlustrabant, animosque addebant Amadeus, Eugenius, Carolus Brandenburg. Gallowajus Anglus, Maximilianus Hanoveranus & Gelchwindus; proinde extructus ante arcis portam agger cum aliquot tormentis armatâ captus est manu, & S. Georgii propugnaculum solo est æquatum; confœderatus interim exercitus sub Commercio ultra Padum haud procul Pinarolum (cujus accessum demessis circumquaque frugibus prohibebat) Catinati inter montes considentis molimina observabat. Crenanus urbis præfectus tormentis quidem & excursionibus se fortiter defendebat, & propugnabat urbem Europæ validissimam, & intra decennium infinitis Regis Ludovici XIV. impensis roboratum; sed quia sexcentos solummodo Gallos sibi fidos præsidiarios, cæteros Montferatenses habebat in Ducem & dominum suum Amadeum bellare recusantes, tum etiam quod cuniculi aquis exundantibus corrupti, pyrobolosque omnes omnino in nosocomio valetudinarios & saucios cum ingenti omnium horrore & tremore necasset, ac ultimum denique adesset debellationis periculum, ultroneam Crenanus offert 9. Jul. urbis deditionem hac inter cæteras conditione, ut omni robore & munimentis, præter urbis mœnia dirutis Mantuano Duci permitteretur, nec durante

tante hoc bello restauraretur; contradicentibus omnino Cæsareanis, consentientibus autem & urgentibus Hispano & Sabaudo urbis & arcis robora sunt eversa, ingentemque confœderati commeatum sortiti sunt, & bellicum apparatum, octo nempe millia maldrorum tritici, & 2000. farinæ, 600. oryzæ saccos, & 200. fabarum &c. 70. curules in urbe machinas, in castello 28. & unum mortarium, in arce 120. tormenta & 10. mortaria, in armamentario 30. bombardarum millia, 25000. orcarum nitrati pulveris, 10000. pyrobolorum, 80000. globorum tormentariorum, 50000. sphærarum, 80. ligonum palarumque millia &c. qui apparatus & commeatus æqualiter tripartitus Cæsareanis, Hispanis & Sabaudis cessit. Præsidiarii 260. Officiales, 600. Galli, & 2710. Montferatenses Pinarolum cum 8. tormentis bellicis, sonantibus tubis & tympanis, explicatis vexillis & accensis funiculis sunt deducti. Confœderatus autem exercitus 22871. armatorum ad montana Susam versus, & ad castra Vigonum discessit. & Dux Carolus Philippus Brandenburgicus febri in castris Casalii 23. Jul. defunctus Berlinũ est deportatus. *Vid. num.* 336.

826. Per totam Alsatiam Rex Galliæ omnibus & singulis cujuscunque status aut conditionis, etiam pauperibus indicit capitationem, censaque universim sunt capita 245997. ipsa civitas Argentoratum 48. librarum millia semel pro semper solvit. Ad rheni tractum quod Landgravius Hasso-Cassellensis omnem suam Batavis transcripserat militiam, & Saxones cum Duce *(Varii Badensis & Gallorũ motus.)*

suo Cæsari in Ungaria militarent, pusillus erat confœderatorum exercitus, imparque Gallo; hinc Mareschallus de Lorge 28. mensis Maji Parisiis venit Argentoratum, inde Landaviam, & 5. Jun. cum exercitu, 54. tormentis bellicis, binisque mortariis Philippopoli rhenum transiens Bruchsalii militari illum communit sepimento, vias & pontes Hochsheimii reparat, & pluribus accersitis Philippopoli bellicis tormentis Heilbronnam à confœderatis roboratam propiùs accedit eos invasurus; Verùm dum confœderati Monasteriensibus, aliisque propediem copiis Sontheimii confirmarentur, mutato consilio regionis fruges devastat. Princeps vicissim Baireutensis significato Badensi hostium consilio & molimine, confœderatorum exercitum in prioris anni castra transfert, quæ Badensis ægra adhuc valetudine 2. Jun. Steppachii accedens validioribus firmat sepimentis, Pfortzheimium 800. præsidiariis confortat, General. Wurtzium à silva Hercina Weilerstadium ad gallicos subsessores in Wurtenbergense solum excurrentes continendos revocat; & quia ex captivorum & Ungarorum emissorum dictis Galli 40. armatorum millibus confœderatos ante suppetiarum adventum pararent invadere, in generosam omnia parabantur defensionem, Heilbronnâ plures ad castra curules traducebantur machinæ, ipse Badensis omnes perlustrabat occludebatque accessus, atque ita plures inter utrumque exercitum intercedebant velitationes & captivitates. 20. Jun. Mareschallus de Lorge morbo affectus castra deserit, tradito militari

im-

imperio & poteſtate Mareſchallo Jovenſo, qui cùm appropinquantes confœderatorum audiſſet ſuppetias, verſus Nicrum Nuſlochium & Schwetzingam transfert caſtra, inde Hackenſteinii & Laſſon inter aquas & paludes loricis mota caſtra probè confirmat;nam ſuum luſtrans ibidem exercitum prope ſex millibus invenit diminutum; Badenſis verò occupata arce Mentzingen, impoſitoque prope Nicro-Gemundæ ponte caſtra movet Langenbrucken,conjunctoque ſibi ſubſidio Gallos inſequens Rohrbachii conſidet, & aciem format: corpus ipſe Badenſis, Baireutenſis, Durlacenſis & Tungenus ducebant; alam dexteram Frid. Carol. Wurtenburgenſis, Baro Schwartzius, & Baro Zant: ſiniſtram Comes de Lipp, Caſtelus, Lud. Wurtenburgenſis & Com. Fürſtenbergius, atque ita Gallos aggreſſurus; at de Lorge viribus reſtitutus audito 19. Jul. Caſalium à confœderatis interceptum, 20. die noctu exercitum magna velocitate & ſilentio trans rhenum reducit, non ſine metu à Badenſi carpendum, & infeſtandũ; intercluſo autem ubique acceſſu legiones aliquot tam equeſtres quàm pedeſtres dimittit in Belgium. Rebus ita conſtitutis Badenſis habito Moguntiæ cum cæteris Belliducibus conſilio, Palfium cum duabus Ungarorum, & Schwartzium 3. dimacharum legionibus Coſtheimium, amandat, pluribus hoſtem excurſionibus ibidem infeſtantes, nunquam ſine inſigni præda redeuntes; exercitum verò 17. Auguſti Gensbergam & Rauchenbergam traducit. Gallicus quoque exercitus 3. Octobr. Guntersblumii in duas

Badenſe Galli fugiunt, & pugnam declinant.

divisus partes, una Kirchheimium versus, altera contendit Creutznachium, emissis prius aliquot Wormatiam turmis, quæ omnes ibidem aditus vigilanter observarent: Badensis etiam ut continuum securumque haberet rheni transitum, novoManheimium robore vestire meditabatur; sed æris abstinet defectu. Declinante jam anno uterque exercitus quærit hyberna, & Badensis abit Viennam, peractæ expeditionis seriem relaturus. *Vid. num.* 336.

327. In Belgio miles Bruxellensis cum socio suo 5. Gallorum stationes, & 7. excubias summâ pertransiens cautelâ, ultra 20.plaustrorum millia fœni & straminis Namurci incendit,& eadem via per funium scalam fossæ murum transcendens evadit incolumis. Hic in fervidam omnia utrimque parantur expeditionem; Villerojus cum Boufflеurio confœderatorum viribus inferior, fossilem Cortraco ad Scaldim usque trium milliarium lineam, à priori tribus dissitam milliaribus ad securiorem exercitus sui defensionem per 14. fossorum millia tumultuarie perficit, cumque ab exploratoribus intelligeret Electorem Bavaricum prope Gandavum lustrato 15. Aprilis confœderatorum exercitu in se moturum, suum illico 40. millium ad præfatas transfert lineas,quas munitionibus & tormentis valide communit, & Comitem de Motte cum octo peditum cohortibus ad munimentũ Cnock, ut hostis observaret molimina, destinat. Elector dum Villerojum frustra ex lineis non sine ingenti jactura vincibilibus lacesseret, & elice-

ret,

ret, certoque audiret nuntio Regem Angliæ ante Octobrem ad castra vix adventurum, militem ad priora, unde sumpserat, præsidia remittit. Villerojus interea metuens Namurco, illud necessario communit bellico apparatu & commeatu. Actum insuper frequentibus utrimque excursionibus, alternante, ut solet communiter, martis fortunâ.

At ubi Elector Regem Angliæ Wilhelmũ præter opinionem Hagam Comitis 25. Maji audiit advenisse, subito Hispanum suum prope Sillick colligit exercitum; Britannicum verò Vaudimontius & Dux Wurtenbergensis haud procul Gandavum Thieli ad nutum counien-dum, simulque in campum educendum; Brandeburgicorum deinde propræfectus Heiden, & Comes de Berlo, cum Brandeburgicis, Leodiensibus, Monasteriensibus, Hassicis, Neoburgicis & Batavis viginti circiter millibus, & bellico machinatore Cohornio prope Mehaine fl. & oppidum Tallar è longinquo Namurcum includunt; Villerojus autem ex variis urbium præsidiis Cortraci roboratus, aliquot haud procul Dixmudam munimentum Cnock legionibus, & confidentem ad fossiles lineas Comitem de Motte pluribus etiam legionibus confirmat, Boufleriusque suis cum copiis Condetum inter & Montes Hannoniæ invigilat Bavaro; & hunc vicissim Boufleurum Comes de Athlone cum 14. equitum & dimacharum legionibus Lovanii observat. Demum bellico Gandavi inter Regem & confœderatos habito consilio, commissoque Britannico exercitu Principi Vaudemontio, con-

tendit uterque in Brabantiam exercitus, & Comes de Athlone 27. Jun. Baroni de Heiden conjunctus Carolo-regium, quasi oppugnaturi, nocte inter 2. & 3. Jul. viam declinantes Namurcum arctè circumcingunt, quod præpridie Arcurtius 7. dimacharum legionibus, Guiscardus duobus pecorum millibus, ex vicinia vi coactis, & 3. denique Jul. die Bouffleurus ipse cum alia ingressus legione, tredecim summatim præsidiariorum millibus fuit communitum; & Bouffleurus quidem mox excurrens, abitum inde, ut referebant transfugæ, tentabat; sed fortiter rejectus regredi est coactus, qui proinde supra 300. ædificia & domos plateæ ad arcem tendentis destruxit, ut illam ignis subtraheret periculo. 4. igitur Jul. Rex, Elector, aliique Belliduces castra ingressi, ille regia sua stativa fixit Falluisii, Holsatiæ Ploensis Dux ad magnum aulæ propugnaculum, inter Mosam & Sabim Brandeburgici: Hispani & Bavari à Sabi usque propugnaculum Rousse; inde Batavi adusque Mosam, Leodienses denique in Condriaco ad Mosæ pontem, ubi Athlonus vias & aditus observabat; Rex ipse circum- & contravallationis lineas per 20. fossorum millia dirigebat, pontes Mosæ & Sabi necessarios imponebat, reliquo in obsidentium defensionem exercitui castra & stationes prope Masium assignabat, & 6. Jul. Athlonum cum 20. equitum millibus juxta Pieton considere jubebat, tum ut commeatum Bruxellis, Mechlinia &c. advenientem defenderet, tum ut à Villerojo ad lineas adhuc commorante duodecim millia Escanesum expedita observaret Zerclas; ac

Namurcum confœderati cingunt.

Til-

Tillium denique inCondriacum ad tuenda Leodiensium, vicinorumque locorum vehicula & currus demittit.

Tunc apertis 11. Jul. vallis castrensibus pugnatum est utrimque strenuè excursionibus, tormentis & pyrobolis in exteriores solum munitiones & propugnacula, illæsâ adhucdum urbe & arce. Villerojus interea audito Maclovium, seu S. Malo ab Anglica classe ignibus vexari & vastari, tentat Neoporti cataractas Viervortii occupare, quod eo tum loci prævidens Dux Wurtenbergensis, illud, & Rottevillum, aliaque vicina loca majore firmat præsidio, ejusque jussu præfectus Neoporti cataractas sine mora aperiens; Villeroji exercitum, nisi subito subduxisset, aquis suffocasset; movet igitur Ostendam, & inde versus Brugas, mandatque Comiti Montalo, ut Deynsam & Dixmudam invaderet, & hanc quidem justo 4500. præsidio firmatam, poteratque proximus tribunus Offarellus hostē cum suis 1500. armatis eò usq; detinere, donec vicinus Wurtenburgensis venisset subsidio; sed biduo vix elapso urbis præfectus Ellēbergus turpi proditione utramq; & simul præsidiarios hostium tradit potestati, Insulas & Cameracū traductos, qualiter non modò ingens confœderatorum commeatus & apparatus bellicus ibidē collectus in manus hostium sine unius militis jactura pervenit; sed expeditio & consilium præter Namurcum & jam Dunquerquam simul mari invadendi recidit incassum, quare Wurtenburgensis sublatis inde subitò castris, Vaudemontio se conjungit, & Montalus Villerojo, qui sine

Villerojus Deynsam & Dixmudam capit proditione.

mora suum 80000. exercitum movet in Vaudemontium 35000. solummodò valentem; hic quia viribus multò Gallis inferior, cunctis subitò convasatis, sine ulla jactura, & sine ordinum disturbio ad Gandavi suburbia evasit incolumis; quod prudens subterfugium Rex summè laudavit, & Præfectum Ellenberg capitis damnavit, bonisque privavit: Deynsæ autem præfectus Offerelus tanquam infamis fracto à carnifice gladio, militiâ est dimissus, uti & cæteri ignavi tribuni & officiales. Villerojus reflexo Billemii itinere ex ira & tædio elapsi sibi hostis tria incendit oppida & destruit, uti & Dixmudam & Deynsam robore exuens, incenso granario, incolisque barbarè tractatis deserit, his peractis, commendatisque fossilibus lineis Comiti de Motte, & de Montal; ipse 8. Augusti prope Angiam castra metatus, multum ex præsidiis undequaque colligit militem, & montibus Hannoniæ pyrobolorum & mortariorum copiam; unde Rex Angliæ ejus Bruxellas invadendi subodoratus consilium, Athlonem cum aliquot eò cohortibus destinat, ipse paulò pòst subsecuturus, nisi Bavarus cum aliquot Belliducibus 13. Augusti urbem subiisset; quo eodem vespere & duobus continuò diebus Bruxellas adeò pyrobolis 28. singulis vicibus & ejaculationibus funestavit, ut 1500. ædificia, templa & monasteria incredibili civium damno destruxerit, Bavaro furorem ignis, ne serperet ulterius compescente. Cæterùm Bruxellæ urbs magna, elegans & splendida, Belgii Gubernatoris, regiique consilii residentia, aëris salubritate, camporum, silvarum amœnitate

Bruxellas Villerojus ignibus vexat.

tate

tate, civium multitudine, & mercaturâ, Sennâ fl. præsertim intercurrente, celebris, notabilis est in ejus dispositione numerus septenarius; quippe quòd septem ibidem parochiæ, septem portæ, septem scabini, totidem receptores, septem ad forum aditus, totidem lacus equis adaquandis, septem juratæ obstetrices &c. uti etiam hanseatica Mecklenburgensis civitas Rostochiũ habet septem portas, septem vias, septẽ pontes, totidem turres, septem campanas, septem arbores tilias, januas ecclesiæ B. Virginis. &c. Quòd septenarius fortè numerus semper notabilis & sanctus fuerit habitus juxta *Can. Presb. distinct.* 91. vel Jobi caput 5. respiciens: *In sex tribulationibus liberabit te Dominus, & in septima non tanget te malum.* Ab hinc Villerojus haud exiguis ex Normandia suppetiis, & ex Rheni tractu à Tallardo 7. confirmatus millibus pergit Hallam, Nivellam & Montes Hannoniæ, Namurcum liberaturus, à Vaudemontio & Atlone licet insecutus, & studiose observatus.

Namurci urbis deditio.

Interea temporis Namurci nihil fortitudinis, nihil laboris, nihil sudoris intermissum; sed 18. Julii facto in aggerem portæ S. Nicolai præstructum impetu cæde suorum 2000. & præsidiariorum 3000. est occupatum, armatâ deinde manu captum ad S. Crucem munimentum, factoq; ibidem tormentario suggestu Cohornii munitio graviter est flagellata. Eandem experti fortunam ultra Mosam in nova suburbii munitione Jambe præsidiarii, ne ab urbe disjungerentur, incenso suburbio eo confugiunt, locum dantes oppugnatoribus arcem tormentis peten-

di, & mosæ sabisque aditum fermè occludendi; Tum 26. Julii disjunctis omnibus exterioribus ab urbe castellis sive munitionibus, in portam S. Nicolai, & propugnaculum la Roche continuò fulminatum, & spatiosa patefacta murorum ruina, ibidemque bino urbem insultu, ipso Rege & Bavaro dirigentibus 27. Jul. aggressi, post tertium impetum exteriorem fossæ murum seu ut vocant contrascarpe, occupant, & firmum in fovea pedem figunt: in qua impressione cecidere præter 33. officiales, & gregarii 451. vulnerati 86. officiales, & 669. gregarii; tum latiori facto murorum intervallo generalis 3. Augusti decretus est impetus; cui se imparem videns Boufleurus ultroneam urbis offert certis conditionibus deditionem, pactisque duorum dierum induciis, & præsidiariis facultate arcem ingrediendi; his transactis confœderati ex undecim suggestibus tormentariis intra & extra urbem 160. curulibus machinis, & 50. mortariis in arcem fulminant, & quidem 21. Aug. omnia dato signo simul tanto ejaculantur tremore, ut arx tota corruisse videretur; hinc Guiscardus præfectus significabat civibus, quod si arx deinceps ex civitate tormentis impeteretur, pyrobolis se urbem accensuram; cui cives, ad primum pyroboli in urbem jactum gallicos in urbe ægros & saucios aliquot centenos officiales & tribunos ad unum omnes fore mactandos; cumque omnes referrent transfugæ Boufleurum parato diu noctuque equitatu effugium meditari. Rex ad Sabim, & ad Mosam Flemmingus Brandeburgicorum Strategus excubias ubique stu-

studiose invigilantes exposuit. 22. interim Augusti propius murum accedunt confœderati, munitionem Cohorn 8. passibus perterebrantes dejiciunt, in qua pyrobolus domum pulverariam accendendo non exiguam intulit turbationem, cujus beneficio 60. simul galli transfugiunt; altera quoque die alius pyrobolus domum inflammavit annonariam; Villerojus è contra ex tractu rheni novis à Tallardo legionibus roboratus, considebat ad fanum S. Amandi, & Sambref, dicebaturque à Rege jussus in festo S. Ludovici 25. August. Namurci liberationem tentare: quo die confœderati novis Hasso-Hanoverano-Luneburgicorum aucti subsidiis (totus simul exercitus 80000. valebat) munitionem Cohornii post cruentum trium horarum certamen armatâ manu occupant, ideoque præsidiarii per tres cōtinuò noctes accensis facibus Villeroji petebant instanter suppetias, quas etiam tormentorum responsione adpromittere videbatur; Rex igitur, Bavarus, Dux Hassiæ, aliique belliduces relictis ad obsidionem 28000. cum reliquis copiis Maseum ad castra adproperant, quæ quia inter Sabim & Mosam, à fronte rivo, & sylva concædibus munita erant inaccessa, Villerojus nihil ausus est tentare; sed 31. Aug. confœderati munimentum S. Spiritus, & vetus castellum armatâ manu occupantes, omnes simul vallares sudes, opertam viam & foveam obtinent, & generalem decernunt impressionem: quam Boufleurus sustinendo impar, spontaneam pactâ incolumitate subit deditionem, & 10. Septemb. militari honore cum præsidio 5000. di- Et arcis.

mit-

mittitur; quod dum primus præcedit, Duckfeldius illum accedens captivitatem ob violata Dixmudæ & Deynsæ pacta, captosque præsidiarios indicit; miratus Boufleurus tabulis incolumitatis à Bavaro subscriptis se Galliæ mareschallum detineri, debuit tamen ad restitutionem usque præsidii Dixmudensis (uti postmodum Regis jussu restitutum est) captivitatem nolens volens subire: ceterum præsidium cum Guiscardo Givetum est traductum, & magnus in arce inventus est commeatus & bellicus apparatus, 74. curules machinæ, 4. mortaria &c. interfectaque sunt in arce 6000. & 800, vulnerati. His feliciter & strenue peractis Rex Wilhelmus in Angliam reversus non exiguo exceptus est gaudio & triumpho. *Vid. num.* 337.

328. Ante verò hujus anni expeditionem Angliæ status, seu superior & inferior, ut vocant, domus cum Rege de belli continuatione consultantes, classem militatem 60. navium, & necessarium militiæ nervum Regi unanimiter decernunt, classemque copioso bellico apparatu & pyrobolis instruunt, qua archithalassus Berclejus Batavicæ conjunctus classi 15. Julii gallicæ Britanniæ Maclovum adeo 900. pyrobolis & sphæris funestavit, ut plus quàm media urbis pars in cineres redacta & destructa fuerit: die altera Capitaneus Benbow. eodem modo Granvillam, sive magnam villam in Normandia ignibus vexavit & evertit. Dunquerckam Flandriæ portum præterea idem Berclejus 11. Augusti pyrobolis quingentis, & 27. Augusti sexcentis pyrobolis Caletum in Picardia haud exi-

Angli Moclovium, Granvillam, Dunquerckā & Caletum ignibus vexant.

exiguo utriusque urbis detrimento coangustavit.

Deploranda sane est hæc bellici aut juris aut furoris licentia, quæ incautos, & omnis defensionis expertes incolas inevitabili hujus laniena ruinâ opprimit: & exprobranda seculo nostro ars, quâ sævitum est omni truculentioris hostilitatis genere, ejus etiam, quæ nihil ad honestam virium experientiam conferre noscitur. *Vid. num.* 338.

329. Hujus anni ultimâ Martii die Archiepiscopus Moguntinus Franciscus Anselmus ab Ingelheim Aschaffenburgi diem obit extremum, primùm in cervice podagrâ, pòst malignâ febri extinctus, ibidemque in electorali sepulchro est depositus; ubi in lapideo loculo totus adhuc incorruptus est inventus Archiepiscopus Theodoricus baro ab Erpach, anno 1454. defunctus; cui in electoratu successit Lotharius Franciscus è Baronibus de Schonborn, episcopus Bambergensis, & Anselmi coadjutor. Decessit quoque 26. Octobris Gustavus Adolphus Dux Mecklenburgo-Gustraviensis, masculino inops hærede, cujus ducatum ex capite primogenituræ prætendebat Fridericus Wilhelmus Dux Schwerinensis; Fridericus verò Dux Streblicensis ob pacta familiæ, & gradûs proximitatem: at Cæsar ducatûs sequestram, administratricemque Ducissam viduam constituit. Mors Archiepisc. Mogunt successit Schonborn.

Obiit etiam Henricus mareschallus Luxemburgicus, inter Galliæ proceres non uno nomine, sed præcipuæ bellicæ fortitudinis laude longè clarissimus, qui nempe tot ferè victorias, Luxemburgi. &c.

quot

quot prælia ductu suo conserta numeravit. Eleganti à conducto oratore panegyri in funere laudatus est; sed præteritis omnibus, quæ præcipuum seculi plausum demeruerant: scilicet non unius bellici valoris famâ, sed multorum aliorum consecratione traductus est, quæ hominem aulæ, & genialis libertatis lenocinia omnia sectantem famosum efficiunt, quæque in morte sincerâ pœnitentiâ ejurasse laudatus est.

Annus 1696.

330. Mustapha Turcarum Imperator post triumphalem prioris anni ingressum Constantinopolim, maturam tunc hujus sequentis anni 1696. ad medium Aprilis expeditionem paratam, suâ præsentiâ (dissuadentibus licet omnibus Divani Bassis & ministris) promovendam confirmandamque. Interea mensis Martii initio nationales Illoci, Valcovarii, Titulii &c. & aliquot Germani præsidiarii superato Savo insignem commeatum, plurimosque mercium curtus Belgradum tendentes cæsis defensoribus in prædam abducunt, Saxonicusque Elector 2. Maji Viennam venit Ungaricam expeditionem adornaturus, inde præmissos suos ad Castra Cæsarea belliduces generalem equitatûs præfectum Rose, peditatûs Birckholtz, & supremum militum magistrum Comitem Reus, ipse 23. Maji Budam secutus armilustrium instituit, absentesque copias convocat. Nec impiger Mustapha Asiatico prope Adrianopolim lustrato milite ad finem Julii tenet Belgradum, Feriolo gallico nuper ad Tôckelium, nunc ad Mustapham le-

legato, ad castra comitatus, Transylvaniam invasurus. Hoc prævertens Elector Saxonicus Temeswarium circumvallat, apertisque 12. Augusti vallis castrensibus urbem acriter flagellat, Starrenbergo Titulii recuperati defensionem commendans, qui paulò pòst Electori significat quatuor Christianæ classis naves ab hoste appropinquante (non absque ipsorum tamen 1500. strage) submersas, eumque infra Titulium transiisse Danubium; tum Elector relicto propediem Temeswario, Mustaphæ haud procul Olascho prælii aleam experturus, reductis gravioribus in insulam prope Arath tormentis 20. Augusti occurrit. Turcæ quamprimùm Christianorum in acie exercitum cernunt appropinquantem, irruunt 12000. insano furore perciti; sed ita repulsi, ut cedente eorum equitatu, peditatum Christiani jam aggressuri noctis caligine impediebantur: die alterâ, 22. Aug. visum est communito eos inter paludes castrorum loco sine copioso sangine dejici non posse, tormentis utrimque acriter per diem est actum, magno hostium, ballistariorum imprimis, detrimento, usque dum in planiciem admodum opportunam progressi, dexteram cujus alam densum nemus, sinistram triplex defensat carrago, ferreis connexa catenis, antè paludes, retrò claudebat fluvius Bege, unus ad planiciem & castra illorum patebat aditus, tormentis obstructus. His non obstantibus ne ulterior communiendi daretur hosti mora & occasio, circa quintam horam vespertinam Donatus Heuslerus cum VI. peditum agminibus, duabus succentu-

Prælium Christianorum cum Turcis prope Olaschū

ria-

riatus dimachorum legionibus per silvam hostis latera dum petit, hostilis excurrit equitatus, & Saxonum lineas perrumpit: hos Zinzendorffius aliquot equitum legionibus repellens, suis simul Janizaros ejicit sepimentis; hi autem quamprimum ab aliis confirmati, ideoque cedentibus Christianis, ab hostili equitatu in latere infestatis, succurrit 2. dimacharum legionibus Vaudemontius, & equitatum rejicit; sed Janizari dimachas adorti haud leve inferentes vulnus, tandem ab Heuslero (tunc graviter sauciato, indeque paulò pòst defuncto) ad sua usque sepimenta retroacti; equitatumque eorum rursus collectum Heidersheimius ad carraginem usque insequitur. Interea etiam Generalis Rosa hostilem alio in loco equitatum agit in fugam, quem insequi vetitus; alia tamen agmina ad hostilia dilapsa sepimenta, tormentis & validâ hostium excursione repelluntur; quibus auxilio Rosa cum legione Capraria subveniens, & mille hostium ab aliis disjungens internecione trucidat. Tota demum simul Christianorum linea hostem in sepimenta & carraginem suam summâ præcipitavit confusione, occupassetque, nisi Sultanus Mustapha ipse 3000. prætoriano cinctus subsidio fugientes vi, stimulis, & ferro repellens, dimisso denique equo pedes eam defendisset & conservasset. Tandem pertinaciter utrimque certantes nox diremit, qua in alterum Christianos diem in armis & acie tenuit paratos; Turcis verò congestitio carraginem suam aggere ita communiendi tribuit facultatem, ut sine copiosi sanguinis impendio ejici non potuisset.

De-

Deliteſcente igitur intra valla Sultano, Elector ob annonæ penuriam ad oppidum Chambors, ſpectante, & nequicquam impediente hoſte pernoctans, 29. Auguſt. Titulium verſus ad Starrenbergii copias divertit, relictis hoſti 32. campeſtribus tormentis, tum quòd corrupta, tùm quòd jumentorum defectu promoveri non poterant. Devoravit hoc prælium 2082. alii 4000. alii 6000. Chriſtianorum, quos inter Heuslerus, Bolandus & Spiegel Strategi ex vulnere mortui; Heidersheimius & Vaudemontius ſauciati: Turcarum verò ultra 8000. cecidiſſe referebat biduo pòſt captus Maniſſæ Baſſa, dicebaturque certam plenamque victoriam Chriſtianorum fuiſſe diſcordiâ Capraræ cum Electore & Heuslero interruptam.

Refectus Temeswarii per aliquot dies Turcarum exercitus Danubium verſus Banzovam inter & Bozzam conſidens (ideo Caprara exercitui ab Electore Viennam abeunte præfectus Tranſylvaniæ metuens, Truchſeſium cum 4. legionibus Jenoum in ſubſidium Comiti Rabutino; Glôckelsbergum cum ſua & ungaricis Raſcianisque legionibus, ad obſervandum hoſtem, quem ipſe poſtmodum cum exercitu ſubſecutus, ſubmittit) 30. circiter millibus Moravizum, opportunum & commodum Sclavoniam, Savique Tractum defendendi propugnaculum invadit Muſtapha, tormentis, pyroboliſque coanguſtat, & occumbente cum aliis tribunis loci præfecto Percylino, fugientibusque per illunem noctem præſidiariis tranſcendit, diripit, & flammis 23. Septemb. ſubjicit. Tum

Muſtapha Moravizum tranſcē- dit & incinerat.

Caprara Glocksbergum cum mille equitibus & ungarica legione versus Brodium, ejusque præfectum Kybam, Babinæ Cretæ cum aliquot legionibus invigilantem, ablegat, ut conjuncti ulteriori hostium molimini anteverterent; quod Mustapha audiens aliquot Rasciæ pagis direptis & inflammatis, multisque in servitutem actis Christianis cum Janizarorum Aga rediit Adrianopolim, quem distributo in hyberna milite subsecutus est Vezirius. Tôckelium verò & Chiafferum Bassam superioris Ungariæ & Transylvaniæ invasionem cum 12000. minitantes, Rabutinus validiori auctus subsidio, Temeswarium cogit repetere.

331. Batthianus interea Croatiæ Banus Com. Simonem Forgatschium cum Ungaris, & Castanizæ præfectum Com. Petrum Kegelwitschium cum Croatis expediens in Bosniam, magnam provinciæ partem spoliatam, ferro & igne, pluribusq; cæsis devastavit: ipse deinde Batthianus infestum in Bosnia prædonum castellum Uranogræcium, in montis cacumine duplici muro roboratum, tormentis & pyrobolis, interdictaque aquâ in suam redegit potestatem, multis ibidem Christianis captivis in libertatem assertis; plures etiam ex præsidiariis & incolis abjurato Mahomete baptizati, sufficientibus ad honestam familiæ suæ sustentationem ejusdem loci prædiis, Cæsaris licentiâ per Sigismundum Kegelwitsch Viennæ impetratis sunt donati. Ultra progressus Batthianus arces Neo-Tudorovium & Velkladiscam, vel ut alii Kladusam duobus Uranogræcio milliaribus dissitam ultroneâ tradition

Batthianus Bosniam invadês plura occupat

in

intercipit. Amplum quoque Cæsaris clementiâ prædium hoc consecutus est anno Bassa quondam Novigradensis, vicepræfectus postmodum Budensis, in hujus urbis occupatione captus, dum assumpto Christianismo in domestico Imperatoris sacello per episcopum Viennensem cum uxore est baptizatus, assistentibus patrinis Imperatore ac Imperatrice, & Rege Josepho, aureâ mille imperialium catenâ insuper muneratus. In superioris Hungariæ oppido, Pötz dicto, prodigiosè visa est lacrimari icon Deiparæ, sinu Christum gestantis; quæ ad pii cultûs augmentum anno sequenti Viennam venerabiliter est delata. *Vid. num.* 341. 340.

Bassa Novigradensis baptizatus prædiis donatur.

Icon B. Virginis visa lacrimari.

Arabici prædones nobilem in Arabia urbem Bassoram ad Sinum Persicum sitam ultroneâ capiunt deditione, effœminati Bassæ negligentiâ, qui mortis metu, persuadentibus idipsum etiam Arabis, in Persarum Regis tutelam & fidem admissus, opportunitatem dedit huic in tantis Turcarum cladibus & revolutionibus rescindendi armistitium, eaque recuperandi, quæ Arabibus hactenus Turcæ rapuissent. In Asia quoque non minus periculosa in Portam Ottomannicam ex multiplici Bassarum strangulatione orta seditio adversis aliquot velitationibus supprimi non potuit, non sine exigua Mustaphæ turbatione: qui vehementer è contra lætabatur, quòd Ragusa respublica abjecto Cæsare Rom. Ottomannicam repeteret fidem & tutelam, consuetum persolvens tributum. 4. Nonas Maji misero prope Byzantium incendio exarsit præcipuum Urbis ejusdem suburbium, & ab ea angusto maris

Variæ in Arabia & Asia in Turcas factiones.

freto distractum, Galata nomine, in quo præcipua Christianorum (quos Infideles inibi consistere patiuntur) sedes & templa sunt. Hæc omnia, & domorum duo millia conflagrarunt, seu fortuito igne, seu à Barbaris immisso, ut Christianorum opes in iis reficiendis apud eos dispergerentur, quas ad se revellere arte & malitiâ omni ab his sæpius procurant.

18. Calend. Maj. Parisiis humili supplicatione Regis Ludovici iras deprecantur Genevensis Reip. ablegati, quod auditâ primùm Namurci ultima expugnatione, Gallis aliquot Genevæ commorantibus vilis plebecula procacibus ingentem sannis insultasset. Potentis ad vindictam Regis terror hoc politicæ pœnitentiæ officium extorquebat à gente, alioqui vicinæ pœnitentiæ invidiâ laborante, quæ libertati suæ ac religioni gravis continuâ in utramque comminatione impendet.

Singulari edicto Toletani in Hispania Inquisitores ingentia quatuordecim volumina de Actis seu vitis Sanctorum ab aliquot Jesuitis Bolando Henschenio, Pappenbrochio &c. collecta & confecta interdixerunt, ausu non sat à multis excusato, qui pro librorum jam anteriori examine probatorum reintegratione & auctoritate ad pontificem literas dederunt. Damnandis institerunt præcipuè Carmelitæ, quibus exosum erat Collectores prætensæ Ordinis & institutionis sui Eliæ antiquitati suis commentariis detraxisse.

Veneti Thebas 332. Ottomanni Thebas versus excursionem in Venetos meditantes, collectis hi tumultua-

tuariè copiis Turcas ex improviso opprimunt, Thebasque urbem olim Epaminondæ tempore celeberrimam, nunc oppido similem occupant. Iidem in Dalmatiæ Illyrico Veneti Dulcignum ad mare Adriaticum, piratarum latrocinium obsidione cingunt, anno 1687. ignibus irritò tentatum. Delfinus urbem haud difficulter obtinet; arcem verò altæ inhærentem petræ vix accessibilem dum flagellat, Turcæ ad finem Augusti XIII. armatorum millibus Venetorum irruunt castra; sed insigni strage desideratisque 12. signis equestribus cæsi, in turpem abacti fugam, longius à Morlacis sunt insecuti; 3. demum septemb. frustraneo impressionis admodum cruentæ conatu Veneti rejecti, convasatis castris, accensâque urbe locum deserunt. Nec felicior fuit cum Mezzomorto Turcarum archithalasso naumachia ad Andros, maris Ægæi in archipelago insulam, quam archithalassus Venetus Molino 21. Augusti occupaverat; hunc Mezzomortus classe 35. navium militarium, & 30. levioris armaturæ, inde ad certamen omnimodo prolicere tentabat; sed dissuadente & detinente Æolo nonnisi 22. Septemb. in medium classe 24. navium militarium Molino prodiens, alam dexteram Grimano, sinistram Melitensium Generali, extremum Capitaneo Nano, sibi medium sive corpus ducendum reservat, sicque in hostium naves in una linea concatenatas incredibili magnanimitate ab hora 9. matutina usque in noctem irruunt, & simul Æthneis quasi ignibus in illum fulminant; certatur utrimque pertinaciter, nec catenata hostis linea disjungi aut

& Dulcignum capiunt.

Naumachia ad Andros Venetorum cũ Turcis.

perrumpi poterat, donec Molino levioris armaturæ naves aggressus, dum hostis disjunctâ lineâ illis succurreret, se ipsum confundit, & ad vesperam se certamini subtrahit, cæsis suorum & vulneratis mille, navibusque quinque demersis; Venetorum autem C. saucii, totidemque sunt interfecti. *Vid. num.* 342.

Genevensis civitas Allobrogum veterum metropolis ad Rhodanum fl. & Lacum Lemanum in finibus Sabaudiæ sita, non leve habuit cum d'Ibrevillo, Regis Galliæ apud illam Residente dissidium, qui in regione domus suæ publicam legi missam, & more Romano-Catholico processiones fecit institui, unde plebs Calviniana admodùm irritata, ad ejusdem furibunda domum congregata haud exiguum excitavit tumultum, à viris aliquot senatoriis suffultum, & Regi Galliæ haud parùm injuriosum; ideoque Tigurini & Bernates (quibus ab anno 1536. perpetuo juncti sunt fœdere) sese interponentes, plebem de violato per ignorantiam jure excusare sunt conati. Sed Genevensium literæ ad Regem datæ non receptæ, sed clausæ fuerunt remissæ. Acto igitur desuper Aroviæ 25. Februarii 1696. Evangelicorum conventu & deliberatione, legatus gallicus Amelotus, inter pacis & reconciliationis proposuit conditiones, ut Genevenses tres primarios ex Senatoribus viros, Tremblayum, Lullinum & C. mp. dignitate amoverent. Illud autem utpote nimis enorme, & Helvetiorum libertati præjudiciosum, ab omnibus fuit improbatum, & omninò rejectum. Exigit igitur prædictus legatus, ut Genevenses qua-

quatuor insignes viros mitterent Versalias ad Regem delicti veniam deprecatum, promittens ille benevole receptum iri, atque Romano-Catholicis extra domum Residentis degentibus interdictum iri missam in domo Residentis frequentare, & processiones instituere. Quod cum Reipublicæ, nec non Helvetis placeret, quatuor ex senatu; duo nempe Syndici le Fort & Normandiæ, cum Senatoribus Gautier & Buisson in Galliam fuerunt ablegati, qui die 17. Aprilis clementer à Rege auditi, domumque redeuntes, aureâ catenâ fuerunt donati. Præsidiarii interim à Bernatibus in subsidium Genevam missi ibidem remansêre. Ob simile quid anno sequenti Abbatem inter & civitatem S. Gallensem tantum non bellum est exortum; Abbas namque congregata suæ gentis multitudine die 5. Maji 1697. processionem publicam cruce & vexillo erectis contra priscam consuetudinem & conventionem per urbem instituit, & licet ante de hac innovatione præmonitus, noluit tamen desistere. Plebs igitur S. Gallensis acerrima sectæ suæ reformatæ propugnatrix in tumultum conversa in monasterium vi irruit, portasque bellicis diruit tormentis: Abbas rei indignitate admodùm offensus vim armatâ vi repellit, fitque armorum utrimque concursus, donec tandem Helvetiorum interpositione res eâ lege utrimque est composita, ut antiquæ imposterum conventiones & consuetudines sine ulla innovatione observarentur.

333. In Moscovia postquam fato sine liberis decessisset Joannes Alexowicus senior Mosco- Mosci Affektū

 rum cingua

& classe Turcicâ potiuntur.

rum Dux, & in regnum amplissimum inter duos hactenus fratres divisum successisset Petrus Alexowicus frater junior, hic majoribus nunc potentiæ suæ viribus Assokum, nobile ad ostia Tanais & mare meoticum seu nigrum emporium terra marique 15. Maji invadit, & suâ urget præsentiâ, sub aliorum tamen directione Generalissimi de Fort Genevensis, Comitis Gardon Scoti, Travernichti Holsati, Moseppæ Cosaccorum, & Scheremetosii Ucranici exercitûs Generalium: jamque omnia circumquaque Moscorum erant potestati subjectâ, etiam bina suprà urbem castella, ex quibus Tanais transitum catenis Turcæ constrinxerant, urbemque & arcem exiguo disjuncta fluvio IV. præsidiariorum millibus roboraverant, neve quicquam ad generosam urbis deficeret defensionem, per 41. navium classem majori militari præsidio, commeatu & apparatu bellico prævisuri in Moscorum manus incidunt, navis militaris una salo submersa, duæ aliæ cum Aga & 270. classiariis, decemque aliæ orariæ cæsis classiariis captæ, decem onerariæ brevibus allisæ & interceptæ, decem aliæ vulcano sunt consecratæ, reliquæ fugâ elapsæ. Insigni prætereà Mosci prædâ potiti, 70. nempe æneis tormentis, 3000. pyrobolis, 4000. sphæris incendiariis, 80. pulveris nitrati orcis, 50000. ducatis, & ingenti denique commeatu: Polonici prætereà Cosacci 8. paulò antè naves annonarias Assockum tendentes interceperant: terrâ etiam 12. Turcarum millia Moscorum castra, & circumvallationis lineam furioso aggressi impetu, majori virtute à

Zir-

Zirkassianis Tartaris & Moscis repulsi, & in fugam sunt acti. Erectum deinde congestitium ad urbis munimentum, ejusdem, imo majoris altitudinis aggeriem Turcæ ignibus dejicere, & Ruthenos inde depellere frustra conati, post cruentum 6. horarum certamen adductis in illum 4. machinis curulibus urbem acriter flagellant Rutheni, præsidiariosque binis furiosè vicibus excurrentes insigni strage 18. Jul. profligant, 26. demum Jul. decretâ tribus in locis impressione urbem armatâ manu, arcem verò 28. Jul. spontaneâ capiunt deditione, præsidiarii ter mille trans mare Ruthenorum navibus traducti, relicto omni apparatu bellico admodum copioso & 92. curulibus machinis, 4. mortariis, commeatuque haud exiguo. Urbs hæc olim Tanas, ara Cæsaris, & Alexandri M. nuncupatâ, & quia hactenus fluviatici immunitas vectigalis ibidem omnibus concessa fuit nationibus, in nobilissimum simul & ditissimum evasit emporium. Post hæc Czaarus Petrus Pezekopium, olim Tartarorum Hani [ut vocant] residentiam (quæ nunc est Bacasora) post aliquot dierum obsidionem ultroneâ etiam traditione occupat, ambas adjecto robore fortificat, impositoque provinciæ tributo aditus omnes intercludit; sicque gloriosus ad sua reversus, singulari urbem Moscoviam ingressus triumpho, festivo exceptus est gaudio. *Vide num*. 343.

Urbem Asopū capiunt &c.

334. In Polonia Ruthenis vicina Marchioni Arquino parenti conjugis Poloniæ Regis transmissum ab Innocentio XII. Cardinalitium Biretum Rex ipse festivâ solemnitate 23. Febr.

March. Arquino fit Cardinalis.

Joannis III. Reg. Poloniæ mors,

impoſuit. Hujus Regis Joannis III. vita uti glorioſam utilitatem, ita mors ejus irreparabilem Regno invexit calamitatem: hic enim Joannes Sobiezki prius regii exercitûs Archiſtrategus anno 1673. Turcas prope Cochim opprimens viginti eorum millia proſtravit; Anno ſequenti Poloniæ Rex electus, Cæſari confœderatus anno 1683. Viennam cum ſociis Turcarum obſidione liberavit, eoſque Strigonium fugientes prælio, uti poſtmodum etiam 1688. in Polonia ad fluvium Pruth gloriosè devicit: tandem hoc anno 17. Jun. Vilnæ novæ prope Varſaviam à ſe extructæ anno ætatis ſuæ 72. eſt mortuus, heros immortalitate apud poſteros digniſſimus. Regni Primas Cardinalis Radziewskius ArchiEpiſcopus Gneſnenſis per circulares literas Regis mortem omnibus ſignificat Palatinis, & ad Regni invitat comitia, in quibus Palatini unanimiter concluſêre liberam futuri Regis nonniſi Romano-Catholici electionem, eumque non indigenam, ſed alienigenam.

Seditio exercitûs Polonici.

Exercitus inter hæc regius ſub dio conveniens conjurat non niſi numeratis ſibi nimium dilatis ſtipendiis inde diſceſſurum, proinde propè Leopolim loco opportuno & roborato conſidens, à prædicta urbe 32. florenorum millia, & abs Judæis ibidem 14000. à Zolkovia 100000. & ab aliis ſimiliter urbibus proportionatim exigit & extorquet, regia quoque bona & prædia involat, & emungit penitus: ſub hæc inter regni diſturbia 50.

Tartari Volhiniam depopulantur.

Tartarorum millia Volhiniam irruunt, devaſtant & depopulantur ferro & igne urbes & pagos, ingentemque hominum & jumentorum præ-

dam

dam abducunt, quibus conjurati nihil moti magis insolescunt, licet per suos respublica deputatos illis satisfacere sanctè appromiserit; illi autem suam adusque neo-Regis electiònem confirmarunt conjurationem. *Vide num.* 342.

335. Gastanaga in Catalonia in campum procedens castra Ostalricum intra & Masanem metatus Vendomium cum gallico exercitu prope Gerundam ad fl. Ter confidentem observat, utque ejus molimini studiosius invigilaret, Principem Hasso Darmstadiensem cum 4500. equitibus in planiciem sylvâ & arctâ obsitam viâ demittit, hunc à castris longius abjunctum Vendomius aggressus primò repellitur; sed pluribus confirmatus suppetiis ex utroque latere adeò circumcingit, ut Hassus subsidio frustratus armatâ manu Gallorum ordines perrumpens fugerit ad castra, cæsis suorum 200. & Gallorum 300. Inde Vendomius Gastanagæ castra Ostalrici probe munita arctius inclusurus, & commeatu maritimo interdicturus, suum 22. Jun. exercitũ transfert Torderam, sed Gastanaga omnibus ibidem ad defensionem dispositis, 4. militaribus navibus, gallicas 24. commeatûs naves intercipit, magno Vendomii & exercitûs sui detrimento, ideóque maritimos ibidem Hispanos 60000. librarum pœnâ mulctavit, quòd insidiarum illum non admonuerint, incensisque oppidis Collellâ, Pinedâ, Malgrato & Blanes castra Vitteram promovet. *Vid. num.* 194. 195.

Vendomius in Catalonia cædit Hispanos.

Cæterum Hispanam in Africa Ceutam Mauritani longo jam tempore ab anno 1694. 22. Septemb. usque huc frustra obsederant, ideóque pactis

pactis induciis has proponebant conditiones: ut Ceuta demoliretur, captos Mauros restituerent, & in satisfactionem aliquot pannorum volumina extraderent: explodente hæc petita Præfecto, alteras aliquot dierum poscunt inducias, quas præfectus explosis illico tormentis eò magis denegat, quòd rescierat insidiose inter eas oppidum ab illis impetendum, simulque excursione factâ, centenis aliquot eorum cæsis 4. tormenta bellica, & 2. capit mortaria; nihilo tamen minus Rex Mauritaniæ & Fetz Mubey Ismahel ab obsidione desistebat; sed tormentis & pyrobolis oppidum continuò infestat, præsidiarii autem Hispani in eorum castra excurrentes 15. tormenta conclavant, 1700. sphæras, pyrobolos, & apparatum bellicum incendunt, & 400. Mauritanos trucidant, è suis vicissim 50. desiderantes.

Sabaudus cum Gallo paciscitur.

336. Victor Amadeus Dux Sabaudiæ cum Galliæ Rege Ludovico, sollicitatoribus Pontificio & Venetorum legatis, clam Cæsare, in Lauretana sua peregrinatione his tabulis paciscitur: Rex cuncta Duci ablata, etiam Pinarolium, sed demolitum restituat: eidem pro illato damno duos actualiter milliones, & totidem post conclusam pacem universalem: Maria Adelheidis Ducis filia sine ulla dote despondeatur Philippo Duci Burgundiæ regio nepoti: Somlianum, Susa & Niza helvetico ad pacem usque universalem induantur præsidio, regiis stipendiis sustentando: indicantur demum induciæ, omniaque confœderatorum in Italia territoria maneant neutralia, sub regia contra adversarios tutela

la & defensione, quorum pactorum fidejussores Rom. Pontifex, Veneti & Helveti constituebantur, utque celarentur omnibus clandestinius, & Dux suas à confœderatis copias abstraheret callidius, Rex principio Jun. Rivaltum cingit, & Turinum invadendum divulgat; ideóque Dux suum tumultuariè peditatum Rivalto imponit. & confœderatorum copias suis ex urbibus & oppidis in campum elicitas, Regem quasi impugnaturus educit; sicque suas Dux copias â confœderatis disjunctas, & urbes eisdem liberas nactus, secretas hactenus aperit pacis cum Gallo conditiones, nunquam sibi conducibiliores obventuras, quas cum confœderatis Cæsar per Mansfeldium legatum suum inversurus, matrimonium Regis Romani cum Ducis filia, cum insigni æris, & militis augmentatione [de cujus stipulati defectu multum querebatur Sabaudus] frustra promittit, sed Catinatus contracto undequaque milite, ingentem bellicum apparatum, & 25. muralia tormenta, decemque mortaria Pinarolio Lambrascium traducit, & gravem in Statum Mediolanensem evulgat expeditionem, si evolutis 1. Septemb. induciis confœderati Italiæ neutralitatem non admittant; nec hi erant desides in communienda Alexandria, Valentia, aliisque urbibus Mediolanens. dum induciæ ad 16. Sept. peremptoriè essent prorogatæ: his autem finitis Dux tam subitò hostis, qui modò amicus erat, supremus gallicarum copiarum vicarius cum Catinato transmisso Pado 18. Sept. vim armorum applicat Valentiæ, apertisque 24. vallis castrentibus paucos pòst dies dimidiatam

Sabaudus gallici exercitûs supremus legatus Valentiam invadit.

tam lunam, Rosaire indigitatam, 3. Octobr. magno impetunt furore & occupant, sed incenso mox cuniculo centeni aliquot Galli humo & fumo involuti occumbunt, præfectusque Franciscus Colmenerus adeò generosè urbem defendit, ut cæde 3000. hostem repulerit. Pactâ tandem 7. Octob. totius Italiæ inter belligerantes neutralitate Dux inde discedit, vi cujus excederent Italiâ Galli & Cæsareani, hisque ab Italiæ Principibus pro hybernalibus trecenta imperialium (alii ajunt pistoletorum) millia sub fide obsidum numerarentur; nempe Florentinus 75000. Mantuanus 40000. Mutinensis 40000. Parmensis 36000. Resp. Genuensis 40000. Montferrat. 25000. Luca 30000. reliquum alii Italiæ Status solverent: Pontifex ipse Innocentius XII. per suum Venetiis legatum Cæsareanis numeravit 60. imperialium millia, atque ita compositis sublatisque omnibus difficultatibus tam Galli quàm Cæsareani Italiâ excedentes ad hyberna properant, Pinarolum demolitur, tota Sabaudia uti & Segusium, Montmilianum, Nizza & Villa Franca Duci à Gallo restituuntur. Sub hæc Ducis filia Adelais Burgundiæ Ducis Philippi sponsa è Sabaudia deducitur ad limitaneum oppidum Pontem Bellovicinum, Galliæ & Sabaudiæ terminum, ubi Rex ipse Ludovicus, Delphinus & Aurelianensis ipsam 5. Nov. exceperunt, & à Rege eâdem rhedâ & singulari animi affectu abducta Fontem Bellaqueum, ob inventam ibidem à cane scaturiginem sic dictum, ibidemque à Claudia Regis filia parenti Francisco I, indicatum; qui aliis ibidem inven-

Italiâ jam neutrali excedunt Cæsarei & Galli.

tis

tis ſcatebris regiam extruxit arcem, 4. milliaribus Pariſiis diſtantem, quæ ad nongenta modò excrevit cubicula, conclavia &c. ubi Pariſiis hoc anno 24. Jul. corruit ſereno cœlo equeſtris moderni Regis Ludovici XIV. ſtatua, à pace Neomagenſi in arco triumphali erecta, multorum diſcurſuum fabula. Sexto Idus Auguſti ſub naſcentis diei crepuſculum Taurinorum Auguſtæ è tonante cœlo telum decidit in bellicarum munitionum promptuaria, quo incenſa pulveris pyrii doliola 4500. improviſo incendio diſſiluerunt, vix non revulſis integra ruinâ arcis propugnaculis & domibus, inter quarum rudera 400. milites oppreſſi & ſepulti ſunt, præter alios præſidiarios & inquilinos plures variis vulneribus contuſos. Fragorem, qui ad viginti paſſuum millia auditus eſt, excepit talis tonitruum, fulgurum & nimborum tempeſtas, quali interiturum imminenti ruinâ mundum multi ſuſpicarentur. Terrente Deo raris quidem, ſed potentibus minis, quæ unico halitu ſolidiora munimenta exſufflare poſſunt.

V. Calend. Decemb. Rex Ludovicus oblatis quingentis literis, quibus ære tenui contribuentes, totidem cives in Nobilium Ordinem tranſcriberentur: cùm ſegnior ad eas coëmendas concurſus fieret, decrevit inſignia gentilitia omnibus Regni ordinibus, quæ quilibet ſtatuto pretio acquirere tenetur. Hujus propterea inſtituti grandi apparatu præfectus, judices, ſcribæ ad juridicum & proprium tribunal formandum, quorum operâ Inſignia quiſque ſua haberet, ac tueretur, communicatâ urgente belli diſpendio

toni-

tonforibus & lippis prærogativâ, quæ hactenus solis Nobilibus privilegium fuerat.

Varii Badensis & Gallorum in Germania motus.

337. Interea temporis Ludovicus Badensis Viennâ 10. Maji veniens Gunsburgum, tribus infra Ulmam leucis ad Danubium situm, imperatâ præsentibus Belliducibus expeditione mox inchoanda, abit Heilbrunnam, exercitumque Marchio Baireutensis in campum educens Steppachii castra metatur; Choiseulus Gallorum Mareschallus autem transmisso rheno propeSickingen, deindè Episheimii cum exercitu considet, quem Ungarici quotidie equites raptis spoliis adeo infestabant, ut mille continuo Galli equites parati eorum conatibus invigilare debuerint: transit deinde Philippopoli rhenum Choiseulus, & 28. Jun. exercitum intra Wormatiam traducit; hinc Badensis exercitum promovet Flehingam, monetque advenientes Monasterienses, Paderbornenses & Wolffenbutelenses copias ad viam montanam consistere, & Gallorum observare molimina. *Vid. num.* 197. Cæterum hoc anno in Germania singulare nihil est actum, præter iteratas passim excursiones Hungaris potissimùm in prædis proficuas, & controversia Senatûs & Civium Heilbrunnensium de solvendis 50. imperialium millibus pro æstimatione condonati incendii &c. ab aula Cæsarea est composita.

Amstelodamensis seditio.

Amstelodami insolente vulgus seditione censum mortualem à senatu impositum urgens abrogandum, magno ad curiam numero in Januario confluit, mulieresque ultra 400. cum fustibus, verubus, furcis, tympanis, locoque vexilli semi-

ſemicinctiis ſuis viros ad audaciam provocant, Conſulis Borel, Capitanei Sparo, & Pintons Judæi domos ſpoliant, evertunt, & vix urbis præſidiarii, armataque ſex civium millia aliquorum licet cæde potuerunt comprimere & componere: dignâ tandem demum incentores morte ſunt mulctati: quæ ſeditio rurſus in Aprili renovata ab eiſdem quoque civibus eſt oppreſſa. quare ſenatus fidelitatis & generoſitatis ergo argenteum numiſma ſeu emblema evulgavit, diſperſitque ex Virg. lib. 1. Æneid. inſcriptum: *Motos præſtat componere fluctus.* Infra alcyonem nidum ob fluctus marinos deſerentem. In parte altera etiam halcyonem in mari tranquillo nidum contra marinas tempeſtates munientem cum hac ex Ovid. lib. 11. inſcriptione: *Halcyonibus reductis Senatus Amſtelod. civibus ſuis hoc antiquæ virtutis, ſpectatæque fidei præmium largitur.* 1696.

Comes Athlonus ſingulari intentus ſtratagemati habito Bruxellis cum Bavaro Belgii gubernatore conſilio, raptim Namurcum contendit, & delectos ex qualibet pedeſtri legione 500. & equeſtri 200. equites in tres dividens phalanges, cum Cohornio verſus Givetum & Dinantum properat; hicque ſubſiſtendo omnes Giveto ſuppetias intercludit; Guiſcardus Dinanti præfectus ſe invadendum ratus, ex vicinis pagis & oppidis jumenta in urbem traducens, exploſis in Athlonum tormentis fruſtra excurrit, dum interim Cohornius 16. Mart. Givetum 7. tormentis & mortariis flagellat, binaſque domos annonarias 20000. variorum frumentorum, & inſignem bel-

Athlonus & Cohornus Gallorum apparatum Giveti accendunt.

bellicum apparatum igne penitùs jacturâ 3. millionum consumit; sicque Gallorum consilia transactâ infeliciter in Wilhel. Angliæ Regem proditione [de qua hic infra] Namurcum impetendi sunt impedita: tertia demum phalanx ex vicinia graves exigit contributiones. La Croix vicissim celebris viarum & prædarum insidiator, Hujum ex insidiis fermè intercepisset; nam famulus ejus rustico indutus habitu plaustrum fœni, sub quo octo latebant milites, in urbem invecturus, in S. Dionysii porta vigilem trajiciens cum cæteris erumpentibus portam, excubiis fugientibus, occupat, quem La Croix ex vicinis vacuis domibus illico cum 200. sociis subsecutus cœmiterium 50. peditibus capit, forum pecuarium, stationem prætoriam, & domum præfecti, Holsatiæ Norburgensis Principis invadit, quam dum excubiæ, aliique præsentes pyrobolarii generose defenderent, prætorianæ etiam vigiliæ illis animose resisterent & rejicerent, tumultusque per urbem ad arma ubique cives conclamarent, prædatores urbe ejecti ad suam latrocinii speluncam la Roche confugiunt. *Vid. num. 345.*

Expeditio gallica in Scotiam pro Jacobo Rege.

338. In Gallia interim secreta inter Ludovicum & Jacobum Reges cudebantur consilia, hunc in Scotiam & Angliam introducendi, ideoque potentissima classe expeditâ Berwickus naturalis Jacobi filius Caleto clam in Scotiam velificat, eorum animos exploraturus, & expeditionem adornaturus, qui inde redux Parisios, ex prompto Scotorum affectu secreto adhuc consilio, & exiguo regni præsidio faustam fore

illam

illam ominatus, omnia quàm citissimè apparantur; Boufflerus ex Regis mandato in Belgio exercitum colligere, classem epibatis, apparatu bellico, 18. peditum agminibus, & tribus equitum legionibus sub Harcourtio instruere, Jacobus Rex cum Berwicko & aliis Belliducibus Caletum properare, cui Ludovicus Parisiis in nervum bellicum centum & sexaginta duplonum millia, & Caleti centum millia numerari jusserat; hinc Berwickus in Angliam secreto provolat, initium factionis facturus; sed in vanum abiêre omnia; Belgii namque Gubernator Maximilianus per Comitem Monasteriolam literis adventum Jacobi Caletum raptim significavit Wilhelmo Regi, ad venationem Kensingthoni jam accincto; & ecce complex accedens Regem homo, aperit proditionis mysterium & locum, ubi Berwickus cum 40. Scotis, & Hibernis in venatione Regis vitæ insidiaretur; quem cum Rex apprehendi jubet, fugâ est elapsus, odoratus sine dubio ex nimia Wilhelmi Regis mora proditionis consilia esse patefacta; præcipui complices octo suspensi, quadripartiti, & membra eorum in pice lixata sunt, qua occasione omnes Angliæ, Scotiæ & Hiberniæ Status & parlamenta instrumentum associationis contra Jacobum Regem erexerunt, quo Wilhelmum Angliæ, Scotiæ & Hiberniæ Regem legitimum declararunt, confirmarunt, & unanimiter casu quo violenta Rex morte abriperetur, ultores se obstrinxerunt, adeoque regia successio excluso Jacobo, & omnibus ei adhærentibus, & Anglicana Protestantium religio secundum Regni sta-

Insidiæ Wilhelmi vitæ.

Angli ejecto Jacobo Wilhelmum Regem confirmant.

tuta serventur illibata: & hoc associationis instrumentum ab omnibus trium Regnorum Ordinibus, Parlamentis, Belliducibus, & plusquam 40. hominum millibus est subscriptum. Tum Architalassus Roocke classe Batavica insulam S. Martini haud procul Rupella invadit, urbem, arcemque pyrobolis, uti & nocte sequente Bellile vexat; inde exscensis 1200. classiariis insulam Grovajam ultra dimidium igne consumit, & pecorum multitudinem abducit: similes vastationes in alios maritimos Galliæ portus quidem molitus; sed vigilantibus ubique civibus & præsidiis maritimis, & quòd aggeribus tormentisque validè essent communiti, rediit ad propria. Inter hæc gallicus Hagæ Comitis legatus Colliers universalis pacis conditiones Confœderatis mediatore Carolo Rege Sueciæ proponit; Rex autem Angliæ Wilhelmus suo suadet parlamento, pacem Gallo armatâ nonnisi manu extorquendam, bellumque terra marique continuandum, ad quod ingentem æris summam promptè & liberaliter Regni Ordines offerunt.

Plura oppida gallica ignibus affligunt.

339. Inter Daniæ Regem Fridericum IV. & Hollatiæ Ducem Gottorfiensem Suecico nixum subsidio controversiam antehac 1689. Altonæ compositam, nunc resuscitatam Cæsar per legatum suum Comit. ab Eck mediantibus Electoribus Saxone, Brandeburgo & Duce Brunswico-Wolffenbeutelensi tandem literis reconciliavit, ne ex parva scintilla magnum exurgeret incendium, Romano Imperio admodùm exitiosum, & binis ejusdem hostibus proficuum. Dux igitur vi pactorum tam subsidiarium Suecicum

eum, quàm auctoratum militem Romanis aquilis & confœderatis contra Gallum debuit dimittere.

Die 6. Maji obiit Toleti in Hispania Maria Anna Austriaca, Ferdinandi III. Cæsaris filia, primis desponsata votis Balthasari Hispaniarum Infanti, sed illo ante nuptias mortuo, nupta 1649. ipsi Philippo IV. Balthasaris parenti, cui progenuit Mariam Theresiam, Ludovico XIV. Regi Galliæ 1660. desponsatam, deinde Margaretham Theresiam Leopoldo I. Imperatori 1666. copulatam, & Carolum II. Regem Hispaniarum, unicam Regnorum spem 1661. qui postea regnavit. Hic in tenella quatuor annorum ætate obitu parentis ad sceptra vocatus, & Philippi patris testamento Regnorum arbitra mater cum aliquibus consiliariis electa est, quæ postea diu rexit per multas curas & labores exercita, vel ob Magnatum difficilem Regi impatientiam, qui & ipsi regimini inhiabant, vel ob privata aliquorum commoda, quibus impensius favere Regina videbatur. Resignatis tandem in adulti filii manus sceptris nihilo placatiores animos experta, ab aula Toletum, Ostracismo fortè minus libero, concessit; ubi inter opera pietatis prudens Regina mundo vivere desiitit. Eberstorffii prope Viennam mortua quoque Maria Theresia, filia Leopoldi Cæsaris. Romæ in carcere fato concedit Michaël de Molinos Presbyter Hispanus, qui diu secretâ mulierum facilitate & libidine sub devotionis prætextu abusus: post etiam propinatam clancularis sectatoribus ejusdem libidinis doctrinam, quam

Mors variorũ & Molinos.

perfectæ *Quietis* obtentu inter animi affectus, velut humanis sensationibus mortuos; ideoque omnibus carnis motibus, etiam turpioribus permissâ libertate innoxiam afferebat, nunquam confitendam: tandem in lucem traductus, & propriâ confessione convictus damnatis ejus 68. propositionibus in carcerem fuit detrusus, ubi quoad viveret expiandis sceleribus ab omni hominum commercio secretus, jussus vacare, ambiguæ pœnitentiæ famâ ad mortem usque vixit.

Adamas totius Europæ maximus.

Venetiis Armenianus impolitum insignis magnitudinis adamantem vendidit 36. ducatorum millibus, quem Venetus tersè limatum pondere 80. ut dicunt, Carat, magnitudine & rotunditate medii imperialis æstimavit 200. ducatorum millibus, totius Europæ maximum.

8. Idus Aprilis multarum consultationum, & ardenter expetitæ ab Innocent. Pontifice Regularium Ordinum per Italiam reformationis operæ pretium tandem erupit decreti Pontificii publicatio, quo jussi sunt Regulares omnes ad votorum tenorem communi victu uti, peculio omni in arbitrium superioris resignato, qui indistinctâ charitate omnibus necessaria administraret. Instituta à Pontifice trium Cardinalium congregatio, qui supremâ inspectione decretum executioni mandari procurarent. Ast maturandum tantæ speciositatis fructum in veteri cortice pauci admodùm sperarunt; impendendum propterea arbitrati, novis & tenerioribus surculis cultum, quos primus vegetiorque Regularum spiritus animaret.

1697.

Annus 1697.

340. In Ungaria Martis hoc anno 1697. officinam aperuit Wihatzii per Aversbergum & Croatiæ Banum obsidio; acris quidem, sed minus prospera, quam demum frustravit, & annonæ in castris penuria, & aquarum inundantia, & Christianorum paucitas, & Bosniensis Bassæ magno copiarum comitatu adventus, & præcipuè scelerata superioris Ungariæ per Franciscum Tockajum seditio in cineribus suffocanda: Husari namque seu equites aliquot Ungari in nundinis pagi Vichel rixis cum germano milite insolentes, eorum aliquot trucidatis, metu pœnæ factiosos sub Tockajo colligunt socios, à gallica fortè in Polonia factione auro corruptos. Horum præcipuus Tockajus publicis literis sub Tôckelii nomine indigenas sub vitæ bonorumque interminatione ad arma compellens, tumultuariè oppida Tocajum, Callum & Potacum transcendit, cæsoque germanico præsidio diripit, mox popularium multitudine auctus Onathum, & latè circum viciniam sibi obnitentem flammis devastaturus à Protribuno Ratschino penitùs cæditur, captisque VII. vexillis, reliquis vitam noctis tenebræ conservarunt: quorum alias adhuc cohortes Paulus Diacus CCCC. ferro stravit, & 18. potitus signis oppressit: reliquos magno fugientes tremore Tocajum Nigrellus accersitis Vaudemontio & Diaco, armatâ capit urbem manu, factiososque ferro trucidat omnes. Potacum domuit Vaudemontius: plures pali metuentes transfixionem sceleris veniam impe-

Wihacium frustra cingitur.

Tockaji factio & seditio supprimitur.

trarunt; reliqui securitatis incerti superato Tibisco dum petunt Tôckelium, à Georgio Andreassio circumcinguntur: post longam suam desperatamque defensionem cùm nullus elabendi pateret exitus, stipulata est illis criminis condonatio, si Tockajum, cæterosque antesignanos extraderent: quos omnes Andreassius Cassoviam ad condignam sceleris expiationem traduxit; atque ita factio satis periculosa in semine suppressa videbatur: quanquam aliquot adhuc scintillas ejusdem hinc inde occultè vagari, funestum tunc Claudiopoli mediæ urbis, Segedini & Bajæ 8. Maji annonariæ domûs incendium videbatur indicare, non sine ingenti Reipub. Christianæ turbatione & detrimento; plurimi enim homines, & 18000. farinæ centenaria igne sunt consumpta; quod alii Perli & sociorum prædonum latrociniis tunc temporis Danubii tractum pervagantibus adscribunt, qui & capti demum Esseckum sunt traducti. Sic Belgradenses præsidiarii emissi domum annonariam Futaci ultra Petrowardinum accensuri, sed Rascianorum vigilantiâ impediti versus Savum Berzam transcendunt, diripiunt, incendunt, & capiunt præsidium; quod Brodii præfectus Kiba vindicaturus haud procul Belgrado 120. commeatûs plaustra intercipit, accurrensque Belgrado subsidium feliciter repellit.

Periculosam Constantinopolis factionem Turcarum Imperator Mustapha felici Wihacii liberatione, & fictâ contra Venetos [suo cum dispendio] navalis naumachiæ victoria, ac nova denique Francisci Tô.kai seditione (jam felici-

tet

ter oppreſſa) ſpecioſis demulcebat verborum ampullis; & ſecundiores certò belli pollicebatur ſucceſſus, quâ igitur utcunque compoſitâ, Belgradi cum exercitu Dravum inter & Danubium caſtra metatus, navalem claſſem ad Semlinum & Salanckemenum diſponit. Eugenius verò Dux Sabaudiæ ſupremus tunc Cæſaris legatus luſtratum Veriſmarti exercitum traducit Futackũ, inde Cobilam, ſitu & pabulatione opportuniorem; ubi luſtratis Petrowardini & Titulii munitionibus, Averſbergum cum IV. legionibus equeſtribus, VIII. peditum agminibus & XII. campeſtribus tormentis ad muniendam prope Titulium inſulam delegat: Turcæ namque interceptâ Caranſebe (unde paulò poſt ejecti) & trajecto Tibiſco Titulium ſpectare videbantur; quo Eugenius motis noctu tumultuarie caſtris properaturus, ingentem Turcarum multitudinem jam Titulium applicuiſſe à Generali Nehm, ſuis cum agminibus ibidem invigilante intelligit, qui hoſtium numero cedens quadringentorum cùm vulneratorum, tum interfectorum ſtragem velitando eſt paſſus. Raſciani quidem præſidiarii cum aliquot equitibus primos in oppido ſuſtinuêre impetus; ſed multitudini impares ſalutem in pedibus tandem noctu quæſiverunt; Turcæ eductis tormentis locum flammis ſubjiciunt, & bipartito exercitu cis & trans Danubium navali eorum accedente claſſe Petrowardinum petere credebantur, haud exiguo præſidio ſub ſupremo vigiliarum præfecto Goulone, & binis machinatoribus Dumonte & Ettricho probè inſtructum erat.

Titulium Turcæ invadũt.

Eugenius ſuppeditatâ in diem undecimum militi annonâ omnium conſilio dum ad loci conſervationem propediem adproperat, cunctorum relatu exploratorum 10. Septemb. percipit, hoſtem ad oppidum Zentam deflectere, Segedinumque veroſimiliter invaſurum: idem captus firmiter aſſerebat Baſſa, explorandi etiam causâ emiſſus, Muſtapham quidem Tôckelii, aliorumque perſuaſione facilem Segedini invaſionem intendiſſe; inſequente autem illum Eugenio, Zentæ, loco triplice aggere & ſepimento circumvallato adhuc ſubſiſtere, & inſtrato novæ commodæque inventionis ponte piſciferum Tibiſcum cum parte exercitûs jam tranſire, inque ſuperiorem Ungariam Tranſylvaniamque irrupturum. Hac veriſimili inſtigatus relatione Eugenius opportunâ hac tranſitûs uſurus occaſione (quam qui negligit, negligitur ab illa, ajebat Cæſar Leopoldus) cum equitatu & re tormentaria Zentam prævolat; ubi jam tum 25000. exercitatiſſimorum Janizarorum & Arnautarum Tibiſcum tranſierant, manente in alterâ fluminis ripa Muſtaphâ cum reliqua exercitûs parte. Arnautæ vero audientes Eugenium cum Chriſtiano approximare exercitu, fugam per pontem cum Janizaris meditantes, à Vezirio vi, & aliquorum nece repulſi, ipſum tumultuantes Vezirium proſternunt, ab ipſis etiam Spahis, ſeu equitibus ex altera fluminis parte armatâ manu tranſire prohibiti.

Eugenius Zentæ Muſtapham internecivè cædit.

341. Adeſt interea Eugenius, hoſtem confuſè adhuc Tibiſcum metu terroreque tranſeuntem cernens, accedente mox peditatu in ordinem

nem & aciem instructo, binis aut ternis ante noctem ingruentem horis, tumultuariè hostem, Tibisco divisum flexo in formam lunæ exercitu magno animo aggreditur, & directis ex utraque exercitûs sui parte in hostilem pontem tormentis, illum destruentibus, totis irruit in illum viribus: peditatus imprimis alæ, sinistræ carraginem fortiter ab hoste defensam occupat, & transcenso expeditè hostili aggere, ac sepimentis, ruptisque ordinibus perrumpit, & aditum hosti ad pontem intercludit; quem ponè ad ipsos adeo aggeres subsecutus equitatus grandem, tamque inauditam edidêre stragem, ut descendis equis per strata in foveis, & ubique cadavera viam sibi sternere fuerit necessarium: universus enim hostilis Janizarorum peditatus, exceptis Sultani prætorianis in ore gladii, vel Tibisci aquis periit, pluribus frustra Bassis (27.) vitam prece ac pretio deprecantibus. Nox incumbens paucos persequentium gladiis subduxit; certa enim est cladis prærogativa divisio. Quanquam non pauci Christiani ad aliquot passuum millia pugnæ prædæque ardore abrepti fuerint insecuti; neque à paucis fuit existimatum, substitisse, defixum in cœlo solem, reperito veteris ævi miraculo, ne Pii Leopoldi victoriam, gloriamque pii simul & fortissimi Ducis Eugenii præproperâ nocte interciperet. Sic victorias religio parit, & fortitudinis obstetrix pietas utrique coætanea.

Nocte ingravescente revocatus ad signa miles in acie páratus substitit, die altera 12. Septemb. grandiorem opinione miratur hostium

stra-

ſtragem, & dimidia ultra Tibiſcum horâ ſpectat hoſtilia miræ capacitatis caſtra, quæ transfugarum relatione heſterno hoſtis veſpere metu terroreque admodùm conſternatus Muſtapha cum equitatu deſerens, relictis omnibus fugit Temeswarium: *Pejor eſt enim bello timor ipſe belli; aſtus autem ſæpè pollentior eſt armis. Silius Ital. lib.* 14. Emiſſæ ſine mora aliquot ex ſingulis legionibus centuriæ incredibilem ſpoliorum, annonæ, camelorum, jumentorum apparatûsque bellici (qui adhibita licet diligenti curâ & cuſtodiâ; cujusdam tamen militis incuriâ igne poſtmodùm fuit conſumptus) multitudinem collegerunt. Hungaricus mox etiam levis armaturæ equitatus ad V. paſſuum millia hoſtium fugam perſecutus (quâ gente vix alia in hanc rem expeditior, ſive induſtriam, ſive etiam ſpectes celeritatem) opulenta quoque ſpolia, armorum per vias copiam, plurima morientium aut mortuorum cadavera, bellicaque tormenta, quæ in tanta metûs & fugæ præcipitantia promoveri non poterant, offendit: quare Glockelbergus tribunus cum 600. equitibus in eandē hoſtium inſecutionem eſt expeditus. Cæſa creduntur Turcarum viginti duo millia, cum ſupremo Vezirio & Janizarorum Aga, quinisque Beglerbegis, plurimis Baſſis & centurionibus; ſex vero mille vulnerati; capta & ſubmerſa 15000. Tibiſcus enim cadaverum congerie quaſi inſulatus transvehi non poterat. Spolio ceſsêre præter tria millia flumini immerſa, adhuc novem plauſtrorum millia 7000. equorum, 12. boum

boum millia, C. murales, & LX. capestres machinæ curules, vexilla 500. prætoriana verò seu caudata septem, omnes quoque papiliones, quos inter imperatorius Mustaphæ pretio ultra XL. millium florenorum; pretiosiores belliducibus, reliqui in prædam militi concessi. Mustaphæ etiam rheda octojugis capta, improba decem pellicum merce sarcinata; militaris deinde cancellaria, & campestre ærarium tribus opulentum millionibus: sigillum denique imperatorium Sultani, quod ex more gentis supremus semper & solus Vezirius è collo gerit; ejusdemque magni valoris acinacem Eugenius ipso Cæsari detulit; labara verò cum victoriæ nuntio Detrichsteinio eo præmisit. Christiani verò exercitûs jactura intra 500. occisorum, vulneratorum 1593. numerum substitit, horum præcipuus Saxonum archistrategus Comes Reusenus, post dies aliquot ex vulnere brachii & cruris, sphacelo accedente, mortuus, ut proinde gloriosa hæc & illustris victoria ad tertium idus Septembris parta singularem Cœlitum favorem complecti, & turcici regni videatur deliquium. Hoc indubitatum, & notatu dignum, Christianum exercitum ad certamen cum Turcis properantem aliquot prævolasse aquilas, felicis faustique ab Eugenio pugnæ & victoriæ ominatrices interpretatas. Vix substitit ex fuga Temeswarii Solimannus Mustapha, imminentem in proximo metuens victorem, Benzovam, inde propediem Belgradum terroris adhuc alis provolat; ubi militari convocato consilio horrendæ, & irreparabilis stragis causam audit stolidam Ve-

Aquilæ prævolantes victoriæ indices.

zirii

virii & Janizarorum Agæ in re militari fuisse imperitiam, quorum persuasione transvecto in alteram Tibisci partem equitatu, peditatum omni prodigè nudaverint subsidio & defensione: *Res quippe bellica summa cum prudentia sunt perpendendæ; quia plus in consilio, quàm in viribus præsidium est ponendum* Dio. lib. 37. *Fortuna per omnia humana, maximè in res bellicas est potens; illam autem fortunam sibi spondere, imprudentium est fiducia*; Idcirco ait *Vegetius l. 3. præf. qui secundos optat eventus, dimicet arte, non casu: & hæc rei bellicæ scientia dimicandi nutrit audaciam, & acuit in milite fortitudinem. Idem lib.* 11.

Defatigatus itinere & certamine miles Christianus, dum lautissimis suis recreatur spoliis & manubiis, opportunè quoque à superveniente castrensi quæstore Comite Schallenbergo merito donatur stipendio: Vaudemontius & Gronsfeldius autem ceteris strenuiores equitatûs Generalatu nobilitantur, aliis alii ob heroicam fortitudinem militaribus condecorantur officiis & præfecturis. *Is profectò gradus ceteros antecellat* (ajunt jura *L. Nemo. C. de off. mag. L. Gradatim. ff. de mun. & hon.*) *quem labor prolixior, & stipendia longiora fecerunt anteire.* Eugenius post hæc panico hostem terrore perculsum ac confusum Temeswarium usque persequi decreverat, urbemque invadere; sed aëris tunc pluviosi tempestatibus detinetur, vel eâ etiam imprimis causâ, quòd valido illam 12. millium præsidio, copiosoque apparatu bellico & commeatu ad vim omnem arcendam Mustapha

com-

communiverit. Superato igitur ob cadaverum fœtorem Tibiſco, caſtea ad Caniſcham minorem transfert: inde General. Rabutinum cum IV. legionibus in Tranſylvaniam. De Pace & Glockelsbergum in Ungariam ſuperiorem, & partem equitatus Varadinum verſus demittit, cum reliquo exercitu Sentovæ diebus aliquot conſidens, peditatum Cæſareum deſtinat Mohacium, equitatum, & Saxonicum militem Peſthum verſus, Budam Brandeburgicos, rem tormentariam in Bohemiam ablegat, ipſe cum delecto IV. mille equitatu, & 2500. peditatu, tormentisque aliquot campeſtribus in Boſniam ſereniore cœlo irrumpit, & terrorem latè circumferendo Dobajum & Maglojum, haud ignobiles adeundæ provinciæ arces, Schebze, Brandekum, Serraglium urbem & Teſchenum occupat, ac omnes, præterquam primam & ultimam arces flammis deſtruit; Et plurimæ familiæ turcicum deſerentes jugum Cæſaris amplexæ protectionem cum facultatibus ſuis ad Cæſareas confugêre ditiones. Atque ita ingenti ſpoliorum copia ditatus glorioſe militi reliquo aſſignat hybernacula: quæ & ſuis Rabutinus, everſis prius Vipalanckâ & Benzovâ indulget.

Eugenius in Boſnia plura invadit loca.

Ejus accuſatio.

Sed nulla tam modeſta eſt felicitas, ait *Valerius Max. lib. 4.* quæ malignitatis dentes poſſit vitare. Vix inſignis hæc Eugenii victoria venit ad Cæſarem, ſubſecutum eſt illicò diaboli jumentum, quod S. Baſilius vocat invidiam, quæ Eugenium legis militaris & mortis reum denuntiavit, quòd Cæſaris mandato defenſivè ſolùm, non offenſive in hoſtem numero copioſio-

rem

rem, non absque exercitûs Cæsarei periculo moverit. *Qui in bello citra mandatum ducis quid facit*, ait *L. Desertorem.* 3. §. *in bello.* 15. *ff. de re mil. etsi bene cedat, nihilominus capitis reus est*, exemplo Manlii Torquati, & Posthumii Dictatoris, filios ideo securi ferientium. At Leopoldus Cæsar, Ego Christianitatis gladium, hostem juratum internecivè perimentem perimam? ego Imperii Rom. Clipeum gloriose defendentem securi percutiam? non omne quod licet, honestum est *L. non omne.* 144. §. *de reg. jur.* neque expedit. Princeps autem, ait *Baldus in Cap. Cum super* x *de cau. poss. & prop.* potest omnia, supra jus, contra jus, extra jus: & quia est causa causarum, non est de ejus potestate inquirendum, quòd primæ causæ nulla sit causa.

Mustapha interim Belgrado Adrianopolim contendit, peste infectam, quâ & Constantinopolis contaminata, igneum in aëre globum minus sibi fore propitium dirè exhorruit: subsecuta verò aliquot adhuc Mustaphæ impedimenta & pellices Christianorum manibus ægrè ad Zentam erepta, Rasciani postmodum & Ungari in Servia intercipiunt, & mortis Libitinæ immolant.

Icon B. Virginis lacrimantis Viennam tansfertur. Imaginem Deiparæ ad oppidum Ungariæ Potz in via publica ad venerationem expositam, à die 4. Novembris ad 8. Decemb. anni præcedentis visam lacrimari (ut supra memini) plurimorum spectatorum, etiam heterodoxorum miraculum agnoscentium & obstupescentium testimonio, Viennam hoc anno delatam populosissima processio, Cæsare cum aula comitante

ex-

excipit, quam in Metropolitana S. Stephani summo altari in magni ponderis argyrotheca Cæsar ad publicam venerationem, tanquam Christianorum auxiliatricem, & peccatorum refugium invocandam voluit imponi; magnum enim Ungariæ impendens malum ab Ungariæ patrona meritò deplorari metuebat: obtentâ verò hac ad Zentam victoria gloriosissimâ, prodiit numisma hujus Deiparæ, cujus profusas Jesus lacrimas colligit cum hac circumscriptione:

Tristes ex oculis imbres, vultuque cadentes
Legit, & ad summi pertulit ora Patris.

In segmento legebatur *Patrona Hungariæ.* In altero latere genuflectebat pius in pede altaris Cæsar Leopoldus coronâ juxta se positâ cum triumphalibus in latere signis, cujus capiti angelus coronam imponebat lauream inscriptam:

- - - *Hinc seculi a discant*
Indomitum nihil esse pio, tutumve nocenti.

In ipso altero legebatur: *Deleto hoste perniciosissimo ad Centam* 1697. Marginis inscriptio ex psalmo 45. vers. 9. *Posuisti lacrimas meas in conspectu tuo: tunc convertentur inimici mei retrorsum.* Verum est quod *Curtius lib. 8.* scribit: *Non est perpetua possessio, in quam gladio inducimur: semper enim est periculum, ne plura appetendo, parta quoque amittantur.* Dio. lib. 56. *Nam mars communis & victum sæpe erigit, & affligit victorem.* Livius lib. 28. *Vid. num.* 350.

342. Veneti hoc anno vix quicquam terra marique memoratu dignum contra communem Christianis hostem Turcam gerunt, contenti

acquisita cautè & vigilanter custodire & conservare. Mari sub archithalasso Molino tribus naumachiis 6. Julii versus Ægei maris insulam Tenedos; deinde 1. & 20. Septembris versus Andriam insulam cum Mezzomorto longo pertinacique certantes prælio fugientibus semper Turcis neutrius emolumento prælium est diremptum, demersis tantummodò binis militaribus Turcarum 60. & 50 tormentorum navibus; Venetorum haud leviter afflictæ non paucæ, uti & prætoria Mezzomorti navis adeo est perforata, ut in aliam transire fuerit coactus, & prælium declinare. Seraskierus interim Moream 10000. tumultuariè invasurus, dum audit Molinum justo cum exercitu suum ibidem præstolari adventum, gradum metuens reflectit. *Vid. num.* 356.

Molinus tribus naumachiis Mezzomortum fugat.

343. Turcæ autem illatam à Moscis priori anno ulturi injuriam, feliciorem conflictu fortunam haud procul Asopho tentaturi, insano furore Moscorum sub archistratego Scheyn 77000. exercitum irruunt, & toties quoties fortiter repelluntur; pulsi denique ad flumen Kalganskium, interclusâ fugâ ad internecionem sunt cæsi, paucis Moscorum desideraeis, & 77. tantùm vulneratis. *Vid. num.* 350. Tum idem Petrus Alexowicus Magnus Moscorum Dux splendidas ad varias Principum ac Regum in Europa aulas expedivit legationes, per Franciscum le Fort suum architalassum, Theodorum Golawinum, general. belli commissarium, & Procopium Poznicin cancellarium solemniter functas: quibus ipse præsens incognitus inter-

Moscus Turcas internecive cædit.

Mosci legatio ad Europæ aulas.

erat;

erat; peractâ verò earum solemnitate ipse Dux cognitus, festivo à Principibus & Regibus exceptus honore, variisque affectus oblectationibus, Europæorum, maximè Germanorum observans studiose mores, genia, politiam, & artes imbibens, magnam artificum europæorum, omnis generis & artis copiam ad naves militares, bellicum apparatum, & reliqua bellica instrumenta conficienda; tum & duces tam navales quam campestres, pyrotechnites, machinatores, bellicos, & ballistarios germanos, anglos & batavos prece & pretio adlegens, in Moscoviam conducit, magno Regni sui emolumento: & in aula Viennensi fœdus cum Leopoldo Cæsare adversus Ottomannos triennale percutit, temporis occasione renovandum. *Vid. num.* 353.

In Polonia defuncto Rege, regni capite, reliquum reipublicæ corpus in universalibus neoregis comitiis in heterogenias dearctuatum partes ad internecionem pene dissectum postmodum fuit: imprimis enim magna fuit in eligendo nuntiorum provincialium directore votorum discordia, in qua mense majo tota equestris Poloniæ, seu omnium palatinatuum nobilitas 150000. summo in splendore circa Varsaviam in campis conveniens gravibus intentatis minis ejus ursit electionem, qui tandem 13. Junii plurium votis auro comparatis electus est Bielinskius; hoc concorditer confirmato, de eligendo Rege arduè est laboratum: plures enim & potentes pro corona candidati in suam quisque partem verbis, auro, promissis attrahebat nobilitatem; Abbas Polignacus Galliæ legatus

Comitia Poloniæ campestria.

Varii Coronæ Polon. Candidati.

Contium principem unicè commendabat: Ludovicum Badensem gloriosa sua extollebant gesta & merita per Europam evulgata & celebrata: suæ Livium Odeschalchum divitiæ liberalissimè ad debellandos Turcas profusæ promovebant: Jacobum Sobieskum defuncti Regis filium Cæsaris legatus Episcopus Passaviensis eleganti gravique argumentorum oratione suadebat; sed minus persuadebat, Contio votis, præsertim Regni Primatis, prævalente: quem ne vicinum metueret Cæsar, hujus aulici ministri Fridericum Augustum Saxoniæ Electorem tunc Viennæ præsentem opportunè disponunt, ut in Austriacorum & germanæ patriæ securitatem Polonicam procaretur coronam, sibi non inconvenientem. Vigesimo igitur septimo Junii die Varsaviæ Radziewskius regni Primas totus gallizans jam tum 72. nobilitatis polonicæ vexillationibus Contium regem adoptaverat, reliquæ 185. vexillationes votis discordes, raram paucæ Electoris Friderici mentionem faciebant, usque dum ab Apostolico Nuntio evulgatum, eum Badenæ Austriæ fidem Romano-Catholicam ejurato Lutheranismo amplexum; tunc potioribus Senatorum, & nobilitatis suffragiis est electus, à pluribus vexillationibus confirmatus, & ab episcopo Cujaviensi, regni Vice-Primate, ter solemniter Rex Poloniæ est proclamatus Fridericus Augustus Elector Saxoniæ, contra nitentibus Cardinale Radziewskio archiepiscopo Gnesnensi, regni Primate, & episcopo Plokensi, & Sapieha Lithuaniæ campiductore &c. Contio firmiter adhærentibus, & aliorum vota ab Ele-

Discors Regis electio.

ctore ad Contium variè, sed frustra, attrahentibus; nam illi unanimiter constantes solemnem ad Fridericum Augustum Tarnowicii commorantem (ubi jam tum Comes Traurmanstorffius cum saxonico advenerat milite) legationem, decernunt, qua regiam ejus electionem intimando congratularentur, & ad regnum Coronationemque invitarent: hanc splendido,& mille hominum comitatu obierunt nomine Poloniæ Jablonowskius palatinus Wolynskiensis, Lithuaniæ Crispinus, palatinus Wetepskiensis, nobilitatis denique nomine Zydazoniuskius eleganti latino sermone 23. Julii extra Tarnowicii muros, sub frondosa in campo scena quasi Colossæo aliquo constructa, intus tapetibus & regio sub baldachino throno splendidè exornata, quâ absolutâ, Rex post regales legatos epulas ad Saxonicum deducit exercitum, & post 7. Augusti singulari deplomate omnibus regni incolis libertatem conscientiæ, religionis, jurium & privilegiorum permittit & confirmat. Tum Tornawicio cum tota aula & exercitu tendens ad arcem Lobhaviam horâ distantem Cracoviâ, pacta conventa juramento ibidem confirmat, & coronationis diem 15. Augusti indicit. Sed re admodùm adhuc controversâ Card. Radziewskius regni & factionis Contiæ Primas per Brandeburgicos mediatores has Regi proposuit conditiones ante coronationem adimplendas: ut nempe Rex cum conjuge sua publicè fidem Romano-Catholicam confiteatur: Miles Saxonicus Poloniam non attingat: cassetur electionis actus: episcopi Cujaviensis Vice-Primatis limi-

Fridericus Saxo Rex Polon.

tetur poteſtas: annullatis pactis conventis alium reſpublica diem indicat: ſtipendiorum militarium 10. millionum ſolutio per deſtinatos à republica fiat commiſſarios: Rex curet, ut nuntiorum provincialium director ſeu mareſchallus novum regiæ nominationis expediat diploma; & prætorianam tantummodo 1200. cuſtodiam, eamque catholicam habeat: publicatio regiæ electionis ab epiſcopo Cujavienſi facta more ſolito & antiquo inſtituatur; cui contradicentibus plena ſtipuletur immunitas; vacentque omnia uſque poſt coronationem reipub. officia ſolis bene meritis conferenda. Has omnes conditiones quia Rex inire nequibat, legitimam ſuam manifeſto publicavit electionem; quod & Contii fecit factio. Sed Fridericus Rex 2. Septembris regio ſplendore ingreſſus Cracoviam, 15. ejuſdem à ſenatoribus, & regni mareſchallo Lubomirskio ad templum deductus, inter miſſæ ſolemnia facta publicæ fidei Catholicæ profeſſione ab epiſcopo Cujavienſi prælecta, juratâ, & propriâ manu ſubſcriptâ, ſacro epulo eſt refectus & coronatus. Deinde Saxoniæ Ordinibus & nobilitati Rex ſua confirmat jura, privilegia, & libertatis defenſionem ſanctè appromittit. Ipſe econtra Contius cum gallica Joannis Bartii equitis claſſe ad Dantiſci portum appellens, cùm factionis ſuæ promiſſa ſubſidia cerneret inania & fruſtranea, neque ullo eum modo Dantiſcum admitteret, 9. Novembris raptis ſex urbis navibus repetit Dunquerquam, non ſine exigua ſua confuſione, & Regis Ludovici XIV. offenſione; quam terni poſtmodùm Dantiſci deputati co-

Et coronatur.

Contius rejicitur

ram Ludovico Rege deprecari debuerunt, proinde

Fide parum, multumque vide; nam fidere multum
Et videre parum, maxima damna parit.

Vid. num. 354.

344. Suecia hoc anno sui Regis Caroli XI. mortem 15. April. deploravit, cui filius successit Carolus XII. anno ætatis suæ 15. die 18. mensis Novembris. Ubi principio anni ob frumentorum decrescentiam miserabilis fames plurima hominum millia consumpsit; in Livonia tanta fuit famis sævities, ut templa & Cœmiteria hominum sepulturæ non sufficerent, & ultra 10. milliaria vix vivus inveniretur homo; maldrumque siliginis, hordei &c. 50. & avenæ maldrum 24. Imperialibus venderetur. Regiam præterea aulam Stockholmiæ 17. Maji fœdum vastavit incendium ventorum tempestatibus adauctum. Mors Caroli Reg. Sueciæ, succeſſit filius. Fames Livoniæ.

In fine mensis Maji Fridericus IV. Daniæ Rex lustrato Rensburgi exercitu bellicoque apparatu, & tormentario, supremum suum belli legatum Wedelum in Holsatiam demittit, re tormentariâ & milite vacuam, ut munitiones Holmer- & Stocker Schantz invaderet; utramque brevi temporis spatio, 14. & 20. Junii ultroneâ capit deditione, quibus demolitis revertitur in Daniam. Danus Holſatiã irruit.

Gadibus Andalusiæ Societas Indiæ occidentalis summo est perfusa gaudio, classem argenteam admodùm divitem, sed à gallica Pointy insidiatam, feliciter à thalasso Nevilo Gades fuisse deductam; nam præter opulentas merces 30. Classis Indiæ argêtea Gades attingit.

auri

auri argentique infecti milliones contulit; unde Rex Hispaniæ pro negotiationis & navigationis indulto 800. Imperialium millia exegit, demum 412000. octularum, ut vocant **Stück von achten** contentus. Septem verò gallicæ prædatoriæ Batavicam classem mercatoriam Bilboâ advectam 25. Martii invadentes, post longam naumachiam 2. militares, & 10. mercatorias naves, ceteris fugâ elapsis, capiunt, prædâ 5. millionum divites. Aliæ eodem tempore gallicæ hispanicam & anglicam naves intercipiunt 50000. Impp. æstimatas.

Gallus Carthagenam cum ingenti thesauro capit. Carthagenam Americæ in novo Granato regno prædictus gallicus thalassus Pointy 13. Aprilis justâ classe cingit obsidione, occupatisque propugnaculis 30. April. urbem superiorem armatâ manu, inferiorem deditione 3. Maji capit, præfectumq; die sequenti cum 1800. præsidiariis consueto militari more & securitate dimittit: desiderabat quidem Pointy urbem gallici regis jurisdictioni perpetuò annectere, & gallico communire præsidio, utpote portum habet 200. navium militarium capacissimum; sed quia intolerabilis aëris æstus militiam ejus mortiferis affligebat morbis, sine mora cum ingenti auri & argenti præda velificavit in Galliam, quæ erat in præsenti auro 1440. marcæ (quarum duæ conficiunt libram) 28. marcæ elaborati auri: 14700. pistoleti, 834. marcæ elaboti argenti: 85500. marcæ in magnis, & 2158. marcæ in parvis saccis. 6407. marcæ varii argenti escarii 1942. marcæ pretiosorum lignorum aliarumque materiarum: 7. unciæ impoli-

torum

torum smaragdorum, 21. marcæ stampperlen, 71. impoliti amethisti, fusilis argentea B. Virginis statua, margaritis gemmisque exornata; magna templi Carthaginensis argentea arca cū annulis, Smaragdis, amethistis, adamantibus, inauribus, armillis, rosariis, aliisque ornamentis pretiosissimis repleta ac denique 82. ænea tormenta bellica; quibus sine dubio regi suo advenit gratissimus, qui tamen sancitâ paulò pòst pace omnem ejusdem direptæ urbis ecclesiis argenteam supellectilem restituit.

Barcinonem Cataloniæ metropolim Vendomius terra, Estreus mari 150. navium classe circumvallant, 1500. præsidio munitam, apertisque 15. Junii fossis castrensibus urbem pluribus coangustant, & fœdè devastant pyrobolis; nec minùs generosè eam propugnat præfectus Princeps Hasso-Darmstadiensis. Qui iteratis excursionibus haud exigua Gallis infert nocumenta, & Ibericus regni Prorex Gallorum à tergo castra 1500. irruit: velitaturque utrimque fortiter & cruentè, at Vendomius intra 4. & 5. Julii in muri fossas tentat impressionem & obtinet, sed binis ejectus vicibus; tertiâ demum jacturâ 1200. manutenet, & paucis pòst diebus à Cataloniæ Prorege aggressus illum profligat, & in fugam convertit: tum 5. Augusti generalem in urbem molienti insultum, ultroneam præfectus offert pactâ securitate deditionem, & 15. Augusti cum 30. tormentis bellicis, 6. mortariis & 600. præsidiariis peditibus & 1200. equitibus urbe egressus, ad hispanica divertit castra, Lobregati metata; Vendomius verò amis-

Vendomius Barcinonem.

ſis 8000. gregariis, & 400. officialibus Barcinonem glorioſus eſt ingreſſus.

Innocentius XII. Antium abit novum portum extructurus.

345. Romanus Pontifex Innocentius XII. in ſtatu ſuo eccleſiaſtico Antii novum extructurus portum maritimum, eum oculis perſpecturus illuc profectus, liberales in itinere habet hoſpites: prima ſtatio & pernoctatio fuit caſtellum Gandulphi, ubi ab octo Cardinalibus & Principe Chigio hoſpite magnificè exceptus eſt: die altera 12. April. meridiatus eſt Corocetti apud Principem Borgeſium, in vili externè paſtoritio extra urbem tugurio, intus verò regali ſplendore auro & argento exornato: vix Pontifex menſæ accubuit, in momento periſtromatum ſplendor evanuit, & totus paries apparuit chriſtallinus, in quo Pontifex omnes & ſingulos, & Pontificem videbat nemo, & mirabantur omnes: ciborum præterea apparatus erat regalis & ſplendidiſſimus. Poſt meridiem tertia erat ſtatio urbs Albana Epiſcopatûs Bovillonenſis, ubi bini ſimpoſiarchæ Cardinales Ottobonus & Bovillonus non ſolùm variorum fructuum apparatu; ſed pretioſiſſimis etiam donativis Pontificem recrearunt & honoraverunt; & quidem Bovillonus diarium quatuor partium auro gemmisque pretio 30000. ſcutorum compactum donavit; pernoctavit autem Nettuni in aula Principis Pamfilii, non minori cum Borgeſii ſplendore, & lautiſſima cœna certante. Die altera viſo Cardinalis Caſtaguri topiario portum Antii perluſtravit, commodumque & multarum navium in tempeſtatibus capacem judicavit, atque ideo illum perfici juſſit. Fuit Antium olim celebris

Vols-

Volscorum metropolis, Cariolani tunc exilium; postmodum sedes episcopalis, quæ nunc aliò translata, quia nimium destructa est civitas. Instante porro aliquorum Cardinalium zelo Innocentius Pontifex 14. Calend. Septembris theatri publici molem ad Nonæ turrim, ut vocant, spectaculorum usu interdixit, disjectis orchestrâ & odeis, distractoque publicâ licitatione omni scenarum choragio. Aliquot nummorum millium pretio damna, ut par erat, compensavit, quæ edicto suo perveniebant illi, cujus expensis stabat theatrum. Tanti redemit Pontifex aliquorum hominum scrupulos, quibus idem videbatur in veteris Romæ amphitheatris obscœno omni & truculento vitio per profligatæ vitæ homines assuescere, & ad cæterorum Christianorum praxim otiosæ noctis horas aliquas harmonica inter & honesta exodia transegisse.

Varii in Germania Cæsareor. & Gallor. motus.

Tripartitus gallicus in superiori Germania exercitus sub Mareschallo Choiseulo prope Spiram, Marchio Chamillus infra Lambsheimium, & Comes Arcourtius ad Mosellam prope Kirnum consident, aut Moguntiam pyrobolis vexaturi, aut rhenum transituri; Badensis verò Cæsareo-Imperialem exercitum primo Heilbrunnam, tum Gemmingam & demum Flehingam 22. Jun. traducens, castra ibidem est metatus, ad quæ 27. Jun. Viennâ accessit Dux Lotharingiæ supremus belli prolegatus: deinde Comitem Nassovio-Weilburgensem cum parte exercitûs mittit Costheimium, haud procul Moguntia, quo Gallorum infringit consilium, & in Moguntiam molimen; hinc Choiseulus Arcour-

tium

tium cum parte copiarum amandat in Belgium, reliquas ad se revocans totum in summo silentio exercitum [relicto Spiræ cum aliquot millibus Uxelle] ad munimentum Ludovisium in alteram rheni partem traducit, destructilque per Badensem Marchionatum frugibus intra Rastat & montana ad fluvium Muhr loco commodo considet, Kuppenheimium 300. præsidiariis, & castra aggeribus communit. Badensis interea varias ad lacessendum & infestandum hostem emittit turmas, Comitemque Nassovio-Weilburgensem Costheimio Weislochium expedit, ut Philippopolensium contineret excursiones; ipse motis Flehingâ castris Reitburgum contendit, & hostem vigilanter observat; sed quia hic castra plurimum roborabat, fruges circumquaque demetebat, nec ullam certaminis spem prævidebat, retraxit exercitum, & applicuit 19. Septemb. in Palatinatu arci Ebernburgo, quam 27. Sept. deditione capit, præsidiumque honore militari Kayserslauteren dimittit: deinde Kirn arcem in comitatu Sponheimensi aggressurus, pax Ryswicensis interrupit; de qua infra *num*. 346.

Villerojus & Catinatus Athum occupant.

In Belgio tam confœderati quàm Galli gnaviter instanti se expeditioni accingunt, & in campum medio Aprilis educunt militem: Villerojus & Catinatus collecto prope Cortracum exercitu, trajectoque 15. Maji Scaldim 20. millium exercitu Athum circumcingit, præsidio 2700. sub Præfecto Com. de Roiieux instructum; Villerojus autem & Boufleurus prope Givry & Malbodium cum exercitu hosti invigilant;

lant: nam Rex Angliæ & Belgii Gubernator conjunctis exercitibus ad fanum S. Quintini & Lemnich considebant. Catinatus interea exteriora urbis propugnacula pyrobolis adeo infestabat, ut loco præsidiarii insistere nequirent, inque aggerem portæ Bruxellensi præstructum binâ vice tentans impressionem rejectus, tertia demum majoribus copiis aggressurus; sed à præsidiariis desertum occupat; qui tamen noctu excurrentes aggerem recuperant; tum Galli directis in eum tormentis illud destruxerunt, & locum rursus obtinuerunt; & quia propugnaculum ad portam Bruxellensem, murusque interjectus è quinque tormentariis suggestibus latis intervallis erat dejectus; cataractæ fossarum etiam crassis arboribus interjecto fimo benè quidem firmatæ, sed tandem essent destructæ; binisque insultibus murorum dilatassent ruinas, decretoriam 15. Jun. decernunt impressionem, cui præfectus cum 1800. præsidiariis resistendo impar, ultroneam offer deditionem, militarique honore & more, absque tormentis Dendermundam est deductus; Catinatus impositis 5. præsidiariorum millibus, ad fossiles suas lineas reducit exercitum, ubi accersitis Montrevilli copiis aliquot millia ad maritimas oras & oppida destinat, Fageli molimini invigilantia: post hæc singulare nihil utrimque peractum, nisi quod mutuos invicem motus observarent, & Comes Portlandus & Boufleurus varia in decessu Caroli II. (qui infirmis tunc corporis viribus, & morbo attritus dubiæ erat valetudinis) de monarchiæ Hispanicæ ventilabant cudebantque con-
silia

ſilia, quæ Portlandus poſtmodum menſe Julio confœderatis Bruxellis aperuit; ex quibus haud multò pòſt pax eſt ſubſecuta. *Vide num. ſeq.*

346. Quoniam Amadæus Dux Sabaudiæ pacem cum Galliæ Rege pactam neque infringere, neque neutralitatem inire volebat, agitata per biennium Stockholmiæ in Suecia, & Viennæ in aula Cæſarea eo pacis devenerunt conſilia, ut utrarumque partium legati ad conſultandum convenirent, ea vel maximè de cauſa, quòd Suecorum Rex Carolus XI. vi fœderis cum Cæſare & Batavis pacti, & pacis Neomagenſis aſſertor, ſeu guerantier adſtipularit, aut pacem ad modum & fundamentum pacis Weſtphalo-Monaſterienſis reducere, aut militare ſubſidium ſubmittere; in quo quia poſtmodùm Carolus videbatur ambiguus, Batavi conſenſu Regis Angliæ Trajecti ad Moſam gallicum convenêre legatum, proponentes, an reuniones caſſare, & ablata velit Rex reſtituere? reſpondit velle reſtituere, excepto Argentorato Galliæ antemurali, nunquam reſtituendo: confœderatis hæc reſpuentibus, voluit Rex tandem reſtituere Argentoratum omni robore denudatum, ſolis cinctum muris, nunquam impoſterum fortificandum, & in Religionis Catholicæ ſtatu quo permanens; confœderati nec his contenti miſſus in Galliam curſor referebat, Regem condeſcendere, velleque Argentoratum reddere, ſic quo fuit tempore occupationis, remiſſis religionis & deſtructionis conditionibus. propoſitis his præliminaribus paci monaſterienſi conformibus, videbatur Suecica mediatio in hoc pacis negotio

Pacis præliminaria.

ad-

admittenda; Gallorum tamen astutiæ omnium sententiâ studiosè præcavendum, bellum interim strenuè continuandum, & pacem sub clypeo quærendam, armistitiumque constanter denegandum; jam tum enim ajebat Pensionarius Heinsius nervum & apparatum bellicum ad belli continuationem Batavi collegerunt; præmonebat deinde fœdera inter socios hactenus inita ante pacis tractatum renovanda,& fideliter sibi invicem assistendo neutiquam dissocianda seu infringenda;quòd Gallus tam bello durante, quàm pace subsequente communis patriæ hostis sit remansurus: formam demum assecurationis seu Guerantiæ pacis ineundæ, qua secure confœderati possent niti, prius concipere expediret. Moram interim pacis legatus gallicus Callierus in præliminaribus plurimùm incusabat, asseverans Regem suum ingenue pacem ad modum Monasteriensis & Neomagensis desiderare, Argentoratum, Luxemburgum, Montes Hannoniæ, Carolo-regium, Dinantum in statu occupationis, & capta post pacem Neomagensem in Catalonia loca in statu præsenti valle restituere, & reuniones à tempore pacis Neomagensis cassare & annullare. Legatorum tamen plures rei diffidentes & differentes, Cæsarei responsum Imperatoris expectabant, Lotharingicus Præses Canon urgebat plenariam Lotharingiæ restitutionem vi pacis Neomagensis adjudicatam, cujus tractatus quia hactenus non solùm non adimpleti, sed contra eos plurimum temerè excessum; ideo hæc magna Principum facta esset confœderatio. D. Quiros Hispanus Neomagen-

gensem omnino rejiciens pacem, & à Rege suo semper rejectam, instabat pro fundamento pyrenæos tractatus, uti promissum sibi, assumendos, uti Romanum Imperium urget monasterienses, vi quorum hactenus ablatorum repetit restitutionem. Aliis alia suggerentibus & prætendentibus adjecit demum Callierus plenariam sine ulla exceptione Lotharingiæ restitutionem (quam Brandeburgicus Schmettau justissimam serio sollicitabat) & Wilhelmum legitimum Angliæ Regem à Ludovico XIV. agnoscendum.

Legati ad pacẽ Ryswici conveniunt.

347. Hisce præliminaribus 3. Septembris 1796. peractis, & transmisso ad Cæsarem & Comitia Ratisponensia prothocollari resolutionum extractu, pacis tandem universalis congressus consensu partium institutus est Ryswicki, Auriaci Principis tusculani, seu topiarii, Hagam Comitis inter & Delphium: ubi expeditis salvis conductibus comparuerunt legati Cæsaris Dominicus Caunitzius, Henr. Stratmannus, & Seilern: Hispaniæ Franciscus de Quiros, Lud. de Schockard de Tirimont: Galliæ Harlajus Bonnevilus, Verjus Crecquius, & Callierus: Angliæ Thomas Pembrocus, Montagomerus, Eduard. Villierus de Daford, Robert. Lexingtonus, Joseph Williamsonus, Batavorum Ant. Heinsius, Jacob Boreelus, Everh. de Weede, Wilh. de Haaten, & plures Electorum, Principum & Rom. Imp. civitatum, & aliorum Regum Ducumque legati, ac Mediatores denique Sueciæ Carol. Bondus & Nicolaus Lilienroth. Sed ipsum congressûs principium jam tum aperiebat

rebat exiguum hujus pacis pro Imperio Rom. emolumentum; Galli namque Argentorati restitutionem, quam toties in præliminaribus stipulaverant, contumaciter negando, æquivalentia Brisacum, Philippopolim & Friburgum offerebant, cui nisi ante 20. diem Septembris consentiretur, pacis congressus in nihilum evanesceret; induciæ tamen refragantibus Cæsareis, pluribus aliis consentientibus sunt publicatæ, cùm jam Badensis Kirni obsidionem moliretur. Mors etiam Caroli XI. Regis Sueciæ pacis fermè negotium interrupisset, nisi Regimen Suecicum omnium consensu ejus loco successisset. Cæsar absurdam rei indignitatem misso ad Regem Angliæ Aversbergo deferens, graviter detestatus nihil effecit: dumque legati Cæsarei à sua Gallos sententia dimoveri non possent, prædicto æquivalenti addi volebant, & restitui ea, quæ Rex à pace Neomagensi acquirendo extorsisset, & munimentum Ludovicium in Ducem Lotharingiæ transferri: Lutherani quoque liberum religionis suæ exercitium Argentorati, & in aliis Regi subjectis locis & civitatibus, vi jurium & libertatum an. 1624. concessarum prætendebant; sed utroque pertinaciter denegato, pax à reliquis legatis 20. Septembris Ryswici exceptis Cæsareis concluditur & subscribitur: Hispano restituantur Gerunda, Roses, Belvers, Barcellona, Luxemburgum cum toto ejusdem nominis ducatu, & Chinay, Carolo-regium, Montes Hannoniæ & Athum cum suis dependentiis, exceptis aliquot arcibus & oppidis, & Cortracum in statu quo, & cum re tormentaria:

Argentoratum Galli nolunt restituere.

Pax Hispano-Gallica.

omnes reuniones à pace Neomagensi factæ dissolvantur, præterquam 82. oppida à Rege Galliæ tanquam à Malbodio & Carolomontio dependentia prætensa, & à Commissariis decidenda; & quidquid ultimo demum bello utrimque ablatum refundatur; Principi & Episcopo Leodiensi reddatur Dinantum, & maris mediterranei insulam Ponzam Principi Parmensi Hispanus restituat &c. Inter Regem Galliæ & Angliæ perpetua sit amnestia, maneantque uterque Rex & successores in quieta regnorum, provinciarum & dominiorum suorum possessione, sitque agnitus à Gallis legitimus Angliæ Rex Wilhelmus Auriacus: deinde omnia loca, provinciæ, munimenta & Coloniæ durante bello extorta utrimque reponantur, aut per commissarios decidantur: Gallus restituet Britanno Ducatum Auriacum totum &c. Gallis & Batavis durante hoc bello loca, provinciæ, oppida & fortalitia ablata invicem refundantur; cessent in mari piratica: Comiti de Avergne cedat Marchionatus Bercizomæ &c.

Hisce particularibus pacis tractatibus subscriptis, quia Cæsar & Imperium Argentorati restitutionem nullo hactenus modo impetrare potuerunt, 30. tandem Octobris post noctis medium horâ tertiâ inter Cæsareo-Imperiales & Gallos pax est conclusa & subscripta, additis præter opinionem hisce verbis, articulo 4. inserendis: *Religione tamen Catholicâ in locis sic restitutis, in statu, quo nunc est, manente*; quibus Evangelici Status adeo sunt consternati, ut quia omnibus rationibus, aliorumque interventio-

tionibus religionis statum in quo impetrare nequiverunt, pacis tractatibus consentire & subscribere noluerint; quibus Galli sufficere ajebant, modò aliqui, licèt non omnes subscriberent, quòd si nec sub rati spe reliqui vellent subscribere, armis cogendos: immo Brandeburgicus Elector tractatibus Anglicis & Batavicis supra inclusus ob hoc maluit expungi, aliqui autem periculo proximi, ut Herbipolensis, Wurtenburgensis, Comites Wetteraviæ, & civitas Francofurtensis pacis tractatus subsignarunt; reliqui, & ipsi adeo Sueciæ mediatores ne subscriberent, Ryswico abscesserunt.

348. Principes autem & Status Augustanæ confessionis Hagæ Comitis 25. Octobris 1697. sexdecim argumentis contra hanc ultimam 4. articuli clausulam protestati dicebant, quòd adversaretur fundamentalibus Imperii Rom. legibus; item paci anno 1555. factæ, & paci Osnabrugo - Westphalicæ articulo 8. contrariaretur. Cæsareæ quoque capitulationi, & articulo tertio pacis hujus Ryswicensis &c. &c. Ideoque hanc protestationem in Comitiis Ratisponensibus per dictaturam voluerunt inserendã. Hoc licet obstante sic 60. articulis conventum & transactum est; Pacis hujus fundamentum sint tractatus Monasterienses & Neomagenses, restituanturque Cæsari & Imperio Rom. omnia & singula, quæ Rex Galliæ vi aut bello ipsis ademit, aut nomine unionis aut reunionis Cameræ Metensis, Vesontina & Brisacense consilium, exceptis Alsaticis, abstraxit: Religioque Romano-Catholica in locis sic restitutis in statu, in quo

Pax Cæsareo-Gallica.

nunc est, maneat: Trevirensi & Spirensi Episcopo refundantur urbs Treviris, & omnes per occupationem, unionem & reunionem ablatæ ditiones & jura in statu, quo nunc sunt, refundantur: Brandeburgus omnibus gaudebit pactis in Gallia anno 1679. Jun. 29. transactis. Electori Palatino cedat totus Palatinatus cum omnibus & singulis urbibus, oppidis, juribus, documentis; in quæ illum pax Westphalica reposuit, & imprimis territorium Germersheimium cum omnibus præposituris, præfecturis, oppidis &c. cum onere quotannis Aurelianensi Ducissæ 100000. florenorum rhenensium usque ad causæ per Pontificem decisionem solvendi illo termino, quo plenaria Electori fuerit facta locorum restitutio; quod si autem Ducissa causâ ceciderit, fiet solutorum compensatio & restitutio per arbitrum determinanda. Ducatus Bipontinus, Comitatus Spanheimensis & Veldensis Regi Sueciæ rheni palatino cum omni jure, documentis & tormentis bellicis tempore occupationis reponantur: uti & suus Lotharingo Ducatus totus cum archivis & documentis &c. sed cum destructione fortificationum Nancei, Bietz & Homburgi, cassatisque reunitionibus Rex pro Saar-lovis & Longwy Duci dabit æquivalens: Magistro Teutonico Francisco Ludovico Palatino, & Episcopo Wormatiensi omnes, etiam intra Galliam, refundantur Commendatariæ, earumque jura & reditus, & Ducatus Mumpelgardensis Duci Georgio, suisque hæredibus & successoribus cum plenis juribus & privilegiis, annullatâ feudi recognitione Regi Galliæ anno

1681.

1681. factâ, præter oppidum Baldenheim Chamlajo à Rege donatum; sed sub fide & clientela Ducis: reducatur præterea præfatus Dux in Burgundica clientelaria bona Clereval, Passavant, & dominia Granges, Hericourt, Blamont, Chattelot, Clemont &c. Domus quoque Badensis hac pace plenariè gaudeat in omnibus juribus & prærogativis secundùm Monasterienses & Neomagenses tractatus, uti & Comit. Nassaviensi, Hanoviensi & Leiningensi sua reddantur dominia: Cæsar & Imperium Rom. Regi Galliæ, ejusque successoribus nunc & in perpetuū cedit Alsatiam & urbem Argentoratum, omniaque ejusdem in sinistro rheni latere pertinentia, supremum dominium, & jura sine ulla exceptione omnia &c. ita ut renuntiatis omnibus juribus, statutis &c. etiam juratis Argentoratum imposterum ex Imperii deleatur matricula; civibus autem Argentoratensibus permittitur emigrandi licentia. Econtra restituet Rex Galliæ Imperio munitionem, destructâ Pille, Kehleranam, domui Austriacæ urbem & arcem Friburgum, munimentum S. Petri, & munitionem stellatam cum oppidis Lecken, Metzhausen & Kirchzard, salvo Constantiæ Episcopo jure ecclesiastico; totum item Brisacum in statu quo nunc est, cum omnibus ad dexteram rheni sitis, demolitis ad rheni sinistram civitate novâ, ponte, & Insulæ munitione: reddetur Imperio & Cæsari Philippopolis in statu, quo occupata, salvo jure Episcopi Spirensis, destructisque in rheni sinistra munitione & ponte; Galli quoque evertant pontem & munitiones è regione Hu-

ningæ, ac munimenti Ludovicii, territoriumque utrobique redeat ad Badenses; ipsum autem fortalitium Ludovicium remaneat Gallo. Kirnburgum arx & civitas, Ducatus Salmensis redeant ad Salmensem & Rheingavium, & Ebernburgum ad Baronem à Sickingen, Trarbachum ad suum proprietarium; eorumque fortificationes destruantur. Wilhelmus Fürstenbergus Card. Episcopus Argentorat. & Abbas Stabulens. cum adhærentibus suis reponatur in omnia feudalia & allodialia bona, sed dignitates, beneficiaque ecclesiastica remaneant penes possessores. Similiter Landgraviis Hasso-Rheinfeldensibus restituantur Rheinfeldia & inferius Catzenelenbogen cum omnibus juribus, quibus Ernestus parens est gavisus, salvo jure competente Hasso-Casselensi. Omnia denique acta, archivia, scripta, documenta &c. præsertim Spirensia reddantur &c. Hæc pax Ryswicensis, uti & Neomagensis noctu conclusa multum displicuit Germaniæ, rupturæ brevi obnoxia, ut videbitur in sequentibus.

Principatus Teschēsis ceditur Odischalcho.

349. Cæsar ob profusam in bellum turcicum auri summam cedit ex 17. Silesiæ latissimæ, simul & ditissimæ Ducatibus Principi Livio Odischalcho principatum Teschensem. *Vid. num.* 352.

Budæ aquæ penuria.

Budæ in Hungaria metropolis magnus hactenus aquæ fuit defectus, ex Danubio in urbem & arcem difficulter deportandæ, quem mirabili & inaudito artificio inventioneque curavit machinator aquaticus Joannes Adamus Dietzius, qui boum jugo aquam ex Danubio in purificatio-

nis

nis cisternam 150. pedibus à Danubio dissitam deferens, inde ultra decem pedum millia in urbem & arcem illam ad civium sufficientiam maximo urbis tam pacis quàm belli tempore emolumento deduxit.

Hæreditario Daniæ Principi nascitur 28. Junii Hafniæ Christianus VI. & Ulyssibonæ maximo Lusitaniæ gaudio 3. Augusti Regi filius. E contra Maltæ magnus Prior Melitensis Vignacourtius diem clausit extremum, & Ludovicus Franciscus Comes Pappenheimius hæreditarius Imperii Mareschallus 6. Januarii, ultimus in linea Romano-Catholica, & successit ex linea Evangelica senior Comes Christianus Ernestus in hæreditatem & dignitatẽ. Viennæ Austriæ obiit quoq; 18. Decembr. Eleonora Maria Austriaca Michaëlis Poloniæ Regis, & Ducis Caroli V. Lotharingi vidua, Leopoldi Cæsaris soror anno ætatis 45. soloque bidui interstitio, priusquam Cæsar sancitæ paci subscriberet, liberamque sic aperiret viam ipsi & filiis suis, ut in occupatum 1670. per 27. annos à Gallis Lotharingiæ Ducatum ardentissimis populorum votis expetiti postliminio reverteretur. *Vid. num.* 358. Mors variorũ.

Varsaliæ in Gallia 5. Decemb. regali splendore sunt celebratæ nuptiæ Ducis Burgundiæ Ludovici XVI. cum filia Ducis Sabaudiæ.

Annus 1698.

350. 16. Calend. Februar. fortuitò conflagravit Londini Britannorum Principum Regia, nomine *Witheal*, ignique absumptæ sunt illæ palatii partes, quæ præcipuè Regis & Reginæ

habitationi destinatæ erant, simulque pretiosissima supellex, quam improvisus incendii casus vetuit subduxisse. Sic brevi horarum periodo annorum plurium sudores evanuerunt, favillaque una liguriit thesauros, quos vix immensis sumptibus sæcula coacervarant. *Pridie Calend. Martii Rex Hispaniarum Carolus infirma jam ab aliquibus annis valetudine usus, dum à suburbana deambulatione redux se aulæ restituere properat, acriori ægritudinis insultu in syncopem prolapsus, vix non pro mortuo habetur: remediorum tamen ope aliquantulum convalescens novam inducere rebus faciem suadetur, excedere jusso Monterico, primariæ auctoritatis viro, & revocato ad præcipuam negotiorum tractationem Oropesæ Comite, qui jam olim in ea versatus fuerat. Fides secretorum traditur Antonio Ubillæ, qui jam ab universalibus, & supremis mandatis scribendis foret, ablegatusque Toletum prætorianorum equitum acies, quæ ex germano milite sub Principe Darmstadiensi tribuno, Reginæque affine constabat. Exauctoratur item, qui prius à confessione Regi fuerat, Matilla nomine, eique sufficitur Froilanus Diaz ejusdem Dominicanorum instituti monachus. Inter has aulæ vices deductus Madritum Harcourtius Marchio, gallicus orator in conducti palatii propyleo, non Ludovici tantùm Regis, sed etiam Delfini, & trium filiorum ejus effigies conspiciendas proponit, quibus imminente, ut putabat, monarchiæ mutatione istorum uni coronam à populorum sic delinito amore captaret.

Pa-

Pacis Ryſwicenſis inter Cæſarem & Gallum fama, ſumptuoſiſſimo convivio & tripudio Conſtantinopoli à Batavorum legato feſtiviſſime celebrata, graviſſimè aures & animum Muſtaphæ percuſſit, prævidentis, & jam tum ſentientis omnes Cæſaris & Imperii Rom. vires, Gallo utcunque enervato, ſibi mox enervando, & ſupprimendo fore impendendas; dum Ryſwicenſis ſe pacis tabulis includendum, uti Galli fore perſuaſerant promiſerantque, audiret excluſum. Pacis quidem negotium pronis affectabat animis Porta Ottomannica; ſed illam à Britanno Batavoque legatis caduceatoribus palam demiſſéque petere, muſelmannica vetabat arrogantia, & cum tanto turcici imperii diſpendio, Alcorani leges haud permittebant. Portæ tamen Ottomannicæ ne urgens nimium pateſceret neceſſitas & anguſtia, Valida, Muſtaphæ mater, gazas & cimelia ſua, ſinguli aulæ & imperii miniſtri pro ſua quiſque officii & ſtatûs dignitate & eminentia, ad militum, nervi, apparatûsque bellici ſupplementum ſuppeditare debebant decretum pecuniæ ſubſidium. Novi quoque in defunctorum dignitates & officia ſufficiebantur Janizarorum Aga, & ſupremus Vezirius, qui Kaimakanus fuerat, cunctaque ſedulo ad futuram expeditionem adornabantur: novi quoque expoſito caudarum labaro provocabantur tyrones; magnum præterea Muſtapha Adrianopolim bellicum convocat conſilium, cui & Tôckeliusintererat, & gallicus legatus, in promovenda pace convenientes, licet Perſarum etiam Rex grave per fecialem denun-

Pax Ryſwicenſis angit Turcas.

 tiaret,

tiaret bellum, & Moscus deleto non ita pridem haud procul Asopho in parva Tartaria Turcarum ad internecionem exercitu, validiora pararet arma; quæ, nisi eo fataliora fortè prænuntiaret cometes, magno visus Adrianopoli horrore: hinc prædictos Mustapha legatos castra pacis inter arma cudendæ causâ sequi, & Chiausium ea de re Viennam mittere desiderabat. Hoc Britannus legatus ob Turcarum arrogantiam non expedire; sed impedire potius prævidens, suum Viennam destinat secretarium Schrejerum, Mustaphæ mentem, cuncta, excepto Belgrado, cedendi, Cæsari propositurum.

Pacem urgent.

Interea tamen temporis initio Februarii Turcæ Belgradenses VI. millibus ultra Marysium excurrentes, Cæsareanorum tunc quidem vigilantiâ repulsi; Aliàs autem Temeswarienses Segedinum versus Chonodæ suburbium irruentes, expilantes & incendentes, jam arcem etiam aggressuri à Rasciano centurione *Illa* rejiciuntur, sed ultra Marysium obvios circumquaque pagos opprimentes, cæsis barbare seniculis juniores cum jumentis Segedinensibus in captivitatem abstraxerunt. Pari vicissim fortunâ tum Segedinenses, tum Solmii & Caransebis præsidiarii haud exiguum pecudum gregem Temeswariensibus, necatis Turcarum plurimis, abduxêre: Com. Strasoldus Bosniæ Bassam atcem Dobajam à Christianis anno præterito occupatam recuperaturum non sine cæde repellit. Turcæ restauratis interea Banzova, Orsavâ, & Vipalancâ ad invadendum commodius Titulium nuper recuperatum, dum

Variæ Cæsareorum & Turcarum velitationes.

Guid.

Guid. Starrenbergi & Nehemi vigilantiâ prohiberentur, Temeſwarium ſuâ propemodùm opinione à Chriſtianis certò invadendum abundanti commeatu, & apparatu bellico, militarique inſtruunt præſidio; tum luſtrato Belgradi exercitu Danubium tranſituri videbantur, Muſtaphà Adrianopoli remanente; quod ut percepit Eugenius Sabaudus, collectâ ad Tibiſci tractum ingenti commeatûs copiâ, Petrowardini caſtra metatur, hoſtis adventum expectaturus, vel illum inveſtigaturus; Vezirius autem & Tartarorum Chamus prope Semendriam in agro Bocaſchino caſtra metati ſunt, legatis ad pacis negotium Belgradum adeuntibus.

Adeſt interea temporis Viennæ Britanni legati ſecretarius Schrejerus, oblatam à Muſtapha pacis conditionem Cæſari proponens, quam Leopoldus Czaario Moſcorum Duci Petro Alexowicio, ſuo contra Turcas confœderato, tunc Viennæ præſenti, & familiariter intimèque converſanti aperit; & hic viciſſim illi inſignem Tartarorum ſtragem, qua Moſci 40. equorum millia, cæſis fugatiſque cuſtodibus feliciter è paſcuis abduxerunt. De hoc Czaario plura poſtea. *Vid. n.* 351. Moſci cædunt Tartarŭ

351. 14. Calend. Julii tantâ cœlum copiâ imbres pluit Puteolis in Gallia, & tam rapido torrente auctæ in fluviis aquæ oppidum inundarunt, ut 150. domos radicitùs extirparent, abreptis & necatis hominum & pecudum ingenti numero, qui vel aquis ſubmerſi, vel domorum ruinis oppreſſi ſunt. Hoc ſingulari notâ dignum obſervatum eſt, aquas vi tantâ in obvias do-

domus irruisse, ut per caminos, & apertas desuper rimas resilientes quinque & sex pedibus super altiora cacumina efferrentur.

Calend. Septemb. Rex Ludovicus coactis ad Caropolim 70. millibus militum, quos in equites & pedites divisos, unus ad gloriam captandam amor promptos, & opiparè ornatos ciebat, omnigena artis militaris experimenta teneris nepotibus Delfini filiis exhibere, & ad bella gerenda formare instituit, unáque aulæ suæ proceres inter jucunda ludicræ hostilitatis spectacula distinere. Summâ copiarum præfecturâ Dux Burgundiæ, jubente Rege, auctoratus est, tenellamque ætatem imperatoriis artibus imbuturus, assistentem habuit marescallum Bouflerium, jam per longa militiæ experimenta exercitum. Castrametationum specimen primum editum est; dein plurimis modis velitatum, tum fictis in hostem incursationibus; tum improvisâ vallorum & excubiarum invasione; tum lignantium, & pabulantium incursu. Post hæc omnium ordinum in diversas acies divisorum fictis quidem, sed acerrimis contentionibus pugnatum est, & ipsa civitas omnibus veræ obsidionis laboribus infesta & expugnata. Jocosæ exercitationis spectaculo Rege ipso & aulâ ad plenam voluptatem recreatis. Non defuit inter ficta hostilitatis specimina urbanitatis amicissimæ officiorum uberrima seges, effusis ad omnes delicatioribus esculentis & poculentis, quæ obvia in tabernaculis tum Bouffleri, tum præcipuorum strategorum quisque ad satietatem habebat, rege ipso, & regii sanguinis utri-

utriusque sexûs Principibus non semel, dum per castra excursarent, ad lauta & opipara jentacula & prandia exceptis. In hoc procurando tum militiæ, tum epularum apparatu Rex Ludovicus scutorum millionum fermè sex dictus est impendisse, compensato tot expensarum sumptu unicâ spe nepotibus bellicos spiritus inspirandi, quibus aliquando regni gloriam, & fines tueantur & augeant.

Redeamus in Ungariam seu potius in Transylvaniam, ubi Hermanopolis absurdissima interim duarum levis armaturæ legionum Herbevillicæ & Saxo - Gothicæ in cinere glitcentis factio opportunè adhuc est suppressa, orta ex stipendii defectu, quod quæstor castrensis ex militaribus hybernorum non ritè solvebat collectis, quas ipsimet antea milites stipendiorum loco, sed effrenatâ exegerant insolentiâ, sequenti modo cohibita: clandestini quippe conspiratores 20. Augusti die sub medium noctis omnibus tribunis & subtribunis, centurionibus & vexilliferis è medio sublatis castra expilare, tum quinque aliis ad Devam & Dobram residentibus legionibus in sceleris partem sollicitatis, Generalem Rabutinum & Leiningenum trucidare, atque ita traditâ in manus hostium Transylvaniâ, Ottomannicam sequi militiam convenerant. Rem ab incautis militibus inter se conferentibus mulier marito prandium ad equorum pascua deferens, sollicite solerterque expiscata, redeuntem ad hospitium maritum multis inter amplexus lacrimis, sub interminatione vindictæ divinæ, proditoribus vix unquam propitiæ, & fatalis ut plu-

Factio duarum legionū Cæsareanor.

plurimùm exitûs rationibus compellavit, & compulit adeo conſcientiam ejus, ut ſine mora proditionis modum & tempus aperiret centurioni ſuo & Comiti Leiningeno: qui complices palo, glande & fune; anteſignanum verò exquiſitiſſimis mactavit tormentis; hic candentibus licet membratim excarnificatus forcipibus primum neutiquam incentorem voluit prodere. in barbaros cadebat ſuſpicio, qui quòd nec vi & armis, nec inſidiis & dolo quidquam efficerent, ſecundo pacem nuntio Viennæ urgebant. Milites ad ſcelera venales ſunt, militareque otium eſt fere tumultuoſum. *Amm. Marcell. lib.* 4.

352. Res aliis communicata confœderatis, Fridericus Rex Poloniæ pacem, priusquam Caminecum armis eviciſſet, non ambiebat; quod tamen reipublicæ adhuc impediebat diſcordia: Veneti quoque ac Moſci victoriis glorioſi pacem equidem non reſpuebant; ſed Ottomanni ubique ſuccumbentes, nervo, milite, animo & conſilio exuti pacem anhelantibus petebant votis, cuncta præter Belgradum iteratis nuntiis cedentes. Convenientibus tandem omnibus, & pacis tractandæ mediatoribus Anglis & Batavis Belgradum 12. Auguſti advenientibus, loci deſignationem à Cæſare petunt, qui majus Varadinum, Erlam aut Debrecinum ultra Tibiſcum, aut cis Danubium Budam vel Eſſecum offert, Ottomanni verò præter Petrovaradinum ultra Dravum tractare nolebant: Carlowicium igitur in Sirmio medium inter Petrowardinum & Salankemenum utrimque deſtinatum, ubi ſub

Carlowicium deſignatur pacis tractandæ locus.

dio erectum est utriusque partis sumptibus tabernaculum, in cujus medio magnum conferentiæ conclave, & in quatuor angulis quatuor cubicula quibuslibet legatis assignata.

Subinde Rom. Cæsar illuc Wolffgangum Comitem Ottingensem, & Leopoldum Comitem Schlickium, cum adjuncto Comite Marsiglio, linguæ & rerum turcicarum admodùm gnaro delegavit: Polonus Stanislaum Palatinum, Veneti Ruzzinum, Moscus Procopium Bogdanowicium eo destinarunt legatos; Soldanus verò Mustapha Mehemetem Reys-Effendum, seu magnum Regni cancellarium, & Alexandrum Maurocordatum, Græcum, nobili genere Scarlatum Soldani consiliarium & secretarium amandavit, maximoque deinceps honore & observantiâ Belgradi à Turcis sunt culti Wilhelmus Pagetus liber Baro de Beaudeser Britannus, & Jacobus Colyerus Batavus legati pacis mediatores, prædicti autem legati inter 13. & 15. Octobr. Romana Futaci subierunt castra, die altera 16. armistitium tam in Christianorum quàm Turcarum castris Belgradi, & 17. Petrowardinum inter & Danubii, Savique tractum quatuor in circuitu milliaribus cum maximo Turcarum gaudio & tripudio in legatorum securitatem est proclamatum. Tum 24. Octob. omnium partium legati Carlowicium abeunt, domusque conferentiæ centum quotidie stipatur Cæsareanis, totidemque turcicis stationariis.

Primâ Idibus Novembr. habita inter legatos Carlowicii conferentiâ graves per septiduum ex-

exortæ ſunt partium differentiæ, quibus compoſitis, & uſque dum conferentiæ domus ritè præparata eſſet, præmiſſa ſunt Tractatibus præliminaria ſequentia, votis omnium approbata: Omnia notificationis & præcedentiæ complementa removeantur; ſuum quiſque legatus negotium ſine alterius ſubſidio expediat, & mediatorum relinquat arbitrio: nullus tractatuum impediat ſucceſſum; ſed quantum poteſt ſublatis difficultatibus promoveat: ſervetur utrobique neutralitas, & ſecurè manendi itinerandive immunitas: proinde denique legatorum aulici & miniſtri poſt ſolis occaſum extra ſuam ſub pœnæ interminatione non vagentur hoſpitii orbitam. His abſolutis præmuniebant imprimis Turcæ & exigebant Tranſylvaniam impoſterum ſub Soldani ſui protectione; aut ſi tota ſub poteſtate & poſſeſſione Cæſaris manſura, annuum Turcis penderet tributum: deinde Ottomanni ultra Tibiſcum & Maryſium nullam Cæſari munitionem extrui; ſibi eosdem munire limites permitti volebant; utrumque abſolutè denegatum, & Cæſari *uti poſſidetis* permiſſa ſunt, ne quid juris vel aditûs Turcis in Tranſylvaniam, clavem & acceſſum in ſuperiorem Hungariam, immo & Germaniam, pateret. Polonorum Moldaviam, Walachiam & Caminecum exigentium prætenſionem felix Tartarorum de Polonis victoriæ fruſtravit ſucceſſus. Inſignis ècontra Moſcorum de Tartaris ad oppidum Or obtenta victoria, ejuſdemque urbis occupatio non generalem (quod rerum & temporum impediebat anguſtia & difficultas) ſed biennalem & favorabilem

Pacis tractatus.

lem satis pacem seu armistitium extorsit. Durior Turcarum erga Venetos erat pertinacia, quòd hi admodum Cæsaris omnia *uti possidetis* prætendebant; Turcæ verò Lepantum, Prevesam, Castel-novum, aliaque plura repetebant, aut demoliri volebant; sed prospera demum ad Metellinum Delfini cum Mezzomorto temperavit naumachia, 30. Septemb. habita, & Mezzomorto fugiente triumphata: bimestrem egitur Venetus ambiebat pacis dilationem, legatis omnibus id justè recusantibus *Vid. n.* 359. proinde continuata est utrimque conferentia usque ad principium anni sequentis. *Vid. n.* 359.

Durior Turcarum erga Venetos pertinacia.

Cæsaris interim mandato Cameræ præses Comes Caraffa Principi Livio Odeschalcho Ducatum Hungariæ Smirmiensem, præclaris ejus meritis, & profusæ liberalitati respondentem, beneficentissimè confert, ejusdemque Legatum Abbatem Boninum & Negro Illoci sub fidelitatis à subditis præstitæ homagio hæreditariè introducit, addito illi à Cæsareo Romæ legato Lambergo Excellentiæ titulo; quem cùm exploderent Romani, tanquam à pontifice sub rebellionis pœna interdictum, Odeschalchus publico hanc prærogativam scripto Sirmiensi ducatui annexam demonstrat, & hocce olim titulo Regis Ungariæ primogenitum fuisse appellatum; fuitque olim Sirmium urbs antiquissima, & ubi Savus maritatur Danubio amœnissima, nobili vino, pecore, & humanis deliciis abundantissima.

Oeschalchus fit Dux Sirmiensis.

353. Petrus Moscorum Czaarus Europam, ut dixi, perlustrans, in Hollandia aliquamdiu de-

Alexowicus ex Anglia in

Germaniam tandem multos in Moscoviam præmittit artifices.

demoratus, mense Martio in Angliam velificat, Regemque Wilhelmum illo sermonis & argutiarum tenore salutans alloquitur, qui melioribus excultum disciplinis animum saperet, mutuis à Rege honestatus officiis, splendido abs Rege Wilhelmo excipitur honore, variisque ibidem recreatus oblectamentis, & præter alia pretiosissimâ donatus phaselo redit in Hollandiam: Phaselum inde ad celeberrimum Moscoviæ emporium Archangelum ad mare album cum sexcentis ferme omnis generis operariis & artificibus, præsertim naviculariis præmittit. 30. naucleros, 28. centuriones, 40. succenturiones, 30. Chirurgos, 60. naupegos majores, 60. minores, 250. libratores, & machinatores, malorum, antennarum, pyxis nauticæ artifices, lintearios, statuarios, fabros ferrareos, lignarios, molares &c. bractearios, ipse per Cliviam Dresdam Saxoniæ, & Viennem Austriæ contendit, magnum salutaturus Leopoldum, de quo magna & præclara audierat. Legatum interea suum Principem Boris Patrowicium Czeremetum Romam ad Pontificem Innocentium XII. ablegat; qui 7. Aprilis ad pontificis admissus alloquium oblatis 20000. Scutatorum muneribus admitti petit in fœderis contra Turcas societatem, desideratque jam pridem concupitam græcam cum ecclesia Latino - Romana unionem. Pontifex quantumvis Græcorum nosceret pertinaciam, & unionis aliquoties tentatæ difficultatem; ad illam tamen paterne adhortatus humanissime, & liberalissime variis muneribus donatum dimittit, qui non minus erga

Romæ petit unionē eccles. græcæ cum Roman.

Car-

Cardinalem Spadam, & varios aulæ pontificiæ ministros, Sacerdotes celebrantes &c. civilis admodum fuit & munificus, eleemosynisque liberalis.

Porro hic Czaarus Dresdæ magnis honoribus & deliciosis oblectamentis affectus spectatis ibidem visu dignis, 26. Junii regio splendore Viennam ingressus, Leopoldum Cæsarem intimo animi affectu salutat, singularique ejus gaudet amicitiâ & confidentiâ, nunquam ut ajebat in mente obliteranda. Sumptuosis ibidem recreationibus, epulis, ludis & honoribus imprimis in die ejus natali à tota Cæsarea aula splendidissime cultus, congratulatus & hospitatus, 17. Julii Badensibus usus balneis domum professam Patrum Societatis invisit, ibidemque post Missæ solemnia à Card. Collonitzzo ipso præsente celebrata, lauto à Patribus veneratus est convivio: & cum ejusdem collegii Patre Wolff abiit in Ungariam, Presburgum aliaque rariora visurus. Deinde pactum cum Cæsare fœdus paulo ante discessum suum splendidissimâ legatione cum raris muneribus per Le Fort legatum suum, ipso Duce incognito præsente, confirmavit, fuitque ejus liberalitas ubique regia. Missa postmodum à Cæsare ad eundem Czaarum reciproca legatio. Jamque Venetias & Romano accinctus ad Pontificem itineri (suum enim adventum jam pridem per octo cursores ibidem indicaverat) mutatâ præter omnium opinionem mente, 30. solùm equis cursoriis properavit Cracoviam, vel propter periculosam Strelizorum, ut vocant, factionem, vel ut alii autumant, à Re-

Subit Viennã.

Fœderatur Cæsari.

Properat Cracoviam.

à Rege Poloniæ desideratissime per internuntium invitatus; Dux Leopoli eximio ab Rege Friderico cultus honore, eique perpetuò fœderatus omni postmodùm conatus est studio & subsidio à Rege Sueciæ Carolo XII. throno dejectum eundem reponere, fusoque demum ad internecionem Sueco Fridericum throno & regno restituit. Moscoviam 4. Septemb. reversus factionem sub initium adhuc in cinere suppressit, & gravissimis pœnis in antesignanos auctores animadvertit; factionis autem auctrix soror Ducis Sophia erat, quæ licet, ob motam anno 1682. rebellionem monasterio inclusa, audito ex fama & viso tot artificum adventu, fratrem post suum in Moscoviam reditum aliud maxime proficuum Regni regimen introducturum, ambireque imprimis ex illa ad pontificem legatione religionis græco-Ruthenæ cum latino-Romana unionem, continuo se opponit, & non modo varios vice-patriarchas, monachos, nobiles & Bojaros, sed etiam Strelizos, hoc est, prætorianos Ducis milites in suas partes sollicitat; horum supra mille Dux circum monasterium suspendit, duas sororis famulas in ejus conspectu vivas sepelit: vicepatriarcham suspendit, coram exercitu alterum & aliquot Bojaros ut vocant palo vivos infigit: duo monachi Ord. S. Basilii vivi contusi: extra urbem Moscoviam supra mille ducenti infami morte sunt plexi, 900. juvenes & virgines respectu ætatis auribus & naribus sunt truncati. Turcicam demum urbem Or, sive Precopium in Taurica Chersoneso ad Isthmum obsidione cingit, quam Tar-

Ob factionem Sororis in Moscovia.

Castigat factionem.

Præcopium capit & cædit Tartaros.

Tartari liberaturi, à Mazeppa Cosaccorũ archistratego 12000. exercitu cæsi, periẽrũt 40000. captaq; à Moscis 30. equorum millia, & quamvis Chami filius cum X. millibus urbẽ durante prælio penetraverit, ultroneâ tamen deditione ex annonæ defectu eam Moscus obtinuit. *Vid. n.* 369.

Polonicæ res in priori adhuc discordiæ versantur cardine; Regis tamen Friderici ejurato Lutheranismo ad fidem Romano-Catholicam conversio summo Pontificem Innocentium XII. affecit gaudio, Ovem à binis jam ferme seculis perditam ad ovile Christi per manus Cardinalis & episcopi Jaurinensis Christiani Augusti Ducis Saxoniæ &c. reductam, gratulatorias proinde Pontifex eidem 18. Jan. scripsit literas, illisque ad perennem in Romano-catholica fide constantiam hortatur & confirmat. Ceterum Rex ut Cardinalem Radziewskium regni & factionis Contiæ primatem ad regni concordiam & tranquillitatem ex debito patriæ amore reduceret, humanissimas ad illum omni affectu plenissimas 22. Januarii literas exarat; quibus ipse etiam Primas eodem affectu, & quantum in se studiosæ cooperationis contestatione 29. Jan. respondit; quæ tamen ex Rocotianorum, ut vocant, seu adversariorum longius dilata est suggestione. Missus igitur Nuntius Apostolicus in mense Majo cum literis pontificiis Lowicium, hortatusque serio Cardinalem Primatem ad amicam concordiam certò sua cooperatione secuturam, eo quòd Rocotiana, seu confœderationis factio indies deficeret, & Regis econtra proficeret & numero, & exercitûs augmento, jamque Principum legatos & mediatores Blonicum

Friderici Reg. Poloniæ conversione gaudet pontifex.

Primas Poloniæ cogitur ad concordiam cum Rege.

cum ad præfixum compositionis terminum abiisse, quo nisi Cardinalis Primas comparens iniret compositionem & concordiam, illum certò Romam à Pontifice citandum: quibus territus minis 13. Maji regiæ se majestati cum reliquis sociis Rocotianis submittit, scriptisque ad illum 18. Maji literis promittit debitam se coram præstaturum obedientiam. Nam suam pridem agnoverat contumaciam; 9. enim Maji in congregata Lowicii sessione, dum Rocotianorum mareschallus ad patriæ tranquillitatem socios hortaretur senatores, Archiepiscopum Leopolitanum, Palatinos & Castellanos Lozick, Kalisch &c. quòd omnis spes Principis Contii Candidati sui promovendi decresceret; cresceret vero animorum ad Regem accessus, pluraque in senatus-consultis de misero, deploratoque regni statu conferrentur, mox Cardinalis Primas subjungit: Misereor super patriam & super populum, culpamque à Rege omnem in factiosos & patriæ turbatores conjiciens, Fridericum Saxoniæ Electorem legitimum Regem Poloniæ agnoscit, admittit, & proclamat, ideoque propediem ad Regis alloquium cum reliquis Rocotianis admissus, & singulari humanitate, honore & convivio est exceptus: tum confirmatis supra memoratis Rocotianorum propositionibus & conditionibus periculosum simul & damnosum illud discordiæ consopitum est incendium; continuata tamen adhuc est in Lithuania Sapiehatum cum Oginskio inimicitia. Interea Moscorum Czaarus ut supramemini 10. Septemb. Leopolim adveniens die altera regem

Re-

Revani convenit, & diebus aliquot magna veneratione, deliciis & conviviis recreatus, eique perpetuò fœderatus, iter in Moscoviam maturavit, à Rege Zamosciam usque comitatus: Fridericus autem Leopolim ingressus & magnifice exceptus, reginam salutat viduam, Mariam Casimiram Aloysiam marchionissam Arquinam; quæ rebus suis in Polonia expeditis abiit Cracoviam, inde Viennam & Romam, vitam ibidem suam consumptura.

Eodem circiter tempore Rex Moldaviam, Walachiamque invasurus, audiens Tartaros 30000. Podhajecum oppidum cinxisse, missum illuc cum polonico 8000. exercitu archistrategum Zlokowskium tanto Tartari furore adoriuntur, ut perruptis ordinibus utrumque cornu confundant, in fugam 17. vexillationes conjiciant, castraque diripiant, quos spoliis rapidè intentos sex aliæ expeditæ vexillationes animis resumptis dum castris fortiter ejiciunt Zlokowskius recollectis reductisque tumultuarie aliis vexillationibus desperatò furore aggressus, cum capta præda in fugam feliciter compellit, vix aliàs pauci Polonorum necem evasissent; quorum tamen aliquot mille vulnerati & necati sunt. Hic dum fortiter & generose pugnatur, aliud millenorum aliquot Tartarorum agmen Leopolim usque excurrens igne & ferro barbarè consueto more omnia devastat; quare Rex Germanos suos propediem jubet movere Glimianum, subiensque castra lustrato polonico & Lituanico exercitu barbaros insequi, & Camineccum cingere meditatur, quod quia dissua-

Poloni Tartaros cædunt.

debat temporis iniquitas, & Polonorum refragabatur exercitus, Rex germanicum sub Duce Würtenburgico exercitum Camineco ad se revocat, qui devio itinere à majori nobilitate indicato, in hostium manus & insidias cum certa incidisset internecione, nisi à minori nobilitate in viam regiam directus evasisset: Rex hanc advertens iniquitatem, exercitum ad hyberna dimittit, jubente illud etiam anni fermè devoluti tempestate. *Vid. num.* 360.

Brandeburgus Elbingā in Polo-Prussiā occupat

355. 14. Octobris Brandeburgicus Strategus Brand nocte Polonis nihil suspicantibus exercitum hanseaticæ urbi Elbingæ, Electori Brandeburgico hypothecatæ applicat, fores aperiri, & urbem ex jure hypothecario sibi tradi adurget, aut ostensis magistratui tormentis & pyrobolis non sine ingenti civium detrimento irruendam, eligerent vel urbis ruinam vel conservationem: cives territi Electoris implorant clementiam & dilationem, usque dum Regem suum, cui fidelitatis recens præstitissent juramentum, pro eliberatione hypothecæ sibi innocenter impositæ sollicitassent. Elector verò secundum pacta Velaviensia nihil ultra hypothecæ possessionem usque ad pignoris reluitionem postulabat; promittebatque sanctè omnium jurium, privilegiorum, immunitatum, commerciorum, tam in sacris quàm profanis, tam in genere quàm in specie, & imprimis privilegii ordinis, ut vocant, & Casimiriani &c. conservationem. Pactis igitur utrimque conditionibus miles Brandeburgicus urbem est ingressus. *Vide num.* 368.

In

In Holsatia Hamburgi imperialis & hanseaticæ civitatis cives iteratis licet à Cæsare dehortationibus 28. Octobr. 1696. factis moniti contumaciter adversus magistratum tumultuantes, ejusdem pro arbitrio suo membra ap- & deponunt, debito privant salario, suo citatos sistunt judicio, eique dissentientes includunt; senatûs etiam imposterum electionem sibi, non magistratui arrogantes, aliasque factiones, juri, statutis & rationi repugnantes meditantur; quos Cæsar publico per urbem manifesto pœnis intentatis castigans seriò mandat, ut Commissariorum inferioris Saxonici circuli Directorum justæ sententiæ & compositioni se submittant, magistratumque recipientes debito imposterum honore, sub privilegiorum & tribuum amissione & caducitate venerentur. Daniæ Regem huic Manifesto suis in civitatem juribus, & Pinnebergensi Recessui incompatibili contranitentem Cæsar dehortatur, ne turbulentis se immisceret factionibus, impediretve Directorum commissionem. Rex moriger jurium saltem suorum petebat conservationem. Hamburgi discordia componitur.

In vicinia dissidium successionis in Ducatum Mecklenburgo-Gustraviensem inter Principes Schwerinensem & Strelitzensem non plenè legitiméque, ut ajebat, auditum, Comes ab Eck ex Cæsaris commissione compositurus, auditâ causâ Schwerinensi contulit possessionem: graviter id ferentibus inferioris Saxonici circuli Directoribus Sueco, Brandeburgo & Brunschwico, quasi id sibi solis competeret, Suecicus ejusdem circuli copiarum protribunus Klincken- In dissidio Principum Schwering- & Strelizensis læditur majestas Cæsarea

ſtromius Principem Schwerinenſem non ſolùm poſſeſſione; ſed etiam Cæſareum Commiſſarium Comitem ab Eck Imperio-aulicum Conſiliarium vi, contra jus gentium Guſtraviâ ejicit. Graviter id Cæſar ferens, horum Directorum reſidentibus Viennæ miniſtris Gabrieli Oxenſtirnio Suecico, Nicol. Danckelmanno Brandenburgico, & Danieli Huldebergo Brunſchwic. aulam uſque ad injuriæ & violati juris gentium ſatisfactionem accedere interdicit. Ne res hæc in periculoſius erumperet incendium, Klinckenſtromius arreſto eſt vinculatus, & Britanniæ Regis Batavorumque interventu tres circuli Directores literis veniam delicti ſe inſciis & involuntariè commiſſi à Cæſare petentes ſatisfactionem offerunt; Klinckenſtromius igitur Hamburgum adductus, in Hiſpaniæ, Britanniæ & Batavorum miniſtrorum ibidem reſidentium præſentia à Comite ab Eck delicti ex mera juris gentium ignorantia à milite commiſſi indulgentiam deprecatur humillimè, conteſtatus ſe nullum Cæſaream offendendi Majeſtatem unquam animum habuiſſe; proinde Comitis interceſſionem apud Cæſ. Majeſtatem demiſsè implorat, quæ Klinckenſtromium juſſit exauctorari, & circulari militiâ eliminari.

356. In Peloponneſo ſive Moreæ Regno quia à turcico Seraskiero vix quicquam erat timendum, claſſis navalis Veneta pluribus inſtructa claſſiariis, ſolutis Naupliæ anchoris Mezzomortum inter Græciæ dardanellas, ſive inter binas arces Seſtum & Abydum 1500. paſſibus invicem intermedio freto diſtantes, hærentem in

præ-

prælium elicere non potuit, dum interim Ma-nettæ nepotes navem turcicam cum 60. imperialium millibus intercipiunt, & Delfinus Lemnum Insulam [unde terra Lemnica in Augusto effossa dicitur admodùm salutaris] expilat, tandem 20. Septembris utraque classis ad Metelinum congressa cruentum utrimque magnis fit animis prælium; primus Ludov. Frangonus turcicam Sultanam, ut vocant, alteram Nicol. Foscolus magnanimiter aggressi in fugam compellunt: tertiam ipse Architalassus Delfinus, dum totaliter conquassatis succurrunt eidem jussu Mezzomorti aliæ, & pugnatur strenuè. Inter hæc stolidus Capitaneus Marinus longius extra ventum excurrens, veloque captare ventum impotens, à quatuor Sultanis Turcicis adeo furiosè adoritur, ut jam jam transcendi & capi videretur; huic dum illicò succurrit Delfinus, 14. naves hostiles illum circumcingunt, adeoque ab omnibus derelictum impugnant, perforant, ut dejectis fractisque malis, rudentibus, velis & antennis, nullusque esset effugii locus, nihilo tamen minus generosè fortiterque se multo tempore defendit, & quamvis tot jam prænobiles Venetos & 400. classiarios tum cæsos tum vulneratos dolenter ante se cerneret, & sine ulla intermissione illum Turcæ ingenti impeterent furore, constanti tamen magnanimitate tamdiu eorum rejecit impetum, donec Bonvicinus cum extremo classis agmine eidem opitulatus, eripuit; Marchio enim Melinus Sultanam unam adortus & in fugam compellens, Bonvicino aditum accedendi Delfinum patefecit, quo novo in hostem

Delfinus Venetus vastat Lemnū & Mezzomortum devincit.

stem

ftem furore irruunt, & in fugam convertunt, nec minus fortiter reliqua claſſis agmina decertarunt, & ad tertiam noctis horam glorioſè Turcas devicerunt. Atrox utrimque certamen inter Turcas inauditum nox inquam diremit, fugitque Mezzomortus ad Inſulam Chium, demerſis aliquot, laceratis plurimis eorum Sultanis ſeu navibus, & imprimis prætoria admodùm perforata, claſſiariis 4000. deſideratis, 2000. vulneratis. Veneti in loco certaminis manentes, hauſtis ſalo, ſalvis epibatis, tribus navibus [nullam alii quaſſatam periiſſe ſcribunt] & prætoria Delfini valde afflicta, numerabant 420. cæſos, & 706. vulneratos claſſiarios, in Moream deinde regreſſi, reparatâ prætoriâ Delfinus denuò Mezzomortum dicitur provocaſſe, ſed fruſtra. Hæc victoriæ palma Venetis glorioſè cedens, multum ad pacis tractatum, ut dixi, attulit emolumenti. *Vid. num.* 359.

Calviniſtæ gallici à Comite Yſenburg recipiũtur.

357. Rex Galliæ toleratos hactenus Vallenſes Calviniſtas jam etiam regno ſuo prorſus eliminat, qui relictis omnibus in Helvetia aliquamdiu recepti, præmiſſo Offenbachium haud procul Francofurto ad Mœnum Capitaneo Davide de Calmets ad Comitem Joannem Philippum Yſenburgum Budingen, defigendis ibidem perpetuò ſedibus ſub certis conditionibus tranſegit, quo etiam plures, & primariæ abierunt familiæ, plenâ libertate mercaturas, religionem, artificia, operas ſuas &c. exercentes. Neophytos verò ad fidem Catholicam converſos Rex publico 20. Decembr. edicto mandavit in rebus fidei à Paſtoribus, & in erigendis ubique ſcholis inſtrui

instrui; intra 24. horas baptizari; matrimonia secundùm canones iniri; Sacerdotes venerari: ægris & moribundis maturè, ex medicorum indicio Sacramenta administrari; nec visitari prohibeantur: tales neophyti ostensio suæ conversionis, & probatæ vitæ testimonio ad officia promovebuntur; & regiâ clementiâ, omnibus privilegiis, & libertatibus, uti Catholici, gaudebunt.

Galli multo bellico apparatu Hispaniæ finibus (cujus Rex Carolus dubia quotidie decrescebat valetudine) portibusque se insinuant. Transmissa deinde Argentoratum à Ludovico XIV. pretiosissima donaria Cathedrales ibidem Canonici magnâ susceperunt reverentiâ & solemnitate; sex nimirum argentea justæ magnitudinis candelabra affabrè elaborata, & argenteam planè fusam Crucem viri altitudinem attingentem: duo deinde Altaris albo-rubra holosserica antipendia, auro obrizo ita phrygiata, ut vir unus vix tolleret: & sex demum sacerdotales casulas eodem modo pretiosissimè phrygiatas, pretium nempe trium universim millionum: donum profectò regium. Dona Ludovici R. Cathedrali Argentorat. missa.

358. Magna in comitiis Ratisponensibus Catholicos inter, Lutheranos & Calvinistas de Religionis puncto in congressu Ryswicensi proposito, sed (ut ajebant, non transacto, neque modificato) orta est discordia: nam Electot Palatinus plures Ecclesias per heterodoxos olim Romano-Catholicis vi abstractas, secundùm, non contra pacis Westphalicæ tabulas restituerat: res ulterioris indaginis est dilata; & contro-

vers

Cessæ Imperii urbes præsidiis muniuntur.

vertebatur alterum, quinam cessam Philippopolim, & munitionem Kehleranam præsidio, commeatu, apparatu, & militari stipendio instruerent defenderentque? abnuentibus illud circulis Suevico, Franconico, & Rhenano superiori. Philippopolis Cæsareo sub Præfecto Generali campi Mareschallo Tungeno munita est præsidio; sub Præfecto Würtzio Kehlerana munitio ultra rhenum prope Argentoratum cùm Cæsareo, tùm Suevico circulari 1200. milite, Friburgum solo cæsareano, & præfecto Comite Fürstenbergo instructum: restabat Brisacum vi pacis Ryswicensis etiam restituendum; sed fallaciter hoc prætextu dilatum, quòd fortificationis robora, nova scilicet in sinistro rheni latere civitas, pons, & extructa in Insula munitio ex 20. pacis articulo regiis sumptibus necdum destrui potuerit. Ad Ratisponensia Rom. Imperii Comitia Rex Galliæ legatum etiam suum plenopotentiarium Chamojum 5. Maji submittit, & tanquam Imperii membrum à cæteris legatis est susceptus.

Abbatiã Quedlinburgensem capit Brandenburg

Elector Brandeburgicus cessæ sibi à Rege Poloniæ certis conditionibus Abbatiæ Quedlinburgensis homagium & possessionem capturus, à Feudi Domina Abbatissa ibidem non admittitur, eò quòd sine expresso suo, Imperatoris & Ducum Saxoniæ Hassiæque consensu fieri non posse dictitaret: & quamvis Cæsareum prohiberet rescriptum, ne quid contra jura Imperatoris, Imperii & cujusvis tertii fieret, armatâ tamen vi extorsit Elector mense Septembri homagium, & tanquam patronus urbem &c. in suam recepit fidem.

Ca-

Camera Spirensis urbe devastatâ, assessoribusque supplicantibus Wetzlariam urbē in Werteravia imperialem, summo huic tribunali aptissimam assensu Cæsaris & Imperii est translata. Numerus assessorum ibidem cameralium in novæ pacis Monasteriensis constitutione *cap. 5. num.* 20. §. *Praterea cum ob enatas &c.* ad quinquaginta est adauctus, ubi ita cavetur: *Prater Judicem, & quatuor præsides, & quidem duos horum ex Augustana confessione, à sola Cæsarea Majestate constituendos, numerum assessorum cameralium ad 50. in universum adaugeri, ita ut Catholici computatis duobus assessoribus, Imperatoris præsentationi reservatis, 26. Augustanæ confessionis status 24. assessores præsentare possint, & teneantur, atque ex singulis circulis mixtæ Religionis non tantùm duos Catholicos, sed etiam binos Augustanæ Confessionis assumere & eligere fas sit, cæteris ad judicium camerale pertinentibus, ad proxima comitia rejectis. Ac proinde circuli de præsentandis maturè in locum demortuorum novis ad Camerale judicium assessoribus Catholici etiam suo tempore de ordine præsentandi convenient, Cæsareaque Majestas mandabit, ut non solùm in isto judicio camerali causæ ecclesiasticæ & politicæ inter Augustanæ confessionis status, vel inter solos vertentes, vel etiam quando Catholicis contra Catholicos Status litigantibus fortius interveniens Augustanæ confessionis status erat: & vicissim quando Augustanæ confessionis statibus contra ejusdem confessionis status litigantibus tertius interveniens erit Catholicus, allectis ex utraque Reli-*

Camera Spirensis transfertur Wetzlariam.

Religione pari numero assessoribus dissentiantur & judicentur. An verò Cæsar concurrentem cum Camera habeat jurisdictionem, negat *Gailius* 1. *obser.* 121. Verius affirmat *Paurmeister* 2. *de jurisd. cap.* 5. quia est locus præventioni: Camera est consistorium summi Principis, idemque non diversum tribunal habeat: Camera denique auctoritate, vice & nomine Imperatoris judicet, ita ut quod Camera cognoscit, ipse Imperator cognoscere censeatur &c. *Vide Annum* 1704.

In Hibernia proscribuntur Romano-Catholici, metu fortasse factionis, in favorem Regis Jacobi regnum Gallorum ope repetentis cudendæ.

Toto mari hoc anno infesta procellarum temperies, & insolita navium strages, è quibus CXX. amissas soli Hollandi & Britanni deplorant.

In Africa meridionali Rex Monomotaphæ à fratre adhuc minorenne regno expellitur; restituitur autem à Lusitanis, oram maritimam ibidem tenentibus. Acri adhuc obsidione Ceutam in Regno Barbariæ Fetz urgent Mauri, Hispanis acrius aliquot ab annis propugnantibus.

Caropoli in Suecia Fridericus Dux Holsatiæ Gottorffiensis nupsit Hedwigi Sophiæ filiæ Regis Sueciæ, qui mox Duci generalem germanicarum suarum provinciarum & militiæ contulit præfecturam. Viennæ mense Martio pactis inter Lotharingiæ Ducem Leopoldum Josephum, & Ducissam Aurelianensem Elisabetham Charlottam

Nuptiæ Lotharingi cum Aurelianēsi qui Ducatum recipit.

lottam [quæ effigiem suam Duci per cursorem transmiserat] nuptiis, Dux cum juniore fratre suo Francisco Josepho 15. Aprilis Viennâ discedit in Galliam Fontem Bellaqueum Ducatus sui possessionem adepturus, ubi effusa omnium Ordinum multitudine ad Ducatûs confinia eo excipitur plausu, quem non Domino & Principi, sed singulorum parenti, exque longa 27. annorum captivitate reduci exhibere viderentur. Illi Argentorato transeunti Rex Ludovicus 50. scutorum millia numerari jusserat; sed quæ non ita pridem capitalis tributi titulo à Provincia exegerat: delinito item aliquibus aliis Ducis animo, ne quæ per tot annos Rex ab opulenta & facili gente emunxerat, restituta speraret. 8. Octobris Imperatoris nepos, Ludovici Reg. nepti cum Regiæ celsitudinis titulo ibidem copulatus.

Fatis 22. Januar. concedit Hannoveræ Ernestus Augustus primus Elector Brunswico-Luneburgicus, anno ætatis 68. cui in Electoratu successit filius Georgius Ludovicus, natus 1660. 28. Maji in Episcopatu autem Osnabrugensi alternativè successor electus est 17. April. Carolus Josephus ex Ducibus Lotharingiæ omnium votis; Præpositus namque Metternich octo sibi collata vota, & Canonicus Wachtendonck tria in Ducem simul transtulerunt: qui postmodum etiam Electoris Trevirensis & Coadjutor, & Successor, resignato Episcopatu Olmucensi est factus. Mortuo Joanni Godefrido Herpolensi Episcopo, & Franconiæ Orientalis Duci succedit Joannes Philippus Baro à Greiffenklau.

Frater ejus Carolus fit Episcop. Osnabrugensis.

Inventæ naves lineæ.

Mense Majo Belga quidam centurio cum 12. operariis Viennæ novæ inventionis naves ex lineo panno fortiter oppicatas tantæ confecit magnitudinis, ut una quinquaginta simul homines Danubium celeriter Cæsare spectante transveheret, simulque tales quatuor uno curru quocunque transferri potuerint. Ibidem P. Figarus Italus Ordinis S. Augustini bellicum impensis Cæsaris conflavit tormentum ex tribus tubis tres simul globos 12. librarum evomens.

Vesuvius horrendos evomit ignes.

In Sicilia ignivomus mons Ætna ingentem cinerum copiam ultra 50. milliaria Italica cum incredibili incolarum damno expuit; Vesuvius autem 5. aut 6. Neapoli distans milliaribus, quatuor igneos divisim fluvios extra hominum memoriam evomuit, quorum unus ultra centum pollices altus, latus verò medio Italico milliari: his vix subsidentibus tantam mons areno-nitratorum cinerum ejecit multitudinem, & cœlum adeo obtenebravit, ut accolæ biduo luminibus pleno die uti debuerint, agrique taliter fuerint devastati & exusti, ut triennio plane fuerint infrugiferi, arbores & vineta arefacta, homines combusti, alii Neapolim aufugerint, ubi in instituta ab Archiepiscopo publica processione adolescentes gravibus è collo pendulis lapidibus; virgunculæ solutis comis spineas in capite gestantes coronas, alii lachrymis, Clerus tam sæcularis quàm regularis intensissimis precibus demississimè Dei implorabant misericordiam: ubi ad Ecclesiam S. Catharinæ de Fornello cum statua & S. Reliquiis D. Januarii deventum, & cum illis Archiepiscopus benedictionem esset imper-

impertitus, cœlum illico deficientibus cineribus clarefcebat, fol & ftellæ apparebant; fed per totam diem fingulis horæ quadrantibus horrendè mons quafi tormento bellico intonabat, & per 30. milliaria Italica, terram, turres & feneftras concutiebat. Hic Vefuvius Campaniæ mons primos anno Chrifti 79. ignes eructans, denfiffimas dehinc flammas fæpiffimè in amœniffima orbis regione evomuit, vel ad gentis, ne peccaret obftinaciùs, medicinam; vel ad providentiæ regimen, ne una regio fine mixtura mali felix effet.

Annus 1699.

359. Tandem anni 1699. initio 26. Jan. die Pax Carlowicii inter Romanū Cæfarem & confœderatos Polonos, Venetosque in annos XXV, inter Mofcos biennale armiftitium in pacem tandem coaliturum, cum Ottomannis fancitur his tabulis: Tranfylvania tota à finibus Podoliæ ufque ad confines Walachiæ, ab his ad flumen Marofchium, cum reliqua Ungaria & Ditione Batska Tibifcum inter & Danubium, Titulumque Cæfari Rom. afferta funto, Temeswarienfi Provinciâ à finibus Tranfylvaniæ ad Marofchium, & Tibifcum ufque exceptâ, quæ tota remanebit Mufelmannis, prædictorum tamen fluminum ufus tam navigando, quàm pifcando utrimque erit communis, nec ulteriori quidquam, quàm nunc eft robore muniatur. Cuilibet autem permiffum fit parti ad limitum fuorum fecuritatem arces munitionesque reftaurare, & quovis modo arteque roborare, no- *Pacis Carlowicenfis conditiones. Cæfareæ.*

vos quoque pagos ac vicos absque munitione tamen extruere: Ecclesiæ Catholicæ non opprimantur in regno Turcico, omnibusque Cæsareis legatis, eorumque ministris permittitur quilibet in aula Ottomannica vestitus sibi solitus & placitus (quod nullis hactenus tractatibus potuit impetrari; sed turcico semper omnes vestitu ibidem comparere debebant) Pax denique hæc & armistitium constitutis utriusque regni limitibus, à die subscriptionis durabit inviolabiliter per viginti quinque continuos annos inter Confœderatos Principes Christianos & Ottomannos, Tartarosque.

Polonicæ. Ad Polonos Ucrania & Podolia cum Camineco, & omni plane jure, sine ulla prætensione redeant; evacuetur autem à Polonis omnimodò Moldavia, & antiquis suis disterminetur limitibus.

Venetæ Erga Venetos Turcæ difficiliores plura repetebant, quæ Veneti capta jure belli, uti Cæsar, retinere volebant: ideoque in dies aliquot dilata est compositio & subscriptio; sed quia, adstipulantibus licet aliis legatis, nequicquam efficere poterant, ne soli pondus belli sustinerent, sic tandem convenêre: Naupactum seu Lepantum cum sinu Saronico Veneti restituant, Romeliam & Prevesam in Epiro demoliantur: retineant Insulam Moream seu Peloponnesum totum cum omnibus urbibus, pagis, montibus, portibus &c. inter mare & Isthmum ubi adhuc rudera muri, 6. passuum millibus longi, ab Amurathe destructi, à Venetis 1543. spatio 15. dierum 30. millibus reparati, à Mahomete II.

denique

denique dejecti, continentem deinde urbem, Insulamque S. Mauram, & confines Leucadem & Engiam Insulas: In Dalmatia castella Chnin, Sing, Cicluch & Gabellam, hoc bello parta, possideant cum suis districtibus & pertinentiis, cumque unius aut duorum milliarium à singulis castellis loci aut terræ distantia aut circumferentia; ita ut à Chnin usque Verlicam, ab hac usque Sing, inde usque Duare aut Zeduariam & Vergoratz, ab hac denique usque Ciclut & Gabellam recta ducatur linea, & quidquid intra hanc Venetis, extra verò cedat Muselmannis: Ragusa ad sinum Adriaticum cum suis provinciis & districtibus sit penes Solimannos: Castel-Novum prope Catarum, Narenza & Risasanum penes Venetos. Poterit quælibet pars arces & munitiones suas reficere & firmare; novas autem extruere prohibetur.

His ritè peractis, subsignatis, & pacis Angelis ad utrumque Imperatorem, cæterosque confœderatos expeditis, incredibile personat ubique, Turcarum imprimis gaudium, & tormentorum boatus: Mustapha pacis bajulo bina signa equina, magni indicia honoris, cum XX. auri crumenis [quælibet 500. continebat imperiales] liberaliter donat, & Mauro Cordato titulum Excellentiæ, quoad vixerit, adjicit. Instrumentorum seu tabularum ab Imperatoribus &c. subscriptionem, & 14. Mart. ratificationem subsecuta est limitum divisio & stabilis terminorum fictio; ex parte Cæsaris ab Aloysio Ferd. Com. Marsiglio, Regni Ungariæ, & hujus rei peritissimo, ex parte Mustaphæ à Turcico Ef-

tendi, & Venetorum Commissario Grimano exactissimè, non sine spinis tamen & disceptationum tricis 12. die Augusti in altissimo monte Croatiæ Welicko Birdo, seu Diok-berg, ubi trium potentissimorum concurrebant, & patebant dominia, est expedita, infixis nempe post singulos centenos ductæ fossæ passus limitibus, utriusque partis Insignibus notatis. Caminecum 22. Septemb. à Turcis evacuatum Polonis est extraditum, ejusque Cathedralis Ecclesia more Romano-Catholico expiata & dedicata; in cujus cæmiterio eâdem dedicationis nocte pomus quasi verno effloruit tempore. Tôckelius ne quid moveret turbarum, ad mare nigrum à Mustapha proscriptus; Constantinopoli tamen adhuc vitam finivit miserrimè. Domus conferentiæ seu pacis tractatæ Carlowicii Patribus Franciscanis strictioris observantiæ à Cæsare donata, in templum Deo pacis auctori dedicata est, multosque & pactæ pacis celebritas, & loci amœnitas, & habitandi commoditas attraxit accolas. Tum à Cæsare juxta pacis articulos solemnis ad Turcarum Sultanum Mustapham per Wolffgangum Comitem Ottingenum præparabatur legatio, & munerum unius millionis donatio, nec non Mustaphæ vicissim ad Cæsarem per Ibrahimum Bassam, supremum ad mare nigrum contra Moscos militiæ præfectum cum pari munerum oblatione in sequentis anni Junium dilata.

Figuntur utrimque limites.

Domus Carlowicensis Franciscanis donata.

Talis fuit sæculi decimi sexti felix faustusque Christianis exitus & finis, quo Ungaria 72. Comitatuum Regnum, & Ducatus Transylvaniæ

totus

totus Ottomannicâ hactenus duo ultra sæcula servitutis oppressa barbarie, Christianæ nunc tandem libertati sunt reddita, non sine admirabili Dei providentia Cæsaris pietati propitiâ; nam tota ferme Ungaria inferior, & maxima superioris pars turcico subjecta dominio paucis illud Viennâ distabat milliaribus; nunc ultra centum, Belgradum usque in Serviam extensum est milliaribus Cæsaris dominium, & quod binis Ottomannica Porta sæculis rapuit, ignavaque Ungarorum perdidit discordia, inauditæ piissimi Leopoldi septemdecim intra annos recuperarunt victoriæ: unde non exiguæ Turcarum colliguntur angustiæ, quòd omnes illis excursiones hujus pacis terminis seriò prohibitæ sint. Plures hanc pacem differendam, & Ottomannicam potentiam, Imperiumque facilius, Gallo nunc conciliato, everti posse existimabant; sed uti instante Caroli II. Regis Hispaniarum morte Ryswicensem Gallus; ita eandem ob causam Cæsar Carlowicensem pacem maturavit. Pacis utrimq; causæ.

Neque etiam sine urgente causa illam Ottomannica desideravit adeò Porta: crudelis namque & ingens in Arabia exorta seditio, quò magis à Turcis opprimi tentabatur, eò crudelius velut hydra ad centum armatorum millia demum succrescebat, flammis omnia & ferro devastans, & Ottomannicæ Portæ admodùm periculosa: quæ simul & insignem Moscorum (quibuscum non pax plenaria, sed biennale tantùm armistitium intercedebat) metuebat expeditam in ponto Euxino classis armaturam, & ad-

fluvium Mis per machinatorem suum Baronem Borgsdorffium munitionem quinque propugnaculorum, unius spatio mensis undecim operariorum millibus cum omnium admiratione extruxerat Czaarius & perfecerat, pluraque alia ad non exiguum Turcarum terrorem meditabatur; unde Muselmanni etiam meritò pacem bello præponebant. Hoc tempore inter bacchanalia Parisiis gaudia sola Regis lugebat pellex Montespana, luxuriosis Ludovici valedicens deliciis, eidemque omnia cimelia, & pretiosa donaria, prodigâ Regis manu liberalissimè ipsi inter amores elargita remisit; qui illa quatuor effusis ex ea prolibus, Ludovico Augusto Bourbonio, generali Helvetorum Colonello; Aloysiæ Augustæ, Ludovici Bourbonii uxori; Ludovico Alexandro Bourbonio, magno Galliæ Admirali; & Mariæ Bourboniæ, Ducis de Chartes uxori, suo postea tempore distribuit. Ipsa verò prædecestricis Valieræ exemplo quidquid inter aulæ lenocinia peccaverat, in Carmelitana solitudine inter virgines piè conata est eluere: & quidem auditâ Ludovici Alexandri Bourbonii morte non ita ejus decessum, quàm ex suis visceribus egressum amarissimis deflevit lacrimis. Anno demum 1707. septimo Calend. Jun. hæc Francisca Montespan cognominis primùm Marchionis uxor (cui filium Antinum Marchionem pepererat) primùm animi, dein & corporis ægritudine contracta est mortua.

Polonica comitia. Discordia Polonorum comitia novum provincialium nuntiorum exigebant directorem non

non prius eligendum, nisi Rex pacta conventa in originali notificet, & germanum militem regno excludat: hunc, reponit Rex, jam actu excedere, præterquam juxta pacta conventa sexies mille satellitium prætorianum: alia pacta conventa proximè in comitiis aperienda: electo igitur novo nuntiorum directore Czuchà cepta 1. Julii comitia feliciter 31. sunt absoluta, & decreto polonico militi stipendio, reductus est exercitus ad 8000. equitum, & 10000. peditum; eliminati Saxonici Polonia per Lithuaniam versus Duinam fl. in Lieflandiam abierunt, præterquam 1400. prætorianos, & mille dimachas, ac denique destinatus est ad Portam Ottomannicam legatus Lescinskius. Sic comitia publicâ pro gratiarum actione supplicatione sunt finita.

Nuptiæ Josephi I. cum filia Hanoverana.

Josepho I. Romanorum & Hungariæ Regi desponsatur Wilhelmina Amalia, Ducis Joannis Friderici Hanoverani junior filia, naturæ dotibus excellentissima, anno 1673. April. 26. nata, præteritis Onspacensi, Daniæ, & Guastallæ Ducissis: factaque Mutinæ (ubi cum matre Henreita Philippina Ducissa Brunswico-Hanoverana vidua morabatur) cum pronubo Duce Mutinensi Rainaldo vices Regis sponsi gerente, 15. Januarii per episcopum Mutinensem in præsentia Francisc. Cardinalis de Medicis copulatione, Roveredum ab eodem deducta est: ubi 25. Januarii à Lobkowitzio Principe per archiepiscopatum Salisburgensem (ubi regio honore ab archiepiscopo in urbe excepta) Tulnam inferioris Austriæ deportata, 19. Februarii Jose-

phi sponsi amplexibus ibidem gavisa. & 22. Eberstorffii à Cæsare, Imperatrice & Rom. Rege perhumaniter cum matre excepta, festivo dignoque Augustissimis personis splendore & apparatu connubium Mutinæ peractum, Viennæ à Nuntio Apostolico 24. Febr. est ratificatum, benedictum, & imperatorio denique convivio absolutum; unde quidam:

Guelpha fama domûs, heroica gratia morum
Mentis & immensum cum pietate decus:
Suada potens linguis, oculorum fulgor & oris
Parque ex augusto corpore spes sobolis.
Te junxère tuo Josepho; noscitur ergo
Septem miraclis Regis & orbis amor.

Ex qua progeniti 1699. d. 28. dec. nata Maria Josepha, & 1700. d. 29. Octob. Leopoldus Joseph, denatus 1701. 4. Aug.

Hoc anno Electoralis deinde dignitatis investituram à Cæsare per legatos suos Bedum ab Oberg, & Danielem Erasmum Guldenberg obtinet 9. Jan. Georgius Ludovicus Dux Brunswico-Luneburgicus, ejus nuper defuncto parenti Ernesto Augusto primùm concessam, obnitentibus aliquot Ratisponæ Principibus, qui datis ad Cæsarem reservationis literis contra protestabantur. Et quamvis Cæsar responderet, quòd sine jurium Principibus & statibus competentium præjudicio imperialis collegii votis rem vellet committere, & electorale jam collegium in favorem Principis Hanoverani 18. Novembris anni præteriti condescendisset; in senatum tamen & collegium Ratisponæ admittere & frequentare abnuerunt.

Ibi-

Ibidem Viennæ 20. Augusti compositis cum Brandeburgico tam Imperialis quam Bohemici feudi controversiis, Legatis Brandeburgicis Ottoni Magno Comiti de Denhoff, Christiano Friderico Bertholdo, & Persio collata est à Cæsare electoralis dignitatis, præstito prius in manu Cæsaris nomine Electoris sui juramento, investitura.

Brandeburg. & Hanoveran. electoratûs investituram accipiunt.

Hoc anno Franciscus Dux Parmæ à Cæsare magisterium ordinis S. Georgii impetrat, à Constantino Magno Imp. ordinum equestrium primum, & ceteris gloriosiorem, ob visam in cœlo crucem, & in ea victoriam institutum: cujus ultimus ex imperatoria Comnenorum stirpe deficiente magister fuerat Joannes Andreas II. Angelus Flavius Comnenus Dux Macedoniæ & Thessaliæ, haud pridem defunctus: qui Parmensis familiaritate usus in illum derivavit ordinis magisterium, & Cæsar confirmavit; idem frustra prætendente Gustavo Samuele Palatino Bipontino, ex eadem Comnenorum familia, ut dicitur, descendente. Videtur hic Ordo diversus esse ab illo militari S. Georgii Ordine, quem inter ceteros militares postremum Alexander Papa VI. & Maximilianus Imperator ad Turcarum rabiem terrâ marique debellandam instituerunt; geritque pro insigni Crucem auream cum corona in circulo aureo; & sub Generali Ordinis Magistro diversa habet statuta, diversasque tam spirituales quàm temporales prærogativas. Sic ab eodem Leopoldo Cæsare Magno quoque Duci Hetruriæ Cosmo III. è Medicæorum familia collatus est titulus Regiæ Celsitudinis.

Ordinē S.Georgii impetrat Dux Parmēs.

Hic

Hic igitur Legatum Romam ad Innocentium Pontificem destinavit marchionem Vitellium, periculum ea in aula facturus, num servatum hactenus cerimoniarum tenorem in ampliorem dilatarent formam. Res in principio difficilem pati visa est mutationem; sed Cæsareo imprimis oratore honorum delationes augente, à ceteris etiam aulæ Principibus viris titulos & decora obtinuit, quibus abunde Duci ipsi & legato satisfieret. Exceptus nempe est, dum eos inviseret, ad publicum palatinæ campanæ sonum: in sedili fulcris ornato jussus sedere; & cum Excellentissimi oratoris titulo compellatus, quæ tria potissimùm Romæ regios oratores honestare consueverunt.

Tertio nonas Maji renovatam paulò ante Parisiis scientiarum academiam Rex Ludovicus patentibus, ut vocant, literis auctoravit decreto, ex ærariis suis stipendio certis academicis, qui secura commoditate studiis vacarent, & secretiora mathesis, astronomiæ, chymiæ, & Botanicæ mysteria eruditis disceptationibus & experimentis scrutarentur & illustrarent: non inferiori tanti Principis gloriâ, quàm bellicâ virtute captare jam tot annis famam pertexit.

[Cæsar suadetur militem non exauctorare, sed augere.]

Leopoldus pactâ jam cum Gallis & Turcis pace & confirmatâ, militiam suam ad XXV. legiones equestres, & totidem pedestres, summatim 70. millia reducturus, intervenerunt septentrionalium Principum discordiæ, & imminente Caroli II. Hispaniarum Regis obitu regnorum successio; hinc militum exauctorationi omnibus contradicens viribus Comes Kinskius, à con-

confiliis Cæſari ſapientiſſimus, pacis Ryſwicenſis rupturam Caroli morte mox ſecuturam prævidit, ideoque numeroſiorem potius ſuadebat auctorationem, ut Carolus Dux Auſtriæ cum XX. millibus in Cataloniam deſtinatus Gallos Hiſpaniâ excluderet, ſibiq; faciliorem in eam aditum patefaceret: totidem Germanorum millia in Ducatum mitterentur Mediolanenſem, compeſcendis non ſolum ibidem Gallis; ſed Ducem etiam Sabaudiæ Cæſari facilius confœderando: Germaniâ verò L. millibus roboratâ, Imperii Ordines in fide Cæſaris confirmarentur, & ad ſubſidia promptius provocarentur: quo turbatis Gallorum conſiliis cruentiſſima poſtmodum in Germania, Belgio & Hiſpania bella, ſi non omninò ſublata, ſaltem labefactata, & infirmata fuiſſent; niſi divina fortè providentia devicto jam Ottomanno, ejusdem quoque ſocium & confœderatum, quintam ambientem monarchiam, à Leopoldo deprimi voluerit, & inauditis ejusdem Leopoldi, & filii ſui Caroli III. victoriis humiliari potentiam.

Interea Marchio Harcourtius Ludovici XIV. Regis Galliæ ad aulam hiſpanicam legatus, omni ſtudio, arte & vigilantia apud Hiſpaniæ Ordines ſeu Grandes, ut vocant, deſudabat, ut gallicum principem deficiente Carolo II. in Ibericum thronum ſpe univerſalis monarchiæ conſequendæ intruderet, quod præ ceteris Europæ principibus prævidens ſagaciſſimus Wilhelmus III. Rex Angliæ præventurus, arcanis Carolum literis diſpoſuit, ut Joſephum Ferdinandum, filium Electoris Bavariæ Maximiliani Emmanuelis, & *Carolus II. R. Hiſpan. ſucceſſorem teſtatur Bavari filium.*

&

& Mariæ Antoniæ, ex utroque parente Austriacæ (Cæsaris Leopoldi filiæ, quam hic ex Margareta Theresia, Philippi IV. Regis Hispaniæ filia, & Caroli II. sorore progenuit) testamento scripserit regnorum suorum hæredem & successorem, jure utique omnibus proximiorem, dum Ludovicus XIV. omnibus hispanicæ monarchiæ juribus solemni juramento nuntium remiserit. Hoc testamentum, quamvis arcanum, Harcourtius tamen subdolè extractum confestim Ludovico XIV. submittens, ingentem eidem causavit indignationem, ut atrocia minaretur bellorum fulmina, nisi Delfinum suum (aut ejusdem filium Philippum Andegavensem) ex se, & Maria Theresia, Caroli II. sorore natum, testaretur successorem, Bavaro jure primogenituræ proximiorem. Carolus testamenti sui tam arcani miratus notitiam ad Gallos delatam, & ministrorum suorum in revelando detestatus perfidiam, literis Harcourtio respondit adeo ambiguis, Parisios raptim missis, ut Rex mille artibus & dolis testamentum illud studeret evertere. Placuit præ ceteris Comitis Tallardi partitionis monarchiæ hispanicæ conceptus, Marchioni de Torcy, & Pomponio primis aulæ ministris primùm, ab his deinde Regi propositus, multisque elaboratus consiliis, tandem quasi de cœlo delapsus est approbatus, non sine magna Com. Tallardi laude & existimatione, qui primò exigui in aula Bourbonica nominis, hoc conceptu evolavit in altum. Quare destinatus in Angliam ad Wilhelmum regem legatus, ut partitionis parens fœtum feliciter ederet in lucem.

Quod detèstatur Ludovic. R. Galliæ

Riswi-

Partitio Hispaniæ à Tallardo concepta.

Ryſwicenſi igitur vix pace confirmatâ (ſub cujus incude, imo antè hæc fabricata eſt partitio) Ludovicus Rex Galliæ advocatis in ſuas partes Anglis, Luſitanis & Hollandis (aliis Germaniæ Principibus irritò tentatis) vivo etiamnum Rege Carolo II. Hiſpanicæ monarchiæ regna, ſi abſque hærede è vivis decederet, Hagæ Comitis, inſcio Cæſare, omnibus proximiore, partitur, pacis per Europam univerſalis, ut ajebant, conſervandæ causâ. Delfino ex jure materno cederent Neapolis & Sicilia cum ceteris adjacentibus maris mediterranei Balearibus inſulis, Portu Herculeo, Orbitello, Tellamone, Portu Longono, & Piombino: marchionatus Finalis præterea ad mare Liguſticum, & provincia Guipuſcoa cum civitatibus Fuentarabia, S. Sebaſtian, & portu le Paſſage, omnia denique loca Pirenæis montibus verſus Galliam, vel montibus Navarræ, Alavæ & Biſcajæ, ad latus provinciæ Guispuſcoæ adjacentia, cum cunctis navibus militaribus & appertinentiis. Joſephus Leopoldus Princeps Bavariæ hæreditarius ſuccederet in regnum Hiſpaniæ, & alia tam intra quàm extra Europam regna: cujus pater Maximilianus Elector tutor, & regnorum in filii ſui minorennitate eſſet adminiſtrator, & filio defuncto etiam ſucceſſor in omnia prædicta regna, cum omnibus à ſe deſcendentibus hæredibus, ſine ulla unquam Gallorum ſucceſſione, prætenſione aut turbatione. Solus Ducatus Mediolanenſis tranſiret in Carolum Archiducem Auſtriæ, Leopoldi Cæſaris ſecundogenitum. Qui partitionis tractatus à Britannis & Batavis Cæſari communi-

catus, si rejiceretur, Mediolanensis Ducatus sequestratus à Vaudemontio interea Principe, moderno ejusdem ex interventu & promotione Cæsaris Gubernatore, administraretur. Homo proponit, Deus disponit.

Mors Josephi Bavari

Josephus Leopoldus Bavarus interim 16. Februar. hoc anno Bruxellis ex hac in alteram cedit vitam, ad feliciorem æternæ gloriæ coronam, Princeps sex annorum, apud aliquos auctores non sine veneni suspicione sublatus. Pater Maximilianus filio morienti assistens præ tristitia continuum passus deliquium, accedente postmodùm consolationis causâ fratre Josepho Clemente Archiepiscopo Coloniensi in monasterio Terveurensi, ambo ex mœrore & perturbatione inter mutuos aliquamdiu amplexus elingues hæserunt. Verissimè Poëta *Balde in Urania*,

> *Vita breris, velut umbra fugit, sperantibus annos*
> *Nestoris, obrepit sæpè suprema dies.*
> *Illa rapit juvenes primâ florente juventâ;*
> *Non oblita rapit sed tamen illa senes.*

Virgil. in obit. Mecan. Miraris? Quidquid avium, ait *Seneca* 10. *Rhet.* in elemento aëris volitat, quicquid piscium natat in aquis, quicquid ferarum per terram discurrit, nostris sepelitur ventribus: quære nunc cur subito moriamur: quia mortuis vivimus. Morte quidem unius, ait *Ambros. Orat.* 2. *de mort. frat.* plerumque accepimus maximos populos liberatos; hujus Principis morte maximos morte populos oppressos nemo negabit.

Par-

Partitio igitur à Britannis & Batavis ad finem hujus anni & secuti immutata est, ut omnia defuncto principi attributa Hispaniæ Regna (remanentibus Delfino suis) transferrentur in Carolum Archiducem; Ducatus verò Mediolanensis in Ducem Lotharingiæ, tanquam æquivalens Ducatûs Lotharingiæ, qui perpetuò Galliæ regno connecteretur & incorporaretur; Comitatus verò Bitsch Vaudemontio traderetur in perpetuum. **Partitio Hispan. mutata.**

Mirabatur cum Viennensi non immerito aula Europa universa, quòd Angli Batavique contra pacta anno 1689. cum Cæsare fœdera hanc promoverent, urgerentque partitionem, cùm probè noscerent Ludovicum Galliæ regem inconstantis semper, & fallacis hucusque fidei, per medium jam fermè seculum universalem Europæ tot cruentis injustisque bellis, & crudelissimâ multiplicis humani sanguinis profusione ambivisse monachiam; ad hanc verò necessarium esse omninò sceptrum coronamque Hespericam. Et Ludovicus nunc exiguâ Iberiæ particulâ foret contentus? quis credet? Delusit enim verò fallaciâ Europæ principes, donec elaborato per Harcourtium Madriti regio testamento, universam raperet monarchiam hispanicam, sibi, familiæque Borbonicæ præ Austriacis, ut ajebat, jure debitam. Hæc res simulationis involucro tecta quamprimum suspicionis famâ Wilhelmo Britanniæ Regi est cognita, si veritate nitatur, literis Ludovico significat, se cum sociis partitionis tractatum, evidenter tunc inutilem & superfluum, nunquam subscriptu-

rum aut approbaturum. Subjicit Ludovicus tractatum illum semper firmum & irrevocabilem, à se nunquam quovis violandum testamento, licet monarchia hispanica in Delphinum, ejusve filios transferretur. En vulpem in Christianissimo Rege! Eximiâ hac fraude decepti Britannus & Batavi tractatum subscribunt; cui si dissentiret Cæsar, alium loco Caroli principem substituendum consenserant: quem mox tractatum Ludovicus ad Pontificem & Europæ Principes transmittit & evulgat: utque falleret securius, Harcourtium cum 18. armatorum millibus destinat Bajonam, clavem & aditum in Hispaniam, ad occupandam sub specie Hispaniæ particulam sibi partitam, verius totam paulò pòst monarchiam expeditiùs invadendam: Cæsarem verò Madriti falsò traducit, quòd Neapolim, Siciliam & Mediolanum irruperit; quod nullam tamen in Madritensi aula meruit fidem.

Partitionem Angli & Batavi subscribunt.

Sed Carolus Hispaniæ Rex hæc & plura audiens, Britanniæ Regi jubet significari, quòd nullum monarchiæ suæ Ibericæ alium sciret, velletque successorem, quàm Carolum Austriacum, Leopoldi Cæsaris filium secundogenitum. Ipsi adeo Hispaniæ status & Ordines malebant cuncta offerre periculo, quàm suam dismembrare monarchiam, ideoque apud omnes Principum Regumque aulas publice contra hanc partitionem protestabantur, & in suæ monarchiæ integram conservationem & defensionem pontifex ecclesiasticas illis decimas permittit, concessas à 20. annis pensiones contrahunt, superflua ministrorum salaria reducunt, unde quatuor circiter

Rejicit Carolus & Cæsar.

citer universim milliones conficientes, duodecim peditum, & quatuor equitum millia jubent conscribere, viginti quatuor navium classem instrui, totidemque novas parari, magnam denique auri vim Cataloniæ Proregi Darmstadiensi Principi, primo verosimiliter offensionis lapidi, volunt numerari. Legati Gallicus & Batavus illam Viennæ partitionem exponentes, hoc ferunt Cæsaris responsum: Inauditum, & rationi contrarium esse, Regis adhuc viventis, & per Dei gratiam adhuc hæredi potentis monarchiam & regna, citra ejus voluntatem velle partiri. Se nec velle, nec posse adstringi Partitionis tractatu; sed casu mortis hæreditatem Ibericam sibi, Domuique Austriacæ legitimè competentem justis se velle armis favente Deo defendere, & ab iniquis vindicare aggressoribus & possessoribus. *Vid. num.* 372.

363. In Africæ regno Fetz & Marocco Mauri ab aliquot jam annis oppugnationem urbis & arcis Ceutæ, vel Septæ, ut Pomponius Mela vocat, continuant; egregia autem Hispanorum fortitudine hucusque defenditur, & novo militari subsidio, quindecimque annonæ & apparatûs bellici navibus à Modinano mense Martio confirmatur; potuissent hostem unâ planè vice ab urbe rejicere; sed ut ejus paulatim deficerent vires, iteratis illum excursionibus fatigant & exhauriunt, nuperisque cuniculis illum longius repellentes novo urbem munimento roborant; hinc Maurorum Rex Mulejus Ismael missis per Capuccinum Guardianum Mequinensem literis, oblatisque Carolo II. Regi 14. Christianis mancipiis,

Ceuta in Africa propugnatur.

cipiis, videbatur pacem petere vel armistitium; verumtamen non hoc, sed pertinacius urbem impetunt Mauri; quos semper tamen urbis præfectus March. Villaderias generose rejicit, recepitque 22. Augusti prædictum Guardianum Capuccinum in urbem cum 46, mancipiis Christianis, & Patre Joanne à Matre Dei per suam intercessionem liberatis, & à Mulejo Rege Carolo donatis; Guardianus autem expeditis cum præfecto negotiis aliis ad Mauros remissus, oppugnationem ferocius continuantes. Funestus autem hoc anno fuit multis Japoniæ regnis terræ motus. Scoti munitum Americæ portum Darien dictum, contra Hispanos vi occupant; pulsi iterum ab Hispanis victoribus factâ transactione mox eundem concedunt.

Quietistæ dãnantur & emẽdantur.

Quarto idus Martii post longa examina Romæ damnationi & censuræ obnoxius judicatus est liber Antonii Fenelonii Cameracensis archiepiscopi, quem post notatas, & à quibusdam Galliarum episcopis improbatas sexaginta & amplius propositiones circa hæresim Quietismi, jam inter Gallos dilatatam, scripserat, sanctorum placita explicaturus, quibus sublimioris & perfectissimæ orationis mysteria docuerant. Expetita, & multis precibus sollicitata nomine Ludovici Regis hæc censura fuerat, ipse Rex Archiepiscopum pervicacem hæresis defensorem traductum officio, quo hactenus functus fuerat, Regiorum Principum præceptoris exauctoraverat. Sed nedum obstinatus archiepiscopus sese damnationi opposuit, quin ipse primus illam integrâ humilitate acceptavit, &

eccle-

ecclesiæ suæ acceptandam proposuit. Quod non ita à reliquis Galliæ episcopis effectum, qui contra quasdam pontificiæ constitutionis formulas velut jura & libertates ecclesiæ gallicanæ lædentes protestati sunt. Pontifex Innocentius promptam archiepiscopi obedientiam pleno complexus affectu, ad eum humanissimas dedit literas, raram imprimis commendans patientiam, quâ is propriæ damnationi subscripserat. Sic idibus Decemb. anni præcedentis publicâ pœnitentiâ Deo & Urbi litavit in Romano Dominicanorum templo Eremitani Augustinianorum ordinis excalceatus sycophanta Petrus Paulus Graniti Romanus pro patratis secretâ libidine delictis, cui sub pietatis larva, etiam fictis miraculis auctorata, per annos bene multos cum variis mulierculis latè indulserat. Abjuravit in solemni conventu execranda dogmata, quibus pellices deliniebat eâ fronte, quæ vix aliquam pœnitentiam argueret, hæresis jam in Michaële Molinos devotæ sectator, ni melius dixeris tam putida delicta profiteri aliquos potuisse, non illusi intellectûs vitio, sed explendæ libidinis appetitu, dum quæsito hoc fuit fuco innatam ingenuis omnibus verecundiam detersisse viderentur.

364. In Pedemontio multi proscripti accolæi Montis regialis ad armorum cogentes societatem, vicos & pagos divitumque domos deprædantur, & nolentes ferro flammaque persequuntur: duobus aucti millibus fanum S. Magdalenæ vix ducentis à Monte-regiali distans passibus firmiter roborant; semel inde expulsi, re- *Pedemontani rebelles.*

recuperant, magnâ iteratò excurrentes insolentiâ. Dux Sabaudus hos intra 200. annos trigesies rebellantes internecive deleturus, militem undequaque colligit, Genevensibus ne annonam illis submitterent interdicit, fame inter montium latebras illos consumpturus. Hac Rebelles necessitate compulsi frustra veniam petentes delicti, intercessione Pallavicini tandem, præterquam centum (quorum percussoribus certum appromissum est pretium) obtinent, si intra 24. diem Februarii se Ducis submitterent voluntati, domibusque suis rellctis in territorium Vercelli & Trino se reciperent; quod quia pluribus erat gravissimum, dispersi tandem clam subterfugerunt; plures tamen capti, suspensi sunt & quadripartiti, suppressaque est rebellio.

365. In Gallia Rex expulsos publico edicto revocat heterodoxos, si fidem Romano-Catholicam profiteantur, bonis suis & civium jure gavisuros.

Contius frustra Neocomum prætendit.

Princeps Contius Polonicæ candidatus ante hac coronæ, nunc etiam Neocomum in Helvetia invasurus, & Ducissam Nemosiensem hæredem omnium proximam legitime ab Helvetis in Ducatûs possessionem 1694. introductam, & homagio confirmatam inde depulsurus, cum aliquot quidem legionibus ab Helveus civiliter, & ipse mutuo erga omnes civilis & liberalis excipitur; sed Neocomi tutores & defensores Bernæ, Lucernenses, Freiburgi & Soloduri impositis urbi 200. præsidiariis Ducissæ adventum expectare jubent, graviter licet ea ferente Rege & Contio, impressam juris sui deductionem Tutori-

toribus deferente. Adveniens autem 13. Martii Ducissa omnes Contii enervat prætensiones, ab helvetico etiam dicasterio rejectas. Contius regis patrocinio & subsidio fretus novum causæ & possessionis tribunal & revisionem postulat, assentientibus Lucernensibus, Freiburgis & Soloduris negabant Bernenses illos ullum in Ducatum liberum, nulli subjectum, habere jus, nisi protectionis & defensionis, ideoque justam Ducissæ causam magistratus Helveticus ad se, & non ad parlamentum Parisiense pertinentem renovato fœdere contra, Contium ejusdemque plurimos fautores gnaviter defendit, & plures eorum innodat arresto. Et quia Rex Angliæ Wilhelmus princeps Auriacus eundem ducatum tam apud Helvetos, quam Galliæ regem prætendebat, Ducissa Parisios vocata, ibidemque res ventilata, mansit in possessione, utpote legitima soror defuncti ultimi possessoris Joannis Ludovici Ducis Longevilli, qui Contium universalem omnium hæredem & successorem testamento scripserat, sed mentis incapax, nec ducatum extra familiam consanguineam in alienum transferre poterat. Qua Ducissâ post annos aliquot defunctâ devolutus est Ducatus Neocomensis ad Regem Borussiæ Electorem Brandeburgicum. *Vid. infra ann.* 1708.

Interea temporis Josephus Clemens Archiepiscopus Coloniensis ante quadriennium ad episcopatum Ratisponensem postulatus, à pontifice in tot episcopatuum in unam personam collatione hucusque difficili episcopus Ratisponensis tandem est confirmatus.

Nativitas & mors variorũ Principum.

Olyssipone Regi nata est filia Francisca Josepha ex Maria Sophia Palatina Neoburgensi Lusitanorum Regum stirpis restauratrice: quæ 4. Augusti anno ætatis 33. postquam Regi Petro 5. Principes, & 2. Ducissas genuisset, ingenti omnium dolore fato cessit. Turini natus est *6. Maji* primogenitus filius Sabaudiæ Duci Victor Amadeus Josephus; uti & Bruxellis 5. Augusti filius Maximiliano Bavariæ Electori, & 26. Augusti Lotharingiæ Duci filius primogenitus. Viennæ 8. Decembris Romanorum Regina Wilhelmina Amalia in lucem edidit Mariam Josepham Archiducissam, à Cardinale Collonitschio sacris undis renatam, assistentibus Patrinis S. Cæsarea Majestate, & seniore Archiducissâ.

P. Marcus Capucinus moritur.

P. Marcus de Aviano, Ordinis S. Francisci Capuccin. 13. Aug. ex hac mortali ad vitam transit immortalem, eximiæ probitatis famâ clarus per Italiam primùm, inde per Germaniam & Hungariam, quo à Leopoldo Cæsare advocatus fuerat, ut Christianis copiis contra Turcas adhibitis orationibus, & adhortationibus adesset. Quod religiosæ semper humilitatis tenacissimus, & inter aulæ lenocinia, militumque licentiam temperans & pius vivere pergeret, Joanni Sobieskio Poloniæ Regi, Carolo Duci Lotharingiæ, & cæteris exercitûs Ducibus imprimis charus, & familiarissimè adhibitus est. Huic morienti in cœnobio suo adesse voluit Leopoldus Cæsar, ab illo cum omni Augusta familia benedici, & mortuo parentare: immo defunctum publicè aliquamdiu expositum

tum Imperatorio ad Capucinos ſepulchro condidiſſet, niſi aliorum certis de cauſis fuiſſet judicio retardatus: Cæſareo tamen auguſtis manibus hoc ſcripto veneratus eſt epitaphio:

PatrI MarCo ab AVIano CapVCIno ConCIonatorI, eVangeLICIs VIrtVtIbVs eXornato.

VIennæ AVſtrIæ In oCVLo DoMInI sVI sVaVIter eXpIrantI

LeopoLDVs AVgVſtVs, AVgVſta sVa, fILII-qVe Mœſtl posVêre

patrI MarCo De AVIano, Vero IesV ſerVo, reqVIes & LVX perpetVa.

Auguſta ex ſingulari erga illum devotione & reverentia ipſius utenſilia, vaſcula & lectum ad ſe deportari venerationis cauſâ jubet.

Quarto Nonas Septembris ultimum diem Hafniæ clauſit Chriſtianus V. Danorum Rex, ætatis annorum 53, qui pacis & otii impatiens, dum per Europam bellum graſſari videret, illud in proprias aut ſibi vicinas ditiones inducere geſtiens, Gentilem ſuum Ducem Holſato-Gottorpium ſub officioſæ viſitationis prætextu inter regni ſui confinia invitatum & detentum, iniquis conditionibus ſubſcribere coëgerat, ſi pacem & libertatem vellet redimere. Occupatis hac arte oppidis & arcibus aliquot ad Ducem ſpectantibus; quorum munimenta ſolo ſtatim æquari juſſit. Vi poſtea & terrore auxiliariorum armorum adactus occupata reſtituere, retinuit nihilo ſecius primæ æmulationis fermentum, quod ſecretis odiis efferveſcens etiam poſt ejus mortem revixit. Cui ſufficitur Fride- ricus

Chriſtianus Rex Daniæ moritur ſuccedit filius Fridericus.

ricus IV. filius, qui parentis memoriæ subditos omnes universali luctu jussit parentare, cujus insigne in pullo habitu per annum integrum deferre cogerentur.

8. Calend. Novembris Romæ Innocentium Pontificem salutavit Maria Casimira Regina, Joannis Sobiesky Polonorum Regis vidua. Eam Innocentius per ablegatum Nuntium ad confinia excipi, & per omnem ditionem ecclesiasticam laute, cum amplo illius famulitio tractari jusserat, delatis illi iisdem honoribus, qui olim Christinæ Suecorum Reginæ exhibiti fuerant. Ad 4. Idus Decemb. redintegrata est Varsaviæ animorum consensio inter Rempub. Polonorum & Brandeburgicum Electorem, qui ante tempus aliquod Elbingam in Pomerania antecessoribus suis pro datis mutuo quadringentis millibus scutorum oppignoratam vi occuparat, & retinebat, de quo alibi dictum.

Calendarium Gregor. ab hæreticis admittitur.

Hunc annum & sæculum concludo cum antiquo heterodoxorum calendario, & plane sepelio, novumque Calendarium Gregorianum ab Evangelicis seu Lutheranis hactenus ob verbum in Bulla Pontificis *Mandamus* rejectum, propter veteris Calendarii ab heterodoxis usitati errores, & imminentes sequenti anno inconvenientias plurimas, ab Erhardo Weigelio professore Mathesios Jenensi maniſeſtè demonstratas admissum, & anno sequenti Ratisponæ in comitiis, universimque apud illos introductum est; unde non incongruè:

Verbum *Mandamus* Papæ deterruit olim
Dissentientes in fide Imperii ordines

Quo

Quo minus *acciperent* ſignantes tempora faſtos,
Quos Pontifex Gregorius emendaverat:
Sponte ſed hoc anno ManData aCCepta videmus,
Taleſque ſunt rerum viciſſitudines.

Addenda adhuc tamen hujus anni periodo memorabilis illa equeſtris Ludovici XIV. ſtatua ærea, 80. librarum millibus gravis, unâ perfectâ fuſione à Joanne Jacobo Keller Tigurino anno 1692. artificioſiſſimè fuſa: cujus forma per ſeptem annos à Franciſco Girardono Bredano prius efficta, 20. pedibus alta, magnis 250000. imperialium impenſis elaborata, tam vaſtæ fuit capacitatis, ut in ejus ventre plus quàm 20. menſæ accumbentes perſonæ contineri poſſent, equo olim Trajano non diſſimilis. Locus autem hac ſtatuâ dignus, & regius poſtmodùm de Vandome vocatus, à Rege determinatus, & Pariſienſi communitati donatus, ampliſſimis circumcirca aulis & ædificiis ſtatuæ, & Regis ſplendori convenientibus, civium ſumptibus ſuperbè eſt exornatus: ſicque 10. die Auguſti hoc anno Regis ſæpius rogati permiſſu (qui, ut Tiberius ait, ſub ſpecie recuſantis flagrantiſſimè cupiebat) erecta eſt, & die 13. ſolemniſſimâ totius Pariſienſis Senatûs ac Ducis de Gesvres proceſſione, & ingenti populi multitudine adeò devotè circumeundo eſt ſalutata & venerata, ut Scriptor quidam aſſerat, nunquam Pariſiis tali Chriſtum Crucifixum honore & devotione fuiſſe ſalutatum; nec audiſſe ſe, aut legiſſe unquam, quòd ullus Chriſtianorum Princeps talem idololatriæ cultum admiſerit; exiſti-

mat-

matque inauditæ hujus arrogantiæ comitem infallibilem Dei vindictam. Hæc autem est inscriptio:

Ludovico Magno decimo quarto, Francorum & Navarræ Regi Christianissimo, victori perpetuo, Religionis vindici, justo, Pio, Felici Patri Patriæ, erga urbem munificentissimo, quam arcubus, fontibus, plateis, ponte lapideo, vallo amplissimo arboribus consito decoravit, innumeris beneficiis cumulavit; quo imperante securi vivimus, neminem timemus, statuam hanc equestrem, quam diu oblatam recusavit, & civium amori, omnium votis indulgens, erigi tandem passus est, præfectus & ædiles acclamante populo læti posuère. MDCXCIX. Optimum Principem Deus servet.

Notatu hoc quoque dignum, quòd sicut Ludovicum Regem Germanorum, non Gallorum virtus bellica ad tantam potentiam, & gloriosa victoriarum trophæa evexit; sic nec Gallorum, sed Germanorum artificium eidem triumphales fabricavit honorum machinas & triumphos.

INDEX

INDEX
RERUM & VERBORUM
PARTIS SECUNDÆ,
Indicans numerum marginalem.

A.

An-

Fruſtra

Leo-

N.

O.

One-

Q.

R.

R.

S.

FINIS PARTIS SECUNDÆ.